CONCORDANTIA SANCTORUM PATRUM GRÆCORUM ET LATINORUM.

SEQUITUR

DOCTRINA TERTULLIANI PRESBYTERI.

II.&III. SECULUM.

SECTIO II.

PUNCTA MORALIA.

NOster hic Auctor rem Moralem fuse prosequitur, necnon sermone æque prolixo ac supra usus est cum Dogmaticas traderet veritates: licet autem clara methodo & accuratissima Dogma exponat; asserere nihilominus possumus, eum in moribus pertractandis multo magis excelluisse. Non ætas, non sexus, non conditio habetur, quibus peculiares non tradat instructiones; & si omnia colligerentur ejus Operum loca, quæ hanc Theologiæ Christianæ partem respiciunt, abunde haberemus unde & nos ipsos, & alios etiam in viam salutis æternæ dirigeremus. In animo autem non est ea omnia exscribere, pulcherrima licet, quæ in ejus Operibus passim occurrunt; in immensum enim abiret oratio, & naturalis æquitas postulare videtur, debere nos de Moribus agentes brevitati studere, qui nimii fuimus in Dogmaticis veritatibus tradendis. Ea igitur hujusce Patris loca solummodo afferemus, quæ majoris sunt momenti, eaque præcipue, quæ comprehendunt illas veritates, quarum praxim nostris hisce temporibus neglectam amare dolemus. Quia vero nulla extat tutior regula ad recte vivendum, vita & moribus sanctissimis veterum fidelium; hinc nostrum esse ducimus eosdem ex Tertulliani pictura delineare, ut saltem distantia innotescat, quæ nos inter & virtutem ac sanctitatem Patrum nostrorum intercedit.

CAPUT PRIMUM.

DE ORATIONE.

I. AB oratione initium esto, de qua Tertullianus peculiarem Tractatum concinnavit. Docet igitur, soli Jesu Christo reservatum fuisse docere nos verum modum adorandi Deum, ac orandi; quod quidem eximie ipse præstitit in Oratione Dominica; in qua breviarium totius Evangelii vere adinvenitur: *Ut revera in Oratione breviarium totius Evangelii comprehendatur*. „ Compendiis paucorum verborum, inquit „ ille, quot attinguntur edicta Prophetarum, Evange„ liorum, Apostolorum, sermones Domini, parabolæ, „ exempla, præcepta? Quot simul expunguntur officia? *Dei honor in Patre, fidei testimonium in nomine, oblatio obsequii in voluntate, commemoratio spei in regno, petitio vitæ in pane, exomologesis debitorum in deprecatione, sollicitudo tentationum in postulatione tutelæ .... Deus solus*, subdit Tertullianus idem, *docere potuit, ut se vellet orari.*

Excellentia & extensio Orationis Dominicæ. Lib. 1. de Orat. c. 9.

II. Nec solum de excellentia & extensione Orationis Dominicæ in genere pertractat Tertullianus; sed explicat insuper quaslibet ejus partes unam post aliam. Hinc in hæc verba: *Pater noster, qui es in cœlis*, ait, nos dum hoc pacto oramus, Jesu Christi præcepto obtemperare; vult enim, ne quem in terris patrem vocemus, nisi quem habemus in cœlis: quæ sane doctrina vetustissimo Israelis populo abscondita fuit: hoc est enim quod Israeli exprobratur hisce vocibus: Filios genui, & illi me non agnoverunt. Privilegium erat Christianis reservatum, invocandi patrem suum, Deum qui in cœlis est; & adorandum hoc nomen in solo Jesu Christo nobis revelatum est. Cæterum, in Patre Filius invocatur, cum Filius dixerit, se unum esse cum Patre: *Item in Patre Filius invocatur: Ego enim, inquit, & Pater, unum sumus.*

Privilegium Christianis reservatum, invocandi Patrem suum, Deum qui in cœlis est. c. 2. & 3.

III. In hæc verba: *Sanctificetur nomen tuum*, docet Tertullianus, nos non petere illis vocibus sanctificationem, & glorificationem nominis Dei in semetipso, cum sanctum & sanctificatum sit per semetipsum essentialiter nomen Dei; sed solum petere ut sanctificetur in nobis & in iis omnibus, quos adhuc gratia Dei expectat: *Cum dicimus, Sanctificetur nomen tuum, id petimus ut sanctificetur in nobis, qui in illo sumus; simul & in cæteris, quos adhuc gratia Dei expectat.*

Explicatur prima Orationis Dominicæ petitio. cap. 3.

IV. In hæc alia verba: *Fiat voluntas tua &c.* monet nos Tertullianus, quemadmodum & in præcedenti Sectione observavimus, quod non ideo petimus fieri ejus voluntatem, quasi aliquis obsistere possit, quo minus ejus voluntas fiat, & nos ei successum voluntatis suæ oremus; *sed sensus petitionis est, ut in nobis fiat voluntas Dei in terris, ut possit scilicet fieri & in cœlis*. Petimus ergo substantiam & facultatem voluntatis suæ, ut subministret nobis; ut salvi simus & in cœlis, & in terris, & ut possimus incedere secundum suam disciplinam, hoc est, in via mandatorum suorum:

Explicatur petitio secunda ac tertia. cap. 4. 5.

II.&III. SECULUM.

rum: *Quo ut implere possimus*, subdit Tertullianus, *opus est Dei voluntate .... Veniat quoque Regnum tuum*, ad id pertinet, quod & Fiat voluntas tua, in nobis scilicet. Itaque si ad Dei voluntatem, & ad nostram suspensionem pertinet regni Dominici repræsentatio, quomodo quidam protractum quemdam sæculo postulant; cum regnum Dei, quod ut adveniat oramus, ad consummationem sæculi tendat? Hujusce Regni adventus est *Votum Christianorum, confusio Nationum, exultatio Angelorum, propter quod conflictamur, immo potius propter quod oramus*.

Explicatur quarta petitio. cap. 6.

V. Quando dicimus: *Panem nostrum quotidianum da nobis hodie*, temporalia bona petimus æque ac spiritualia: Nihilominus verba hæc spiritaliter potius de Christo intelligi possunt, qui est panis noster & animarum nostrarum, necnon panis vitæ. Si vero per hanc petitionem res temporales intelligantur, attente perpendi debet hæc vox *Hodie*; panem enim peti mandat; quod solum fidelibus necessarium est. Quoad quintam petitionem: *Dimitte nobis debita nostra &c.* docet Tertullianus, nos per hæc verba fateri, peccatores nos esse: *Exomologesis est petitio veniæ: quia qui petit veniam, delictum confitetur.* Cum addimus vero, *sicut & nos dimittimus debitoribus nostris*, tunc fatemur absolutam necessitatem ignoscendi inimicis, ut in Dei gratiam redire possimus.

Explicatur quinta petitio. cap. 7.

Explicatur sexta petitio. cap. 8.

VI. Tandem verba hæc: *Ne nos inducas in tentationem* significant; ne nos patiaris in tentationem induci, ab eo utique qui tentat; hoc est a Dæmone. *Cæterum absit*, subjungit Tertullianus, *ut Dominus tentare videatur, quasi aut ignoret fidem cujusque, aut dejicere gestiens: Diaboli est infirmitas & malitia*. Hinc, addit inferius idem Doctor, quando Deum oramus, ne nos inducat in tentationem, id unum petimus, quod in postremis hisce Orationis Dominicæ verbis continetur: *Sed libera nos a malo*, sive, ut legebat Tertullianus: *Devehe nos a malo*.

Dispositiones quæ necessario requiruntur ad recte orandum. cap. 10.

VII. Dispositiones juxta Tertullianum necessariæ ut utilis ac fructuosa sit oratio, sunt quæ modo sequuntur: primo requiritur pax cum proximo: nam *Quomodo placabit Patrem, iratus in fratrem*. 2°. Maxima cordis puritas necessaria est, & ab omni confusione libera intentio: *Nec ab ira solummodo, sed omni omnino confusione libera debet esse orationis intentio*. 3°. debet emitti a tali spiritu, qualis est ille, ad quem dirigitur: *De tali Spiritu emissa, qualis est Spiritus, ad quem dirigitur*: quia agnosci non poterit a Spiritu Sancto spiritus inquinatus, aut tristis a læto, aut impeditus a libero.

Adversus quasdam superstitiones, quæ inter orandum irrepserant. cap. 11.

VIII. Tertullianus reprehendit deinceps quasdam superstitiones, quæ inter orandum irrepserant, veluti manibus ablutis orationem obire, in memoriam manuum ablutionis peractæ a Pilato, quando tradidit Jesum Christum Hebræis. „ Nos Dominum adoramus, „ inquit Tertullianus, non dedimus; immo & adversari debemus deditoris exemplo, nec propterea manus abluere .... Cæterum satis mundæ sunt manus „ quas cum toto corpore in Christo semel lavimus. „ Omnibus licet membris lavet quotidie Israel, nunquam tamen mundus est. Certe manus ejus semper „ immundæ sanguine Prophetarum, & ipsius Domini „ cruentatæ in æternum ... „ *Nos vero non attollimus tantum (manus), sed etiam expandimus a Dominica passione modulantes*.

Cap. 13.

IX. Exprobat etiam idem Doctor duas vacuas observationes, quæ superstitioni deputantur; quarum una est, positis pænulis orationem facere; altera, completa oratione assidere: Hinc ait, sine ullius aut Dominici, aut Apostolici præcepti auctoritate hæc fieri, & eo pacto Nationes ad idola adire. Fatetur nihilominus, postremam observationem, hoc est assidere completa oratione, fortasse a Pastore Hermæ originem trahere; in eo enim libro legitur, Hermam, postquam adoravit assedisse. Verum ostendit, nullam ab illo exemplo inferendam esse illationem, & irreligiosum esse assidere sub conspectu, contraque conspectum Dei, & esse quamdam exprobrationem Deo factam, quod oratio nos fatigaverit. *Factum istud irreligiosum est, nisi exprobramus Deo, quod nos oratio fatigaverit*.

Corporis compositio Orationis tempore servanda. cap. 13.

X. Vult Tertullianus, ut cum modestia oremus: *Atqui cum modestia & humilitate adorantes .... ne ipsis quidem manibus sublimius elatis, sed temperate ac probe elatis, ne vultu quidem in audaciam erecto*. Sonos etiam vocis subjectos esse oportet: *Deus autem non vocis, sed cordis auditor est, sicut conspector*. Hæc sunt notabiliora ac selectiora, quæ de Oratione in Tertulliano occurrunt.

II.&III. SECULUM.

CAPUT SECUNDUM.

DE PATIENTIA.

I. PUlcherrima sunt quæ tradit Tertullianus de Patientiæ virtute, in peculiari quodam Tractatu quem expresse confecit, ut illius meritum celebraret, ejusque utilitates ostenderet. Sub illius autem initio humilitatem suam prodit, seque indignum fatetur, qui de hac virtute verba faciat. „ Confiteor, inquit „ ille, ad Dominum Deum, satis timere me, si non „ etiam impudenter, de Patientia componere ausum, „ cui præstandæ idoneus omnino non sim, *ut homo* „ *nullius boni*: quando oporteat demonstrationem & „ commendationem alicujus rei adortos, ipsos prius „ in administratione ejus rei deprehendi, & constantiam commonendi propriæ conversationis auctoritate „ dirigere, *Ne dicta factis deficientibus erubescant*. „ Atque utinam erubescere istud remedium ferat, uti „ pudor non exhibendi quod aliis suggestum imus, „ exhibendi fiat magisterium .... Itaque velut solatium erit disputare super eo quod frui non datur, „ vice languentium, qui cum vacent a sanitate, de „ bonis ejus tacere non norunt. *Ita miserrimus ego*, „ *semper æger caloribus impatientiæ*, quam non obtineo „ patientiæ sanitatem, & suspirem, & invocem, & „ perorem necesse est. „ Constat ex his, ut optime animadvertit Dominus de la Motte, qui hujusce Patris vitam conscripsit, Tertullianum hoc loco veluti publicam confessionem instituere naturalis suæ impatientiæ, in quam natura sua ferebatur, & a qua ut liber tandem aliquando esset, suspiria & gemitus ingeminabat.

Lib. de Patientia. cap. 1.

II. Utcumque tamen se haberet sapientissimi hujus Ecclesiæ Doctoris natura, certum indubitatumque est, divinitus plane de hac virtute eum loqui, cujus magnopere se indigere fatetur. Itaque primo loco ait, quod ii etiam, qui cæci vivunt, patientiam, veluti sublimiorem virtutem honorant: *Bonum ejus (patientiæ) etiam qui cæci vivunt, summæ virtutis appellatione honorant*. Ipsi etiam Philosophi Ethnici, cum inter sese variis sectarum libidinibus, & sententiarum æmulationibus discordent, solius tamen patientiæ in commune memores, illi subsignant, in eam conspirant, in eam fœderantur, ejus excellentiam fatentur ac necessitatem. Patientia insuper *Fidem munit*, pacem gubernat, *Dilectionem adjuvat*, carnem regit, spiritum servat, linguam frenat, manum continet, tentationes inculcat, scandala pellit, martyria consummat, pauperem consolatur, divitem temperat, fidelem delectat, gentilem invitat, servum domino, dominum Deo commendat, amatur in puero, laudatur in juvene, suspicitur in sene; in omni sexu: *In omni ætate formosa est*. Vultus ejus tranquillus & placidus; frons pura, nulla mœroris aut iræ rugositate contracta: humilis est patientia, ac taciturnitatis honore signata; simplex & aperta: cum Spiritus Dei descendit, individua patientia comitatur eum; sine sua comite ac ministra, omni loco ac tempore angatur necesse est. Hæc igitur patientiæ ratio, hæc disciplina, hæc opera cœlestis & veræ, scilicet christianæ patientiæ; non ut illa patientia gentium terræ, falsa probrosa, quam Diabolus, ut æmularetur Domino, docuit discipulos suos.

Elogium Patientiæ. cap. 1.

Cap. 16.

III. Cæterum nos amemus patientiam Dei, prosequitur Doctor iste, patientiam Christi; rependamus illi, quam pro nobis ipse dependit: *Offeramus patientiam spiritus, patientiam carnis*. Ad hanc patientiam nos cohortatur primo ipsius Dei exemplo, cujus tanta est patientia, ut lucem suam super justos & injustos æqualiter spargat, & officia temporum dignis simul & indignis patiatur simul occurrere; immo tanta est etiam Dei patientia, ut aliquibus scandalo ea fit, & Dominum idcirco plures non credant, quia sæculo iratum tamdiu nesciunt. Secundo ad patientiam nos cohortatur exemplo summæ Salvatoris patientiæ, qui nasci se in utero Matris passus est, & expectavit, & natus adolescere sustinuit, ingratos curavit, insidiatoribus cessit, pati tandem ac mortem subire in deliciis habuit; ita ut asserere possimus, voluisse eum voluptate patientiæ saginari antequam ex hac vita migraret: *Sed saginari voluptate patientiæ discessurus volebat*.

Momenta, quæ ad hujus virtutis exercitiũ nos movere debent. cap. 2.

IV. Patientia nostram probat fidem, sicut Abrahæ fidem probavit, qui cum filium immolare jussus est, patienter audivit, & præceptum illud, si Deus voluisset, implesset. Iste igitur Patriarcha *merito fidelis, quia & patiens*: & idem veteri lege parum admodum virtus hæc enituit, quia nondum in terris fides aderat: *Nondum enim patientia in terris, quia nec fides*. Verum postquam Magister noster ac Salvator su-

Utilitates patientiæ. cap. 5.

Cap. 6.

II.&III. SÆCULUM. pervenit, & gratiam fidei patientia composuit, absolute necessariam reddidit hominibus hanc virtutem; per patientiam quippe Filii efficiuntur Patris cœlestis, uti reipsa esse debent prout ipse Salvator habet de dilectione inimicorum verba faciens: *Ut filii sitis Patris vestri cœlestis. Vides*, immediate subdit Tertullianus, *quem nobis Patrem patientia acquirat*. Primo igitur id præstat utilitatis patientia, quod nos fideles efficit, & Dei filios.

V. Ex hac eadem patientiæ virtute contemptus temporalium bonorum procedit. Christianus qui vere patiens sit jacturam horum bonorum hilari fert animo, cum probe sciat, nihil vere nostrum esse, quia omnia Dei sunt, sicut & nos Dei sumus: *Nihil enim nostrum, quoniam Dei omnia, cujus ipsi quoque nos*. Itaque si damno affecti impatienter senserimus, de non nostro amissum dolentes, affines cupiditatis deprehendemur: alienum quærimus, quum alienum amissum ægre sustinemus. Libentes igitur terrena amittamus, cœlestia tueamur. *Totum licet sæculum pereat, dum patientiam lucrifaciam.*

Cap. 8. VI. Nec dolet qui vere patiens est, etiamsi honor ejus lædatur. Injurias ac contumelias de facili remittit; & si vindictam non sumit de persecutoribus suis, per patientiam id operatur: *Fatigetur improbitas patientia tua .... plus improbum illum cædis sustinendo ..... Nempe idcirco quis te lædit, ut doleas; quia fructus lædentis in dolore læsi est. Ergo cum fructum ejus everteris non dolendo, ipse doleat necesse est, amissione fructus sui.* Animadvertere hic optimum erit, summopere ingeniosum esse Tertullianum in persuadendo.

Cap. 9. VII. Alia patientiæ utilitas est, quod in amissione nostrorum absque ullo dolore expectamus futuram eorum resurrectionem; hincque credimus eorum mortem esse profectionem ad hanc resurrectionem: *Profectio est*, inquit Tertullianus, *quam putas mortem*. Est &

Cap. 10. alia patientiæ utilitas; quod vel minimum vindictæ desiderium in nobis ipsis extinguit; quod quidem desiderium nunquam non Domino odiosum, apud quem solum potestas residet exequendæ ultionis de iniquitatibus hominum. Hinc observatione dignum est, quod hoc loco notat Tertullianus, nullum scilicet haberi discrimen in Domini conspectu inter provocantem & provocatum, cum uterque æque lædat charitatis præceptum: *Quid enim refert*, inquit ille, *inter provocantem & provocatum .... Uterque læsi hominis Domino reus est, qui omne nequam & prohibet, & damnat.*

Cap. 11. Tandem per patientiam multiplicia mali spiritus incitamenta vitamus, ac æternæ vitæ felicitatem consequi possumus, prout ipse docet Salvator his verbis: Beati pauperes spiritu, quoniam ipsorum est regnum cœlorum (a). *Nullus profecto*, subdit Tertullianus, *spiritu pauper, nisi humilis; quis enim humilis, nisi patiens*. Hæc de patientia satis superque sunt, ut vel ipsi etiam impatientes hanc amplectantur virtutem.

CAPUT TERTIUM.

DE MARTYRIO.

I. ANtequam de Martyrio verba faciamus, optimum erit compendium quoddam Lectori tradere cujusdam Tertulliani exhortationis ad Confessores Jesu Christi, in qua eosdem adhortatur ad constantiam in fide, & alacritatem in perferendo carceris squalore. Brevissima est adhortatio hæc, at pulcherrimas adeo instructiones complectitur & documenta, ut fieri nequeat, quo minus ea quæ notabiliora sunt exscribam. In primis ergo Tertullianus eos monet, ut nolint contristare Spiritum Sanctum, qui cum illis

Consolationis monita exarantur pro Confessoribus in carcere detentis. Ad Martyr. cap. 1. carcerem ingressus est; & ibidem tamdiu perseverabit, quamdiu illi. Fatetur utique, carcerem esse diaboli domum, in qua familiam suam continet: *Sed vos*, illico subdit, *ideo in carcerem pervenistis, ut illum etiam in domo sua conculcetis.*

II. Ut autem animos & alacritatem illis addat in perferendis carceris ærumnis, iisdem vividissime repræsentat, ipsum magis mundum carcerem esse, ideoque exisse eos potius e carcere, quam in carcerem introisse. Nihil quippe interest ubi sit Christianus, qui etiam extra carcerem sæculo renuntiavit: immo plus in carcere spiritus acquirit, quia non videt deos alienos, nec in loca libidinum publicarum oculi ejus impingunt, vacat a scandalis, a tentationibus, a re-

Cap. 2. cordationibus malis &c. *Hoc præstat carcer Christiano*, prosequitur idem Tertullianus, *quod eremus Prophetis .... Auferamus carceris nomen, secessum vocemus.* Etsi corpus includitur, etsi caro detinetur, omnia spiritui patent. Vagare spiritu, spatiare spiritu, illam viam proponens tibi, quæ ad Deum ducit: *Quoties eam spiritu deambulaveris, toties in carcere non eris.* II.&III. SÆCULUM.

III. Carcer iste, etsi molestus, vires tamen ministrat ad pugnam, & ad victoriam aptiores efficit: Cap. 3.
nempe enim & Athletæ segregantur ad strictiorem disciplinam, ut robori ædificando vacent: siquidem *Virtus duritia extruitur, mollitia vero destruitur*. Scimus utique ex Dominico præcepto, quod caro infirma sit, spiritus promptus: non ergo nobis blandiamur, quia Dominus consensit, carnem infirmam esse; Cap. 4.
propterea enim prædixit spiritum promptum esse, ut ostenderet, quid cui debeat esse subjectum, scilicet, ut caro serviat spiritui, infirmior fortiori, ut ab eo etiam ipsa fortitudinem assumat. Profert deinde Tertullianus exempla plurimorum utriusque sexus, qui gladium, ignem, crucem, bestias contempserunt sub Cap. 5.
præmio laudis humanæ; atque inde concludit, pudore suffundi debere Christianos, si reformidaverint pati pro veritate in salutem, quod alii affectaverunt pro vanitate in perditionem. Hæc sunt notabiliora, quæ comprehenduntur in Tertulliani exhortatione ad Martyres, quæ etsi brevissima sit, ea omnia nihilominus complectitur, quæ eorum patientiam in carceris squalore, cæterisque tormentis perferendis mirum in modum juvant. Verum eidem Domino nos pariter inservimus; in eamdem militiam adscripti sumus; eadem fortasse tormenta subire debemus; has igitur sanctas veritates cordi alte insigamus, ut eamdem cum Patribus ac majoribus nostris palmam reportare possimus.

IV. Tertulliani ætate quidam aderant Hæretici hostes martyrii, inter quos Cainitæ, qui nullum non movebant lapidem, ut rudioribus suaderent, ideo martyrium inutile opus esse, quia Jesus Christus passus erat ut a morte nos liberaret. Hos adoritur Tertullianus in suo libro, cui titulus *Scorpiace*, velut si dicas, antidotum contra Scorpii morsus; in eoque pluribus Sacrarum Scripturarum auctoritatibus probat necessitatem martyrii, cum per martyrium solummodo tunc temporis vitari potuerit idololatria, quam Deus damnat, ac punit. „ Si enim, inquit egregius iste
„ Doctor, præceptum observatum vim patitur, hoc Necessitas Martyrii. Scorpiac. cap. 4.
„ erit quodammodo observandi præceptum, ut id patiar, per quod potero observare præceptum; vim „ scilicet, quæcumque mihi imminet caventi ab ido„ lolatria. Et utique qui imposuit præceptum, extor„ quet obsequium: „ *Non potuit ergo noluisse ea evenire, per quæ constabit obsequium.*

V. Constat igitur, teneri nos ad martyrium subeundum, quando de idololatria agatur, & hæc fidei nostræ exhibitio certissime Deo accepta erit. Obnititur Deus approbat Martyria. cap. 5.
& adversatur idololatriæ martyrium; Deus vetat idololatriam, quia mala est; bonum igitur est martyrium apud eumdem Deum; nam quod opponitur malo, non nisi bonum esse potest; Martyrium liberat ab idololatria: quod a malo liberat, quis non bonum pronuntiabit? In tantum vita martyrio deputabitur, quantum morti idololatria: vitam qui malum dixerit, habet mortem quam bonum dicat. Grave utique est martyrium naturæ corruptæ; verum est via, per quam ad verum bonum pervenitur; sic ægrotus & gemens, & mugiens inter manus medici, remedia, quæ necessario contristant adhibet, ut sanus fiat. Deus est veluti medicus, qui ad tempus carnem lædit, ut animam servet, & per momentaneam sævitiam ab æternis malis liberat: *De momentaneis æterna medicante.*

VI. Bonus est martyrii finis, cum per hoc de Diabolo adversario nostro triumphum reportemus. Agonas istos, contentiosa solemnia, & superstitiosa certamina Græcarum & religionum & voluptatum, quan- Cap. 6.
tum gratia sæculum celebret, etiam Africæ innotescit: ita ab ævo dignissimum creditum est stadiorum experimentum, ubi prælia, vulnera, &c. nemo tamen agonis præsidem sugillaverit, quod homines violentiæ objectat. Deum dedecebit artes & disciplinas suas educere in medium, in hoc sæculi spatium, in spectaculum hominibus & angelis, & universis potestatibus? carnem atque animam probare de constantia, atque tolerantia? Quomodo multæ mansiones apud Patrem, si non pro varietate meritorum? Quomodo & stella a stella distabit in gloria, nisi pro diversitate radiorum? Prospexerat Deus, etiam post lavacrum periclitaturam plurimorum fidem, perituros plerosque rursum post salutem: *Posuit igitur secunda solatia, extrema præsidia, dimicationem martyrii, & lavacrum sanguinis exinde securum .... Proprie enim martyribus nihil jam reputari potest, quibus in lavacro ipsa vita deponitur.* Sic dilectio operit multitudinem delictorum, quæ Deum scilicet diligens ex totis viribus suis, quibus

(a) Matth. cap. 5. vers. 3.

II.&III. SECULUM.

bus in martyrio decertat; ex tota anima sua, quam pro Deo ponit, hominem martyrem excudit.

Objectio quædam circa Martyrium soluta. cap. 7.

VII. Perperam autem objiceretur, Deum homicidam esse, qui hominum sanguinem postulat. Utique homicida est, immo plusquam homicida, cum filios suos jugulet, prout Salomonis voce Deus ipse pronuntiavit, *Sophia*, inquiens, *jugulavit filios suos*. O panicidii ingenium! o sceleris artificium! o argumentum crudelitatis! *qui idcirco occidit, ne moriatur quem occiderit* .... O bonam matrem! *Opto & ego in filios ejus redigi, ut ab ea occidar. Opto occidi, ut filius fiam*. Vides quomodo etiam proprium filium suum primogenitum & unigenitum Sophia divina jugulaverit. Possum dicere cum Sophia Dei: Christus est qui se tradidit pro delictis nostris: *Jam & semetipsam Sophia trucidavit*.

Martyrii fuit semper Justorum pars ac portio. cap. 8.

VIII. *A primordio justitia vim patitur. Statim ut coli Deus cœpit, invidiam Religio sortita est*. Et deinceps veri Dei cultores persecutionem semper passi sunt. „ Qui Deo placuerat (Abel) occiditur, & quidem a fratre; David exagitatur, Elias fugatur, „ Jeremias lapidatur, Isaias secatur, Zacharias trucidatur, Joannes (Baptista) contumeliosa cæde truncatur, tres pueri in fornacem ignis missi sunt, Daniel in lacum leonum. „ In novo Testamento martyrii necessitatem ostendit Jesus Christus cum ait: Omnis igitur qui me confessus fuerit coram hominibus, & ego confitebor illum coram patre meo qui in cœlis est: idipsum insuper ostendit pluribus aliis Evangelii textibus. Eamdem tradiderunt doctrinam Apostoli in suis scriptis, & sanguine suo confirmarunt. Divus Petrus Romæ crucifixus est, Divus Paulus ibidem martyrio coronatus est. Quid ultra requirebatur, ut hæretici martyrii hostes aperte dignoscerent, nonnisi per summum nefas ab ipsis derogari martyrio, ingenti scilicet bono, quo non majus aliud in terris adinvenire datur?

Cap. 9. 10. 11.

CAPUT QUARTUM.

DE MATRIMONIO, ET DE CÆLIBATU.

I. ETsi verba fecerimus de Matrimonio in superiori Sectione, non abs re tamen erit, moralia documenta hoc loco tradere, quæ in Tertulliano quoad hoc Sacramentum occurrunt. Selectiora exscribam, quorum primum Matrimonii Christiani utilitates respicit. „ Quale jugum, inquit ille, fidelium duorum „ unius spei, unius voti, unius disciplinæ, ejusdem „ servitutis! *Ambo fratres, ambo conservi, nulla spiritus carnisve discretio*: atquin vere duo in carne „ una. Ubi una caro, unus & spiritus. Simul orant, „ simul volutantur, simul jejunia transigunt, alterutro „ docentes, alterutro hortantes, alterutro sustinentes. „ In Ecclesia Dei pariter utrique, pariter *in convivio* „ *Dei* (observanda sunt verba hæc, quæ de Eucharistia sunt intelligenda), pariter in angustiis, in persecutionibus, in refrigeriis. Neuter alterum celat, „ neuter alterum vitat, neuter alteri gravis est. Libere æger visitatur; indigens sustentatur. Eleemosynæ „ sine tormento, sacrificia sine scrupulo, quotidiana „ diligentia sine impedimento. *Non furtiva signatio*, „ non trepida gratulatio, *Non mutua benedictio*. Sonant inter duos psalmi & hymni, & mutuo provocant quis melius Deo suo cantet. Talia Christus „ videns & audiens gaudet: his pacem suam mittit. „ Ubi duo, ibi & ipse: ubi & ipse, ibi & Malus „ (Diabolus) non est .... *Non licet*, subjungit idem Tertullianus, *aliter fidelibus nubere*; & etiamsi liceret, *non expedit*. Habes modo Christianum Matrimonium graphice depictum. Utinam Matrimonia, quæ hodie celebrantur, hisce benedictionibus cumularentur! Ast heu! quam multa reipsa Christiana non sunt, & Christianum solummodo nomen præseferunt!

Utilitates Matrimonii Christiani. Lib. 2. ad Uxor. cap. 8.

II. Hisce momentis vehementer permotus Tertullianus, uxorem suam hortatur, ut si post ipsius mortem secundas velit nuptias contrahere, nubat in Domino, ut monet Apostolus, Christianum virum sibi copulans. Deinde eam docet, quod quanto nubere in Domino facile est, tanto culpabilius est contrarium perpetrare: Hinc Apostolus has in Domino nuptias non suadet, sed exerte jubet. Quando quis in matrimonio gentili vivens ad veram fidem convertitur, non debet uxorem dimittere, sicut nec uxor virum in simili casu, sed pacifice cum eadem vivere debet, in spe eamdem Christo Domino lucrandi: sed valde periculosum est si quis ad Christum jam conversus, cum infideli matrimonium contrahat. 1°. quia caro fidelis, quæ sanctificata est, inquinatur in carne gentili: *Et primo quidem carnis sanitas in carne gentili inquinamentum*. 2°. Quia qui hoc agit, stupri reus est, excommunicatione puniendus: *Fideles gentilium matrimonia subeuntes, stupri reos esse constat, & arcendos ab omni communicatione fraternitatis*.

Pericula quibus exponuntur Fideles, qui Gentilium Matrimonia subeunt. cap. 1. 2.

Cap. 3.

III. Docet deinceps Tertullianus per hujusmodi Matrimonia Christianorum fidem, & pietatis opera obliterari. „ Quis enim dubitet, ait ille, obliterari quotidie fidem commercio infideli? Bonos corrumpunt „ mores confabulationes malæ: quanto magis & convictus, & individuus usus? Quomodo mulier fidelis potest duobus Dominis servire, Domino, & „ marito, adde gentili? gentilem enim observando „ gentilia exhibebit, formam, extructionem, munditias sæculares, blanditias turpiores &c. Si statio „ facienda est, maritus de die condicet ad balneas: „ si jejunia observanda sint, eadem die convivium „ exercebit: si procedendum erit, nunquam magis „ familiæ occupatio obveniet. Quis autem sinat, „ conjugem suam visitandorum fratrum gratia, vicatim aliena & quidem pauperiora quæque tuguria „ circuire? Quis nocturnis convocationibus, si ita „ oportuerit, a latere suo adimi libenter feret? Quis „ denique solemnibus Paschæ abnoctantem securus sustinebit? Quis ad convivium illud Dominicum, „ quod infamant, sine sua suspicione dimittet? Quis „ in carcerem ad osculanda vincula martyris reptare „ patietur? Jam vero alicui fratrum ad osculum convenire? aquam Sanctorum pedibus offerre? de cibo, „ de poculo invadere, desiderare, in mente habere? „ Si peregre frater adveniat, quod in aliena domo „ hospitium?

Cap. 4.

„ IV. Sed aliquis sustinet nostra, nec obstrepit. „ Hoc est igitur delictum, quod Gentiles nostra noverunt, quod sub conscientia injustorum fumus, „ quod beneficium eorum est, si quid operamur. „ Non potest nescire, qui sustinet: aut si celatur „ quia non sustinet, timetur .... *Latebisne tu, cum lectulum, cum corpusculum tuum signas, cum aliquid immundum flans explodis, cum etiam per noctem exurgis oratum? Et non magis aliquid videberis operari? Non sciet maritus, quid secreto ante omnem cibum gustes? & si sciverit panem, non illum credit esse qui dicitur*. Sustinent quidam, reponet tu: sed ut inculcent, ut inludant hujusmodi „ fœminis, quarum arcana in periculum quod credunt „ reservent, si forte lædantur. Sustinent, quarum dotes, subjectione nominis, mercedem silentii faciant; „ scilicet apud arbitrum speculatorem litigaturi: quod „ pleræque non providentes, aut re excruciata, aut „ fide perdita, recognoscere consuerunt.

Cap. 5.

„ V. Moratur Dei ancilla cum laboribus alienis, „ & inter Ethnicorum solemnitates procedet de janua „ laureata, & lucernata, ut de novo consistorio libidinum publicarum, & discumbet cum marito in sodalitiis, sæpe in popinis. Quid maritus suus illi, „ vel marito quid illa cantabit? Audiat sane, audiat „ aliquid de scena, de taberna, de ganea. Quæ Dei „ mentio, quæ Christi invocatio? ubi fomenta fidei „ de Scripturarum interjectione .... ubi divina benedictio? Omnia extranea, omnia inimica, omnia „ damnata, atterendæ saluti a malo immissa. Hæc „ si illis quoque evenire possint, quæ in matrimonio „ gentili fidem adeptæ morantur, tamen excusantur, „ ut in ipsis deprehensæ a Deo, & jubentur perseverare, & sanctificantur, & spem lucrationis accipiunt. Prospere illius hujusmodi matrimonium cedet, *Habens jam ex parte divina gratiæ patrocinium*. Nam & aliquam virtutem cœlestem documentis dignationis alicujus vocatus ille de gentibus terrori est gentili, quo minus sibi obstrepat, minus „ sciat, minus speculetur. Sensit magnalia, vidit experimenta, scit meliorem factam: sic & ipse Dei „ candidatus est timore. Ita facile hujusmodi lucrifiunt, in quos Dei gratia consuetudinem fecit. Cæterum, aliud est ultro & sponte in prohibita descendere, quæ Domino non placent, utique Dominum offendunt, utique a malo inferuntur. Hoc signi erit, quod solis pejoribus placet nomen Christianum; ideo inveniuntur qui tales non exhorreant, „ ut exterminent, ut abripiant, ut a fide excludant. „ Docet inferius Tertullianus, non esse attendendas divitias, quando de matrimonio agitur, sed præ oculis habendam esse virtutem ac pietatem. Hujusce veritatis oblivio in caussa fuit, eritque semper plurimorum malorum ac ærumnarum in universo terrarum orbe.

Cap. 6.

Cap. 7.

Cap. 8.

VI. Quoad Cælibatum, quem expendere in secunda hujus capitis parte promisimus, Tertullianus primo loco docet, possibilem esse continentiam. Hanc Doctrinam ille probat aptissime in suo Tractatu de Monogamia. Nos Castitatis elogium exscribemus, & ea quæ majoris momenti videntur circa Cælibatum tradēmus. Ait itaque: *Pudicitia est flos morum, honor*

Continentia possibilis. Lib. de Monog. cap. 14.

II.&III. SECULUM.

Elogium Castitatis. Lib. de Pudicit. c. 1.

nor corporum, decor sexuum; fundamentum sanctitatis, præjudicium omnis bonæ mentis; *Quamquam rara, nec facile perfecta, vixque perpetua*. Ex his eruitur, Tertullianum habuisse Castitatem, veluti peculiare Spiritus Sancti donum, & singularem gratiæ Salvatoris effectum.

Inanes prætextus, ac suffragia adversus Continentiam a Tertulliano exsufflata. Lib. 1. ad Uxor. c. 4.

VII. Verum possibilis est Continentia, ut superius noster hic Auctor docuit, & evidenter deprehenditur ex ejusdem verbis paulo supra enunciatis. Sed carnem legimus infirmam, habet ille alio loco, & hinc nobis adulamur in quibusdam: *Legimus tamen & spiritum firmum*. Nam in uno sensu utrumque positum est: Caro terrena materia est, spiritus vero cœlestis. Cur ergo ad excusationem proniores, quæ in nobis infirma sunt, opponimus; quæ vero fortia, non tuemur? Cur cœlestibus terrena non cedant? Si spiritus carne fortior, quia & generosior, nostra culpa infirmiorem sectamur. Nam disjunctis a matrimonio, duæ species humanæ imbecillitatis necessarias nuptias faciunt. Prima quidem potentissima, quæ venit de concupiscentia carnis: Secunda de concupiscentia sæculi. Carnis concupiscentia dicit virum necessarium sexui, ut auctoritatis & solatii caussam, vel ut a malis rumoribus tuta sit. At tu adversus consilia hæc ejus, adhibe sororum nostrarum exempla, quæ nullam formæ vel ætatis occasionem, præmissis maritis, sanctitati anteponunt, & in cælibatu vivunt. Cæterum, hæc sæcularis concupiscentia caussas habet, gloriam, cupiditatem, ambitionem, insufficientiam, per quas necessitatem nubendi subornat. Ast, hæc procul a fidelibus, quibus nulla cura tolerandæ vitæ, nisi si diffidimus de promissis Dei, qui lilia agri tanta gratia vestit, qui volatilia cœli nullo ipsorum labore pascit.

Cap. 5.

Adjiciunt quidem sibi homines caussas nuptiarum de sollicitudine posteritatis, & liberorum amarissima voluptate. At, si voluptas in hoc adinvenitur, voluptas est quam amaritudo comitatur; voluptas est, qua carere possunt absque molestia Christiani.

Cap. 6.

Attendant sane, quot sunt, qui statim a lavacro carnem suam obsignant; quot item, qui consensu pari inter se matrimonii debitum tollunt: durum quippe ac arduum esse non potest continentiam Dei caussa servare, cum Gentiles Satanæ suo & virginitatis, & viduitatis sacerdotio pereant. Habes modo in compendium redacta quæ Tertullianus ad uxorem suam repræsentat, ut a secundo incundo matrimonio eamdem abducat. Quæ quidem omnia pluribus exhibenda essent, qui post primas nuptias, quasi continentia impossibilis sit, ad secundas convolant.

CAPUT QUINTUM.

DE CULTU FOEMINARUM, ET DE VELO VIRGINUM.

Foeminas humiles ac pœnitentes esse debet mulieres ob peccatum & condemnationem fœminei sexus in persona Evæ. Lib. de cultu fem. cap. 1. 2.

I. DUos libros De Cultu Fœminarum conscripsit Tertullianus. Modo afferemus quæ notabiliora occurrunt in horum primo. Ait igitur initio hujus libri, quod si fœminæ de sua, hoc est, de fœminæ conditione cogitarent, lætiorem habitum, ne dicam gloriosiorem non appeterent, sed potius in sordibus agerent, & squalorem potius affectarent, ipsam circumferentes Evam lugentem & pœnitentem, quo plenius id quod de Eva trahunt, (scilicet ignominiam primi delicti, & invidiam perditionis humanæ) omnis satisfactionis habitu expiarent. Ut autem mulieres a vano cultu omnino abducat, addit, Angelos Apostatas, vanorum ornamentorum adinventores fuisse. Cum enim materias quasdam, inquit Tertullianus, Angeli isti prodidissent, proprie & quasi peculiariter fœminis instrumentum istud muliebris gloriæ contulerunt; lumina lapillorum, quibus monilia variantur; & circulos ex auro, quibus brachia arctantur; & medicamenta ex fuco, quibus lanæ colorantur; & illum ipsum nigrum pulverem, quo oculorum exordia producuntur. Certi enim erant Angeli isti, omnem & gloriam, & ambitionem, & affectionem per carnem placendi, Deo displicere; hinc illud ipsum bonum fœminarum naturalis decoris, ut caussam mali sic remuneraverunt, ne eis profuisset felicitas sua, sed ut devectæ de simplicitate & sinceritate, una cum ipsis in offensam Dei pervenirent.

Angeli Apostatæ adinventores vanorum ornamentorum fœminarum. c. 2.

Hi sunt nempe Angeli, quos judicaturi sumus: hi sunt Angeli, quos in lavacro renuntiamus. Quid ergo faciunt apud judices suos res eorum? Qua constantia tribunal illud ascendimus, decreturi adversus eos, quorum munera appetimus? Illi potius nos judicabunt, atque damnabunt.

Vani isti ornatus opponuntur instituti Dei. c. 4.

II. Aurum, argentum, lapillos non condidit Deus ad fœminarum cultum & vanitatem: medicamenta, quibus lanæ colorantur colorem a natura inditum amittentes, extranea sunt, & institutioni Conditoris opposita; non enim in hunc finem ea creavit Deus. „ Non placet Deo, inquit egregie Tertullianus, quod „ non ipse produxit: nisi si non potuit purpureas „ & aerinas oves nasci jubere: si potuit, ergo jam „ noluit. Quod Deus noluit, utique non licet fingi. „ Non ergo natura optima sunt ista, quæ a Deo non „ sunt auctore naturæ. Sic a Diabolo esse intelligun„ tur, ab interpolatore naturæ; alterius enim esse non „ possunt, si Dei non sunt. „ Igitur rectæ rationis abusus est hisce omnibus uti, & institutioni Creatoris usus iste adversatur; fovent quippe vanitatem sæcularium gentium. Hæc omnia de raritate & peregrinitate sola gratiam possident. Hinc uno lino decies sestertium inseritur; saltus & insulas tenera cervix circumfert; graciles aurium cutes calendarium expendunt. Hæ sunt vires ambitionis, tantarum usurarum substantiam uno, & muliebri corpusculo bajulare.

Mulieres, quæ ornatus ac cultus amant, castitatem non colunt. Lib. 2. c. 1.

III. Tertullianus ut Christianas mulieres a pompis sæculi ac cultu, de quo in primo libro verba fecit, abducat, docet eas initio secundi; castitatem, quam servare debent quia templum Dei sunt, illato in illas, & consecrato Spiritu Sancto, castitatem, inquam illarum non debere simpliciter consistere in sola carnis integritate, & stupri aversatione, sed in perfecta abrenuntiatione omni cultus & ornatus dispositioni, ac omnibus studiis formæ & nitoris: nam perfectæ, idest christianæ pudicitiæ proprium esse debet, non solum non appetere sui petitionem, sed etiam eam execrari;

Momenta, ob quæ vanis hisce ornatibus abrenunciare debent mulieres. cap. 2.

Primo, quod non de integra conscientia venit studium placendi per decorem, quem naturaliter invitatorem libidinis scimus. 2°. Quia tentationibus viam sternere non debemus, quæ nonnumquam instando perficiunt; certe vel spiritum scandalo permovent. 3°. Quia debemus ita sancte, & tota fidei substantia incedere, ut confisi & securi simus de conscientia nostra, optantes perseverare id in nobis, non tamen præsumentes; *Nam qui præsumit, minus jam veretur; qui minus veretur, minus præcavet; qui minus præcavet, plus periclitatur. Timor fundamentum salutis est .... Utilius ergo si speremus nos posse delinquere, quam si præsumamus non posse; sperando enim timebimus, timendo cavebimus*, *cavendo salvi erimus*.

Utilitas & necessitas timoris. ibid.

Qui reformatæ, ut ajunt, Religioni nomen dederunt, nescio an hujusmodi veritatibus assentiri ac subscribere velint. Indubium saltem est, has nequaquam conciliari posse cum plena fiducia, quam se habere dicunt æternæ salutis consequendæ. Fiducia hæc, quidquid in oppositum blaterent, præsumptio est diabolica, per quam tollitur timor, circumspectio ac prudentia, adeoque spes salutis; cum, juxta Tertulliani phrasim, Timor sit fundamentum salutis.

Sequuntur momenta, ob quæ vanis ornatibus abrenuntiare debēt mulieres. ibid.

IV. Quarto vanis hisce ornatibus abrenuntiare debent mulieres ex dilectione in proximum. *Cum igitur*, inquit Tertullianus, *& nostra, & aliorum caussa verseretur in studio periculosissimi decoris, jam non tantum confictæ & elaboratæ pulchritudinis suggestum recusandum a vobis sciatis, sed etiam naturalis speciositatis obliterandum dissimulatione & incuria, ut perinde oculorum incursibus molestum*. Nam etsi accusandus decor non est, ut felicitas corporis, ut divinæ plasticæ accessio, ut animæ aliqua vestis bona; *timendus est tamen (decor iste)*, propter injuriam & violentiam sectatorum, hoc est hominum carnalium. Tertullianus quintum adjungit momentum, quia scilicet hæc pulchritudo, & hæc ornamenta fidelibus, quos Angelos Dei appellat, necessaria non sunt:

Cap. 3.

Sufficit quod Angelis Dei non est necessaria. Nam ubi pudicitia, ibi vacua est pulchritudo. Uno verbo, Christianis nullum gloriæ studium esse debet; & si gloriandum est, in spiritus bonis, non in carne placere velle debemus, quia spiritualium sectatores sumus. De his gloriam carpamus, de quibus salutem speramus. *Plane gloriabitur Christianus in carne, sed cum propter Christum lacerata duraverit .... non ut oculos & suspiria adolescentium post se trahat*.

Cap. 4.

V. Argumentum suum hoc pacto urget Tertullianus. *Vos solis maritis*, mulieres, ut supra, alloquitur, *vestris placere debetis*. „ In tantum autem place„ bitis eis, in quantum aliis placere non curaveritis. „ Securæ estote, benedictæ: uxor nulla deformis est „ marito suo .... ne qua vestrum putet, si tempera„ verit a compositione sui, odium & aversionem ma„ ritorum prosecuturam: omnis maritus castitatis exa„ ctor est; *formam vero fidelis non spectat*; quia non „ iisdem bonis, quæ Gentiles bona putant, capimur. „ Hæc utique non in crudam in totum & ferinam „ habitudinem insinuanda vobis suggeruntur, nec de „ bono squaloris & pædoris suademus, sed de modo, „ & cardine, & justitia corporis excolendi.

Cap. 5.

Non supergrediendum in ornando corpore, ultra quam simplices & sufficientes munditiæ concupiscunt.

VI. In

II.&III. SÆCULUM.

Adversus fucum, sive pigmentum. c. 5.

„ VI. In illum enim (Deum) delinquunt, quæ curem medicaminibus urgent, genas rubore maculant, oculos fuligine porrigunt: Displicet nimirum illis plastica Dei: in ipsis se nimirum arguunt & reprehendunt artificem omnium. Reprehendunt enim cum emendant, cum adjiciunt, utique ab adversario artifice sumentes additamenta. Is est Diabolus. Nam quis corpus mutare monstraret, nisi qui & hominis spiritum malitia transfiguravit? Ille indubitate hujusmodi ingenia concinnavit, ut in vobis pareat manus vos quodammodo Deo inferre. Quod nascitur, opus Dei est. Ergo quod infingitur, diaboli negotium est, *Divino operi Satanæ ingenia superducere, quam scelestum est!* Quantum autem a vestris disciplinis & professionibus aliena sunt, quam indigna nomine Christiano, faciem fictam gestare, quibus simplicitas omnis indicitur? Effigie mentiri, quibus lingua non licet? Appetere quod datum non sit, quibus alieni abstinentia traditur? Adulterium in specie exercere, quibus studium pudicitiæ sit? Credite benedictæ: quomodo præcepta Dei custodietis, liniamenta ejus in vobis non custodientes? „

Vani ornatus excusari non possunt in fœminis Christianis. c. 11.

VII. Quia vero reponi posset, quasdam quandoque occasiones occurrere, in quibus pompæ omnes in publicum proferri debent, respondet Tertullianus, Christianas mulieres, non nisi ex Religionis caussa prodire in publicum debere. „ Vobis autem nulla procedendi caussa non tetrica. Aut imbecillus aliquis ex fratribus visitatur, aut sacrificium offertur, aut Dei sermo administratur. Quid vis horum, gravitatis & sanctitatis negotium est, cui opus non sit habitu extraordinario, & composito, & soluto. Ac si necessitas amicitiarum, officiorumque Gentilium vos vocat, cur non vestris armis indutæ procedatis, tanto magis, quanto ad extraneas fidei? ut sit inter Dei ancillas, & Diaboli, discrimen: ut exemplo sitis illis, ut ædificentur in vobis: ut (quomodo ait Apostolus) magnificetur Deus in corpore vestro: magnificatur autem in corpore, per pudicitiam, utique & per habitum pudicitiæ competentem: „ .... *Pudicitia christianæ satis non est, esse; verum & videri. Tanta enim debet esse plenitudo ejus, ut emanet ab animo ad habitum, erusset a conscientia in superficiem.* Ex his optime deprehenditur, quid dicturus fuisset Tertullianus innumeris iis mulieribus, quæ hodie deliciis affluentes, & vestimentorum varietate superbientes, semetipsas excusare contendunt, testimonium ipsis reddente conscientia ipsarum, quod malum non intendunt, de malo ne cogitant quidem, hominum oculos in se convertere non exoptant. Confundantur insanientes hæ mulieres his solis Tertulliani verbis superius recitatis: Pudicitiæ christianæ satis non est, esse; verum & videri; & hæc emanare debet ab animo ad habitum, a conscientia in superficiem. Quibus sane luxus & vanitas vestium absolute excluditur.

Cap. 13.

Verendum est, ne mulieres vanis ornatibus addictæ, tempore persecutionis fidem negent. c. 13.

VIII. Eo vel maxime Christianæ mulieres omnibus his vanitatibus valedicere deberent, quod timendum est, ut scribit Tertullianus, ne tempore persecutionis ipsæ vanis ornatibus addictæ fidem negent. *Cæterum,* inquit ille, *nescio an manus spatalio circumdari solita, in duritiam catenæ stupescere sustineat. Nescio an crux periscelio lactatum, in nervum se patiatur arctari. Timeo cervicem, ne margaritarum & smaragdorum laqueis occupata, locum spathæ non det.* Pulcherrimis hisce Tertulliani verbis nihil addi potest. Id unum foret optandum, scilicet quod alte infigerentur cordi illarum mulierum, quæ etiamnum hodie, Christiani nominis cum sint, sæculi vanitates avidissime sectantur, quas proinde ipse Tertullianus prostitutas fœminas appellare nequaquam dubitasset.

Veri ornatus fœminarũ Christianarum. cap. 13.

„ IX. Prodite vos, concludit idem Pater, medicamentis & ornamentis exstructæ, Prophetarum, & Apostolorum sumentes de simplicitate candorem, de pudicitia pudorem, depictæ oculos verecundia, & os taciturnitate, inserentes in aures sermones Dei, adnectentes cervicibus jugum Christi: *Caput maritis subjicite, & satis ornatæ eritis.* Manus lanis occupate, pedes domi figite, & plusquam in auro placebitis. Vestite vos serico probitatis, byssino sanctitatis, purpura pudicitiæ. *Taliter pigmentatæ, Deum habebitis amatorem.*

X. Nec magis indulgens deprehenditur idem Tertullianus cum de Virginibus loquitur, quemadmodum probe constat ex ejusdem Tractatu, qui *de velandis Virginibus* inscribitur. In eo ostendere contendit, nulla habita ratione ad multas, easque diversas consuetudines, quæ præscribere nunquam possunt contra veritatem, etsi vetustissimæ sint, omnes in genere virgines velandas esse, quando nubiles evaserint. Hanc doctrinam confirmat auctoritate Apostoli, qui vult, ut fœminæ omnes in Ecclesia velent caput suum; & efficacissime tuetur, Divum Paulum nomine mulieris omnem fœmineum sexum comprehendisse. Alia insuper affert momenta in hujus doctrinæ confirmationem, quæ lector, si lubet, perpendere poterit. Paucissima ex eodem exscribam nunc verba, quæ modestiam christianarum Virginum propriam apprime docent. *Ipsa concupiscentia non latendi,* inquit Tertullianus, de Virginibus verba faciens, *non est pudica. Patitur aliquid quod virgini non sit, studium placendi utique & viris. Quantum velis bona mente conetur, necesse est publicatione sua periclitetur.* Has veritates filias suas non docent hodie parentes: sed econtra ferme omnes urbanitatem, ut ajunt, easdem docent, elegantiam, sæculi oblectamenta antequam de Religione vel unum verbum loquantur; immo sæculi insanias & vanissimam vanitatem, ante dilectionem Dei; ac si non veros Christianæ Religionis sectatores, sed formosos amœnissimosque histriones efformare deberent. Hæ sane sunt, flens dico, plurimorum Christianorum parentum sollicitudines in filiarum suarum educatione. Verum consuetudo nunquam poterit veluti culpa expers illud tueri, quod uti malum lacrymis prosequendum Religio damnat ac reprobat.

II.&III. SÆCULUM.

Virgines Christianæ hominum oculos effugere debent. Lib. de veland. Virginib. c. 14.

CAPUT SEXTUM.

ADVERSUS SPECTACULA.

I. DE spectaculis pariter pertractat Tertullianus in quodam Tractatu in hunc finem concinnato, ut fideles a profanis hisce conventibus averteret, quibus tuta conscientia interesse nequeunt, cum ipsi, prout Christiani sunt, vetiti sint. Illud in primis notabile hac in re est, quod Tertulliano spectacula sunt veluti quædam idololatria; idque probat 1°. ex ipsa origine horum spectaculorum. 2°. ex diversis nominibus, quibus appellabantur, cum hujusmodi ludi alii Cereales dicerentur, alii Neptunales &c. 3°. ex apparatu & pompa, quibus celebrabantur; solius quippe idololatriæ propria erat pompa illa, proprius ille apparatus. 4°. ex locis, in quibus peragebantur, quæ Ethnicorum Numinibus consecrata erant. 5°. tandem quia ethnica omnino erant quæcunque ibi operabantur. Christianus autem nullam debet cum idololatria partem habere, sed eamdem econtra horrere debet, utpote suæ Religioni oppositam: nequit ergo hisce spectaculis interesse.

Prima ratio, per quam spectacula illicita sunt Christianis. Lib. de Spectacul. cap. 5. 6. 7. 8.

II. Debemus insuper ab his spectaculis abesse, quia cum propter diabolum instituta sint, & ex diaboli rebus instructa, sunt vere & proprie pompa diaboli: *Adversus quam (Diaboli pompam) in signaculo fidei ejeramus. Quod autem ejeramus, neque facto, neque dicto, neque prospectu participare debemus. Cæterum nonne ejeramus & rescindimus signaculum, rescindendo testationem ejus.* Eccui autem hæc menti obversantur, vel quis in hæc mala prolabi credit quoties Comœdiis interest, aliisque hujusce generis spectaculis?

Secunda ratio desumpta ex consideratione Baptismi. cap. 24.

III. Deus præcepit, Spiritum Sanctum, utpote pro naturæ suæ bono tenerum & delicatum, tranquillitate & lenitate, & quiete & pace tractare: non furore, non bile, non ira, non dolore inquietare. Huic quomodo cum spectaculis poterit convenire? *Omne enim spectaculum sine concussione spiritus non est.* Ubi enim voluptas, ibi & studium, per quod scilicet voluptas sapit. Ubi studium, ibi & æmulatio. Porro ubi & æmulatio, ibi & furor & bilis, & ira & dolor & cætera ex his, quæ cum his non competunt disciplinæ. Quod si quis modeste, & probe spectaculis fruitur, pro dignitatis, vel ætatis, vel etiam naturæ suæ conditione; impossibile est, inquit Tertullianus, quod immobilis animi sit sine tacita spiritus passione. Cæterum si cessat affectus, prosequitur idem Auctor, nulla est voluptas; *Et est reus jam ille vanitatis, eo conveniens, ubi nihil consequitur. Sed etiam vanitas extranea est nobis:* ergo nunquam licitum est fideli spectaculis interesse.

Tertia ratio desumpta ex cõcussione spiritus, cujus caussa sunt spectacula. cap. 15.

IV. Nec satis est Christiano, si ipse malum quod damnat, vel damnare debet, non committat; debet insuper ab iis separari, qui malum faciunt: *Nobis satis non est, si ipsi nihil tale faciamus, nisi & talia facientibus non conferamur.* Hinc ille in seipsum sententiam dicit, qui cum iis societatem habet, quibus nollet assimilari, & quos testatur horrere. Spectaculis igitur interesse non licet, in quibus innumera patrantur, quæ detestari tenemur, iique adsunt, quibuscum nullum tuta conscientia commercium habere possumus: „ *Et utinam,* addit Tertullianus, *ne in hoc sæculo quidem cum illis moraremur.* Ne igitur hoc nobis dicat Psalmista: si furem videbas, concurrebas

Quarta ratio innititur obligationi cuilibet Christiano impositæ, nulli habendi societatem cũ iis, qui in Theatris ludunt. cap. 16.

II.&III. SÆCULUM.

Quinta ratio eruitur ex impudicitiis ac scurrilibus jocis, qui in theatris exerceri solent. cap. 17.

„ cum eo ; in sæcularibus separamur, quia sæculum Dei est, sæcularia autem diaboli.

„ V. *Similiter impudicitiam omnem amoliri jubemur. Hoc igitur modo*, concludit egregius Doctor, *etiam a theatro separamur, quod est privatum consistorium impudicitiæ, ubi nihil probatur, quam quod alibi non probatur* .... Quod si nobis omnis impudicitia execranda est, cur liceat audire quæ loqui non licet, cum etiam scurrilitatem, & omne vanum verbum judicatum a Deo sciamus? Cur æque liceat videre, quæ facere flagitium est? Cur quæ ore prolata communicant hominem, ea per oculos & aures admissa non videantur hominem communicare, cum spiritui appareant aures & oculi, nec possit mundus præstari, cujus apparitores inquinantur? *Habes igitur*, concludit Tertullianus, *& theatri interdictionem, de interdictione impudicitiæ*. „

Sexta ratio desumitur ex impudicis ac impiis atrocibusque repræsentationibus. c. 18.

VI. Probat insuper eamdem rem Tertullianus, 1°. quia comœdiæ, & tragœdiæ scelerum & libidinum actrices sunt, cruentæ, & lascivæ, & impiæ & prodigæ: *Nullius autem*, addit ille, *rei atrocis aut vilis commemoratio melior est*. 2°. quia comœdi semper infamia notati sunt, & ab omni dignitate exclusi: quod si homines de hisce tale efformant judicium; *Quanto magis divina justitia in hujusmodi artifices animadvertet*. „ Jam vero ipsum opus personarum, quæro an Deo placeat, qui omnem similitudinem vetat fieri, quanto magis imaginis suæ? *Non amat falsum Auctor veritatis .. Adulterium est apud eum omne quod fingitur*. Proinde vocem, sexus, ætates mentientem, amores, iras, gemitus, lacrymas adseverantem non probabit, qui omnem hypocrisim damnat. „ Ex his deprehendant Christiani quid sentiendum sit de immodicis ludis & oblectamentis, quibus determinato quodam anni tempore operam dant, ac si tunc omnia licerent. Attendant, ne nimium sibi indulgeant.

Septima ratio deducitur ex infamia eorum, qui theatralibus ludis operâ navant suâ. c. 22. 23.

Cap. 20.

Nusquam & nusquam excusatur quod Deus damnat; nusquam & nusquam licet, quod semper & ubique non licet .... Non potest aliud esse, quod vere quidem est bonum seu malum.

Octava ac postrema ratio periculis innititur, quibus exponuntur qui spectaculis intersunt. c. 25.

VII. Quod si hæc omnia fideles non movent ut spectaculis valedicant, immo eadem detestentur ac horreant; movebunt saltem quæ modo ex eodem Tertulliano exscribemus pericula, quibus exponuntur qui iisdem intersunt. *An ille recogitabit eo tempore de Deo, positus illic, ubi nihil est de Deo? .... Pudicitiam ediscet, attonitus in mimos?* Immo in omni spectaculo nullum magis scandalum occurret, quam ille ipse mulierum & virorum accuratior cultus, ipsa consensio, ipsa in favoribus aut conspiratio aut dissensio inter se de commercio scintillas libidinum conflabellant. „ Nemo denique in spectaculo ineundo prius cogitat, nisi videri & videre .... Quale est enim (crimen) de Ecclesia Dei in diaboli Ecclesiam tendere? de cœlo (quod ajunt) in cœnum? illas manus, quas ad Deum extuleris, postmodum laudando histrionem fatigare? ex eo, quo *Amen* in sanctum protuleris, gladiatori testimonium reddere? „

Terribile exemplum, quod ad præsens argumentum spectat. c. 26.

VIII. Narrat hoc loco Tertullianus terribile quoddam exemplum, quod ad præsens argumentum spectat. Nam & exemplum accidit (sic ille scribit,) Domino teste, ejus mulieris, quæ theatrum adiit, & inde cum Dæmonio rediit. Itaque in exorcismo, cum oneraretur immundus spiritus, quod ausus esset fidelem aggredi; constanter, *Et justissime quidem*, inquit, *id feci; in meo eam inveni*. „ Quot utique, subjungit idem Doctor, & alia documenta cesserunt de his, qui cum diabolo apud spectacula communicando a Domino exciderunt? Nemo enim potest duobus dominis servire. Quid luci cum tenebris? Quid vitæ & morti?

Prima ratio, quæ in favorem spectaculorum obtenditur; quamque refutat Tertullianus. c. 2.

IX. Solvenda modo sunt ea, quæ adversus huc usque tradita opponere quis posset; quæ quidem eadem ipsa sunt, quæ Tertulliani ætate objici consueverunt. Omnia a Deo instituta sunt, & homini attributa, & utique bona sunt, quia omnia boni auctoris: inter hæc deputantur universa ista, ex quibus spectacula instruuntur: igitur culpæ deputandum non est, spectaculis hisce interesse, cum hæc omnia Dei non sint inimica, quia nec aliena. *Quam sapiens*, illico exclamat Tertullianus, *argumentatrix sibi videtur ignorantia humana, præsertim cum aliquid ejusmodi de gaudiis & fructibus sæculi metuit amittere!* Nemo negat, Deum esse universitatis conditorem, eamque universitatem, & bonam esse, & homini mancipatam: sed nemo pariter ignorat, omnia a dæmone corrupta fuisse; quæ quidem sub hoc respectu considerata nobis vetita esse debent, quia aliquo modo desinunt esse Dei opus, & Creatoris manus in ipsis non deprehenditur. Hinc homo etiam, omnium flagitiorum auctor, non tantum opus Dei est (ratione corporis); verum etiam & imago (ratione animæ): & tamen corpore & spiritu desiit a suo institutore; quia scilicet corporis sensibus abutitur ad concupiscentiam, ad maliloquium, ad vim, ad impudicitiam &c. animæ potentiis ad excogitandas insidias, fraudes, iniquitates.

II.&III. SÆCULUM.

Secunda ratio &c. cap. 3.

X. Reponebant secundo spectaculorum Apologistæ, ex Scripturis vetitum non esse spectaculis interesse. *Plane nusquam invenimus*, respondet Tertullianus, *quemadmodum aperte positum est: Non occides, non idolum coles, &c. ita exerte definitum: Non ibis in circum, non in theatrum .... Sed invenimus ad hanc quoque speciem pertinere illam primam vocem David: Felix vir, qui non abiit in concilium impiorum, &c.* „ Nam etsi, prosequitur Tertullianus, justum illum videtur prædicasse, quod in concilio, & in sessu Judæorum de necando Domino consultantium non communicavit; non est tamen hæc vox aliena a spectaculorum interdictione. Si enim pauculos tunc Judæos impiorum concilium vocavit, quanto magis tantum conventum Ethnici populi? Minus impii ethnici, minus peccatores, minus hostes Christi, quam tunc Judæi? Quid quod & cætera congruunt. Nam apud spectacula & in via statur. Cathedra quoque nominatur ipse in anfractu ad consessum situs. „ *Generaliter dictum intelligamus, cum quid etiam specialiter interpretari cœpit.* Nam & specialiter quædam pronuntiata, generaliter sapiunt: Cum Deus Israelitas admonet disciplinæ, vel objurgat, utique ad omnes habet: cum Ægypto & Æthiopiæ exitium cominatur, in omnem gentem peccatricem præjudicat &c.

Tertia ratio &c. cap. 20.

XI. Ajebant tertio. Deus hæc spectacula de cœlo spectat, nec contaminatur: quare igitur nobis vetita erunt? Quis vero frivola hæc esse statim non deprehendit? *Comparas*, inquit Tertullianus, *homo, reum & judicem*: reum, qui quia videtur, reus est: judicem, qui quia videt, judex est. Numquid ergo & extra limites circi furori studemus, & extra cardines theatri impudicitiam intendimus & insolentiæ extra stadium, & immisericordiæ extra amphitheatrum, quod Deus etiam extra cameras, & gradus, & apulias oculos habet? Sed Deus spectat & latrocinia, spectat & falsa, & adulteria, & fraudes, & idololatrias, & spectacula ipsa: *Et idcirco ergo nos non spectabimus, ne videamur ab illo, qui omnia spectat.* Digna sane Tertulliani ingeniosissimi viri sententia!

Quarta ratio &c. cap. 27. 28. 29. 30.

XII. Tandem potiori jure hodie reponi posset, quam olim, dubia quædam haberi nunc in Comœdiis, & grata, & simplicia, & etiam honesta. „ Nemo venenum, respondet Tertullianus, temperat felle & elleboro, sed conditis pulmentis, & bene saporatis plurimum dulcibus id mali injicit: ita & Diabolus lethale quod conficit, rebus Dei gratissimis, & acceptissimis imbuit. Omnia illic, seu fortia, seu honesta, seu sonora, seu canora, seu subtilia proinde habe, ac si stillicidia mellis de ranunculo venenato: *Nec tanti gulam facias voluptatis, quanti periculum*. Saginentur ejusmodi dulcibus convivæ suæ (diaboli): & loca, & tempora, & invitator ipsorum est. *Nostra cœna, nostræ nuptiæ nondum sunt; non possumus cum illis discumbere, quia nec illi nobiscum*. Nunc illi lætantur, nos conflictamur .... Lugeamus ergo dum Ethnici gaudent, ut cum lugere cœperint, gaudeamus, ne pariter nunc gaudentes, tunc quoque pariter lugeamus. „ *Delicatus es, Christiane, si & in sæculo voluptatem concupiscis; immo nimium stultus, si hoc existimas voluptatem.*

Quænam sint vera Christianorũ spectacula. cap. 30.

XIII. Addit Tertullianus, Christianum non aliam in præsenti sæculo voluptatem prægustare posse, nisi quam Deus contribuit, nec alia spectacula, nisi quæ vitam futuri sæculi repræsentant. Quale autem spectaculum in proximo est, adventus Domini jam indubitati, jam superbi, jam triumphantis! Quæ illa exultatio Angelorum! Quæ gloria resurgentium Sanctorum! Quale regnum exinde Justorum! Qualis civitas nova Jerusalem! Et tamen hæc jam quodammodo habemus per fidem spiritu imaginante repræsentata. Cæterum qualia sunt hæc? Certe, circo, & utraque cavea, & omni studio gratiora. *Hæ voluptates*, inquit insuper Tertullianus, *hæc spectacula Christianorum, sancta, perpetua, gratuita.*

CAPUT SEPTIMUM.

DE IDOLOLATRIA, ET VARIIS EJUSDEM SPECIEBUS.

I. COgnitione opus est in perlegendo Tertulliani Tractatu de Idololatria, variisque ejusdem speciebus. Quæ enim veluti generalia principia ponit in suo libro, fere omnia vera sunt; non itidem autem

vera

II.&III. SAECULUM.

vera sunt omnia quæ inde deducit. Tractatum igitur orditur suum pulcherrimum hanc scribens veritatem, omnia scilicet peccata in idololatria contineri, & idololatriam haberi in omnibus peccatis. *Principale*, inquit ille initio sui libri, *crimen generis humani, summus sæculi reatus, tota caussa judicii Idololatria.* Ostendit deinde, omne peccatum esse quamdam idololatriam, cum fraudem Deo faciat, honores illi suos denegans, & conferens aliis (diabolo & creaturis), ut fraudi etiam contumeliam conjungat; ac hisce verbis observatione dignissimis concludit: *Ita fit ut omnia (crimina) in idololatria, & in omnibus idololatria deprehendatur.* Si hoc verum est, uti est reipsa, innumeri vel ipsos inter christianos idololatræ recensentur.

Extensio Idololatriæ. Lib. de Idolol. c. 1.

II. Hoc posito fundamento, tradit noster Auctor, & quidem jure meritoque, idololatriam non esse simpliciter his modis interpretandam, si quis aut incendat, aut immolet, aut polluceat, aut sacris aliquibus, aut sacerdotiis obligetur; sed & omnis idoli artifices, ejusdem & unius criminis esse reos: nam *idolum tam fieri, quam coli Deus prohibuit.* Nec par est utriusque crimen, artificis scilicet, & cultoris; quippe *Quidquid idololatria committit, in artificem quemcumque & cujuscumque idoli deputetur necesse est.* Pictores igitur, ac Sculptores, qui pingunt ac sculpunt imagines statuasque lascivas & obscœnas, rei sunt omnium criminum, quæ ab iis patrantur, qui impuris oculis illas conspiciunt. Hanc quidem veritatem perpendere deberent quotquot eam vel ignorant, vel in praxi contemnunt absque ullo scrupulo.

Qui idola effingunt, in idololatriæ crimen prolabuntur, juxta Tertullianum. cap. 3. 4.

III. Perperam autem objiceretur solita horum artificum vox: Non habeo aliud quo vivam; & Apostolus dixit: Ut quisque fuerit inventus, ita & perseveret: perperam inquam hæc objicerentur; nam 1°. quando verum esset, hos artifices non habere aliud quo vivant, non inde sequitur iis licere eam exercere artem, quæ cum divina lege, & christiana Religione sociari nullo pacto potest. 2°. Apostolus reipsa permittit perseverantiam in eo statu, in quo quisque a gratia deprehensus est; hæc autem doctrina non debet nimium protrahi; secus possemus in peccatis perseverare, cum quilibet fuerit peccator antequam christianæ Religioni nomen daret, & Christus Jesus non alia ex caussa in mundum venerit, quam ut a peccatis nos liberaret: *Possumus igitur omnes in peccatis perseverare, ex ista interpretatione. Nec enim quisquam nostrum non peccator inventus est, cum Christus non alia ex caussa descenderit, quam peccatorum liberandorum.*

Inanes prætextus hac super re diluuntur. c. 5.

IV. Quia vero reponere poterant aliqui, Moysen in deserto serpentem æneum suspendisse; hinc Tertullianus docet, id non fecisse Moysem, ut violaret legem Dei, quæ vetuit omnem similitudinem fieri, immo serpentem hunc ita elevatum fuisse figuram Dominicæ Crucis; & tandem ait, Deum, extraordinario præcepto serpentis similitudinem indixisse. „ Quomodo enim, inquit sapientissimus Doctor iste, renuntiavimus diabolo, & angelis ejus, si eos (idola) facimus .... Facio (ait quidam) sed non colo. *Immo tu colis, qui facis ut coli possint.* Colis autem non spiritu vilissimi nidoris alicujus, sed tuo proprio: nec anima pecudis impensa, sed anima tua: *Illis ingenium tuum immolas, illis sudorem tuum libas, illis prudentiam tuam accendis. Plus es illis, quam sacerdos, cum per te habeant sacerdotem.* Diligentia tua nomen illorum est. Tota die ad hanc partem zelus fidei perorabit, ingemens Christianum ab idolis in Ecclesiam venire, attollere ad Deum patrem manus matres idolorum; *Eas manus admovere Corpori Domini, quæ dæmoniis corpora conferunt.* „ In propriis quippe manibus sacram Eucharistiam fideles accipiebant.

Cap. 6.

V. Et insuper quædam est idololatria ad Templi vel idoli ornatum quoquo modo concurrere; *nec enim differt*, inquit Tertullianus, *an extruas, vel exornes.* Hinc quisquis operam suam ad idoli cultum præstat, juxta eumdem Doctorem, reus est idololatriæ. Idem ferendum est judicium de quibusdam professionibus, quæ idololatriæ obnoxiæ sunt; uti est Astrologia; Astrologi quippe idola honorant, quorum nomina cœlo inscripserunt, quibus omnem Dei potestatem addixerunt. Utique Magi & Astrologi ab Oriente venerunt adorare Dominum: *At enim scientia ista usque ad Evangelium fuit concessa, ut Christo edito, nemo exinde nativitatem alicujus de cœlo interpretetur.* Observandum hic est, Tertullianum per hanc vocem *concessa*, non significare, Astrologiam, aut Magiam permissam fuisse per Divinam legem ante Evangelium; sed solummodo tolerari consuevisse inter homines, nullique pœnæ obnoxiam fuisse, quemadmodum obnoxia fuit post Salvatoris adventum, estque etiamnum. Nec alio modo interpretari potest hæc Tertulliani vox, quin contradictionem in illo admittamus: Ipse enim alio loco docet, sicuti superius vidimus, id quod in se malum est, nunquam permissum fuisse; hoc autem loco docet, Astrologiam ac Magiam esse ex se malas, cum has scientias veluti quamdam idololatriam traducat; igitur quando scribit, has ante Evangelium concessas fuisse, loquitur de quadam permissione, sive indulgentia penitus humana, ope cujus Astrologi ac Magi his artibus impune vacabant.

Idololatria est, ad templi vel idoli ornatum concurrere. cap. 8.

Astrologia est alia idololatriæ species. c. 9.

II.&III. SAECULUM.

VI. Ut Christianos ab omni vel minima idololatriæ suspicione abducat Tertullianus, vetat iisdem humanas litteras docere, cum professio hæc affinis esset multimodæ idololatriæ; Deos enim Nationum prædicare tunc temporis debebant ludimagistri, & cæteri litteratum professores; hinc nomina genealogias, fabulas, ornamenta honorifica quæque eorum enuntiare. Poterant autem Christiani humanas litteras discere, quia non ignorabant quod prius didicerunt, idest de Deo & fide; & cum tam tuti jam essent, quam qui scientes, venenum ab ignaro accipiebant, nec bibebant. Optima sane erat hæc praxis, cum reipsa nemo posset tunc humanas docere litteras, quin exterius videretur id approbare, quod intus detestabatur; & erat idololatriæ reus, qui de idolis laudabiliter loquebatur: *Quære an idololatriam committat, qui de idolis catechizat.*

Idololatriæ species quædam erat Tertulliani ætate, Christianum profiteri humanas litteras. c. 10.

VII. Tertullianus damnat æque uti idololatras eos omnes, qui thus vendebant, victimas publicas, aliaque ad falsorum Numinum cultum inservientia. Si reponebat aliquis: Non habeo quo vivam, egebo, victum non habebo; egregie respondebat Tertullianus, sero hæc dicta esse, & ante deliberandum fuisse, cum habeat unusquisque Domini dicta & exempla adimentia omnem caussationem, & paratus esse debeat relinquere parentes, domum, ac omnia quæ possidet, ut Dominum sequatur, ad imitationem Apostolorum. *Fides*, addit idem Doctor, *famem non timet*. „ Scit etiam, famem non minus sibi contemnendam propter Deum, quam omne mortis genus: *Didicit non respicere vitam, quanto magis victum.* Quotusquisque, loquitur semper Tertullianus, hæc adimplevit. *Sed quæ penes hominem difficilia, penes Deum facilia.*

Alia idololatriæ species erat vendere thus, victimas, aliaque ad cultum idolorum inservientia. cap. 11. 12.

VIII. Quoad publicas Ethnicorum solemnitates, vetat Tertullianus iis participare. Sine lucernis, & laureis esse debent Christianorum fores hisce recurrentibus Solemnitatibus, juxta Tertullianum. Hujusmodi cæremoniæ idololatriam sapiunt, nec ullo pacto excusari possunt. Licet enim permittat Apostolus & convivere nos, & commisceri cum peccatoribus, quando necessitas urgeat; Compeccare tamen non permittit: vitæ commercium concedit Apostolus, non commercium mali. Licet convivere cum Ethnicis, commori non licet. Convivamus ergo cum omnibus, concludit Tertullianus; conlætemur ex communione naturæ, non superstitionis. Pares anima sumus, non disciplina: *Compossessores mundi, non erroris.*

Idololatriæ culpam non effugit participare Ethnicorum solemnitatibus. cap. 14.

IX. Ex hoc principio ille infert, nullum haberi idololatriæ periculum si quis adsit privatis aut communibus solemnitatibus togæ puræ, sponsalium, nuptialium, nominalium, dummodo nullo pacto participet Ethnicorum sacrificiis, quæ falsis numinibus tunc offeruntur, & nec pecunia, nec ministerio suo iisdem inserviat. Hinc servi vel liberti comitari poterunt dominos suos; sed ut meri spectatores, ne verbo quidem sacrificio adjuvantes.

Permissum Christianis interesse sponsalibus, nuptiis &c. Ethnicorum. c. 16.

X. Verum si moderationem usque modo in Tertulliano deprehendimus, nimium in eodem rigorem offendemus, dum disputationem instituit, num servus Dei, hoc est Christianus, alicujus dignitatis aut potestatis administrationem capere possit. Contendit quippe permissum non esse Christianis publicis his muneribus ac officiis fungi, etiamsi ab omni specie idololatriæ intactos se aut gratia aliqua, aut astutia etiam præstare possint: quam quidem assertionem probat, quia purpura, & cætera insignia harum dignitatum, ab initio idololatriæ dicata, habent profanationis suæ maculam. *Cæterum*, inquit ille, *purpura, vel cætera insignia dignitatum & potestatum, inserta dignitati, & potestatibus idololatriæ ab initio dicata, habent profanationis suæ maculam.* Hinc Christiani abominari debent harum dignitatum insignia eo vel maxime, quia ipsis etiam idolis induuntur prætextæ, & trabeæ &c. ideoque ipsis etiam dæmoniis; *Nam dæmonia Magistratus sunt sæculi.* Sane durus est hic sermo, præsertim si, ut Tertullianus supponit, admittamus, posse christianum his dignitatibus insignitum ab omni specie idololatriæ intactum se aut gratia, aut astutia etiam præstare. Severiori autem doctrina insuper vetat fidelibus arma deferre tunc etiam quando summa pace congaudet Ecclesia, falso autumans non posse Christianum uno eodemque tempore & Deo servire, & Cæsari: *Non potest una anima duobus deberi, Deo, & Cæsari.* Pro-

Tertullianus vetat Fidelibus exercere aliquas dignitates, vel publica munia inter Ethnicos. c. 17. & 18.

Vetat insuper iisdem arma deferre. cap. 19.

II.&III. SECULUM.

Propositio hæc tum rationi, tum justitiæ adversatur. Aliud enim est militiæ adscribi in utilitatem Reipublicæ ac Principis, cui obedientia præstari debet, cujuscumque sit Religionis; aliud est superstitio, cujus particeps nunquam esse debet Christianus, etiamsi Princeps id præciperet.

XI. Potiori autem jure docet inferius, in verbis quoque præcavendum esse idololatriæ incursum. Quod si quis ex necessitate alicujus falsi numinis nomen proferre debeat, adjiciendum est aliquid, quo appareat, quia non illos deos dicit. Docet insuper esse prævaricationem fidei cum idololatria dejerare per eos, quos ejeravimus, hoc est per Ethnicorum deos jurare; nec non pecuniam ab Ethnicis mutuam accipere sub obligatione juramento per eorum deos firmata. Hæc omnia Christianis tunc temporis vetita erant, ut vel minima iis deesset idololatriæ occasio.

Aliæ idololatriæ species. cap. 20. 21. 22. & 23.

CAPUT OCTAVUM.

VITA ET MORES VETERUM CHRISTIANORUM.

I. Nihil in Tertulliano pulchrius, aptius nihil ad præsentem hominum imperfectionem indigitandam occurrit ea nostrorum Majorum sanctitate vitæ, quam graphice a se descriptam ob omnium oculos ponit: in illis quippe deprehendimus morum integritatem maximam, sanctitatem vitæ perfectissimam. Cor unum cum essent illi, & anima una propter mutuam dilectionem, dæmoniis erant terribiles. Eadem erat in omnibus pietas, summa pœnitentia: voluptatibus ac negotiis sæcularibus omnino valedixerant, puritatis ac continentiæ cultores eximii, animi constantiam contra adversa omnia præseferentes, & vel ipsos persecutores omni charitatis studio prosequentes, necnon in Principes, ethnicos licet & christianæ Religionis hostes infensos, obsequentissimi. De omnibus his Christianorum virtutibus modo sermonem habebimus; & ut ne vel minimum quidem propter dictionem ac loquendi phrases detrimentum iis afferatur, iisdem Tertulliani verbis eas exponemus.

II. De primo articulo, scilicet de moribus Christianorum supervacaneum ducimus hic disserere, cum in septem superioribus capitibus hac de re quantum par erat locuti simus. Quare ad alia progrediendum est, videlicet ad eorum sanctitatem, quam vel ipsi christiani nominis hostes satis mirari non poterant. „ Quid enim insigne præferimus, inquit Tertullianus „ in primo ad Nationes libro, nisi primam sapientiam, qua frivola humanæ manus opera non adoramus: abstinentiam, qua ab alieno temperamus: pudicitiam, quam nec oculis contaminamus: misericordiam, qua super indigentes flectimur; ipsam veritatem, qua offendimus: ipsam libertatem, pro qua mori novimus? *Qui vult intelligere, qui sint Christiani, istis indicibus utatur necesse est*. Quod ergo dicitis, prosequitur Pater iste, pessimi (Christiani) & probrosissimi avaritia, luxuria, improbitate, *Non negabimus quosdam*: sufficit & hoc ad testimonium nominis nostri, si non omnes, si non plures: Necesse est in corpore, & quantum velis integro aut puro, ut nævus aliquis effruticet, aut verrucula exurgat, aut lentigo sordescat. Cœlum ipsum nulla serenitas tam colata purgat, ut non alicujus nubeculæ flocculo resignetur . . . Ipsi in conloquio, si quando adversus nos, Cur illi, inquitis, fraudator, si abstinentes Christiani: cur immitis, si misericordes? Adeo testimonium redditis, non esse tales Christianos, dum cur tales sint qui dicuntur Christiani, retorquetis. „ Et re quidem vera, quo pacto peccatores fuissent & impii christiani, qui, prout tradit Tertullianus, probe noverant, judicium post finem sæculi eosdem manere? Nos, inquit idem Pater, qui certo credimus, Dei justitiam æternis suppliciis peccata punire, omni sollicitudine veram innocentiam assequi contendimus . . . „ Cruciate, inquit insuper Gentiles alloquens, torquete, damnate, atterite nos; probatio est enim innocentiæ nostræ iniquitas vestra. Ideo nos hæc pati Deus patitur. Nam & proxime ad lenonem damnando Christianam, potius quam ad leonem, confessi estis labem pudicitiæ, apud nos atrociorem omni pœna, & omni morte reputari. „ Hoc pacto Ethnici, ne id quidem cogitando, & Sanctitatis, & innocentiæ Majorum nostrorum testes erant omni exceptione majores.

Sanctitas veterum Fidelium. Lib. 1. ad Nation. cap. 4.

Cap. 5.

Apologet. cap. 41.

Cap. 50.

III. Æque admirabilis erat eorum unio, quæ eadem semper deprehendebatur. „ Non solum ad orandum coimus, inquit Tertullianus, sed coimus etiam ad litterarum divinarum commemorationem, si quid præsentium temporum qualitas aut præmonere cogit, aut recognoscere: certe fidem sanctis vocibus pascimus, spem erigimus, fiduciam figimus, disciplinam præceptorum nihilominus inculcationibus densamus: Ibidem etiam exhortationes, castigationes, & censura divina. Nam & judicatur magno cum pondere, ut apud certos de Dei conspectu; summumque futuri judicii præjudicium est, si quis ita deliquerit, ut a communicatione orationis, & conventus, & omnis sancti commercii relegetur. „ Obiter hic animadvertamus, Majores nostros excommunicationem vehementer timuisse; quæ tamen admodum communis non erat; enormia quippe requirebantur peccata ad Ecclesiasticas Censuras incurrendas.

Unio Fidelium inter seipsos. cap. 39.

IV. Nec in hisce solummodo conventibus hæc effulgebat fidelium unio; nam & in sollicitudine subveniendi pauperibus hæc eadem apparebat. „ Etiam si quod arcæ genus est, verba sunt Tertulliani, non de honoraria summa quasi redemptæ Religionis congregatur: modicam unusquisque stipem, & si modo velit, & si modo possit, apponit. Hæc quasi deposita pietatis sunt. Nam inde non epulis, non potaculis, nec ingratis voratrinis dispensatur; sed egenis alendis humandisque, & pueris ac puellis re ac parentibus destitutis, jamque domesticis senibus, item naufragis, & si qui in metallis, & si qui in insulis vel in custodiis, dumtaxat ex caussa Dei Sectæ, alumni confessionis suæ fiunt. „ Hoc modo felicioribus illis sæculis fidelium eleemosynæ expendebantur; erant vera pauperum patrimonia.

Eorum eleemosynæ. Ibid.

V. His positis mirum non est, omnes veteres fideles veluti fratres fuisse, atque hoc nomine appellari consuevisse. „ Sed & fratrum appellatione censemur, prosequitur Tertullianus . . . Fratres autem etiam vestri sumus jure naturæ, matris unius, etsi vos parum homines, quia mali fratres: at quanto dignius fratres & dicuntur, & habentur, qui unum patrem Deum agnoverunt, qui unum spiritum biberunt sanctitatis, qui de uno utero ignorantiæ ejusdem ad unam lucem expaverunt veritatis? Sed eo fortasse minus legitimi existimamur, quia nulla de nostra fraternitate tragœdia exclamat, vel quia ex substantia familiari fratres sumus, quæ penes vos fere dirimit fraternitatem. Itaque qui animo animaque miscemur, nihil de rei communicatione dubitamus. Omnia indiscreta sunt apud nos, præter uxores.

Omnes Fideles Fratrum appellatione censebantur. Ibid.

VI. „ Cœnulas nostras, addit idem Doctor, præterquam sceleris infames, ut prodigas suggillatis. Sed stipulam quis in alieno oculo facilius perspicit, quam in suo trabem. Tot tribubus, & curiis, & decuriis ructantibus acescit aer: Saliis cœnaturis creditor erit necessarius &c. De solo triclinio Christianorum retractatur. Cœna nostra de nomine rationem sui ostendit. Id vocatur quod dilectio penes græcos. Quantiscunque sumptibus constet: lucrum est pietatis nomine facere sumptum: siquidem inopes quosque refrigerio isto juvamus, non qua penes vos parasiti affectant ad gloriam famulandæ libertatis sub auctoramento ventris inter contumelias saginandi; sed qua penes Deum major est contemplatio mediocrium. Si honesta caussa est convivii, reliquum ordinem disciplinæ æstimare qui sit, de religionis officio: nihil vilitatis, nihil immodestiæ admittit: non prius discumbitur, quam oratio ad Deum prægustetur: editur quantum esurientes cupiunt: bibitur quantum pudicis utile est: ita saturantur, ut qui meminerint, etiam per noctem adorandum Deum sibi esse: ita fabulantur, ut qui sciant Dominum audire: æque oratio convivium dirimit: inde disceditur non in catervas cæsionum, neque in classes discursationum, neque in eruptiones lasciviarum, sed ad eamdem curam modestiæ & pudicitiæ; ut qui non tam cœnam cœnaverint, quam disciplinam.

Convivia Christianorum. Ibid.

VII. Perfecta hæc fidelium unio dæmoniis ipsis terribilis erat; absolutam quippe potestatem in malignos hos spiritus exercebant Christiani. „ Edatur hic aliquis sub tribunalibus vestris, inquit Tertullianus in suo Apologetico, quem dæmone agi constet: jussus a quolibet Christiano loqui spiritus ille, tam se dæmonem confitebitur de vero, quam alibi Deum de falso . . . nisi se dæmones confessi fuerint, Christiano mentiri non audentes, ibidem illius Christiani procacissimi sanguinem fundite. „ Provocatio hæc gloriosissima sane est Christianæ Religioni. „ Atqui omnis hæc nostra in illos dominatio & potestas de nominatione Christi valet, & de commemoratione eorum, quæ sibi a Deo per arbitrium Christi imminentia expectant: Christum timentes in Deo, & Deum in Christo, subjiciuntur servis Dei, & Christi: ita de contactu, deque afflatu nostro

Eorum potestas ac imperium in Dæmones. Apologet. cap. 23.

„ stro contemplatione & repræsentatione ignis illius „ correpti, etiam de corporibus nostro imperio excedunt inviti, & dolentes, & vobis præsentibus erubescentes. „ Tunc temporis igitur ex prodigio fiebat, quemadmodum optime advertit Auctor gallus vitæ Tertulliani (a) ut ipsi acerbiores nostræ fidei hostes, ministri essent hujus ejusdem fidei, & præco es, licet inviti. Id vero magis observandum occurrit, prosequitur idem Auctor, quod non solum Episcopi, vel Presbyteri, vel qui primi inter fideles habebantur & erant, hac potestate in dæmones donabantur; sed omnes in genere fideles; ita ut quando de gloria Ecclesiæ agebatur, vel minimus inter ipsos fortior erat omnibus inferni potestatibus.

Uniformis veterum Pietas. cap. 39.

VIII. Nec minus gloriosum de uniformi Christianorum pietate testimonium reddit Tertullianus, *Hoc sumus congregati*, inquiebat ille, *quod & dispersi: hoc universi, quod & singuli: Neminem lædentes, neminem contristantes*. Si vero publicum aliquod incommodum eveniebat, in sacco & cinere volutati jejunabant, continentiam perfectissimam servantes, & quadam veluti precum suarum violentia cœlum tundentes: *Nos vero jejuniis aridi, & omni continentia expressi, ab omni vitæ fruge dilati, in sacco & cinere volutantes, invidia cœlum tundimus*. Perfecta adeo erat eorum abstinentia ut a suffocatis & morticinis abstinerent, Apostolorum regulam ad litteram servantes: *Qui propterea quoque a suffocatis & morticinis abstinemus, ne quo sanguine contaminemur*, Quod quidem deinceps per longum temporis intervallum servatum est, sicuti & abstinentia a sanguine animantium; quem morem nec ipsi ignorabant Ethnici, qui ex eo etiam dignoscebant Christianos, videlicet si a botulis ex cruore distentis abstinerent, Silentio prætereo cæteras, quæ communiores erant, ipsorum abstinentias, cum in sequenti etiam Sectione de illis sermo occurrere debeat.

Eorum pœnitentia. c. 40.

Eorum abstinentia. c. 7.

IX. Vidimus jam dum de Spectaculis ageremus, Majores nostros conscientiæ sibi duxisse voluptatibus indulgere, etiamsi innocuæ essent, & absque ullo periculo: ex Apologetico autem Tertulliani deprehendimus, eosdem longe abfuisse ab omni publicorum negotiorum tumultu, etsi facile potuissent ob ingentem numerum iisdem participare. „ Hesterni sumus, inquit Doctor iste, & vestra omnia implevimus, urbes, insulas, castella, municipia, conciliabula, castra ipsa, tribus, decurias, palatium, senatum, forum . . . Cui bello non idonei, non prompti fuissemus, etiam impares copiis, qui tam libenter trucidamur, si non apud istam disciplinam magis occidi liceret, quam occidere? Potuimus & inermes nec rebelles, sed tantummodo discordes, solius divortii invidia adversus vos dimicasse . . . At nobis nulla est necessitas cœtus, *Nec ulla magis res aliena, quam publica*. Unam omnium Rempublicam agnoscimus, mundum: æque spectaculis vestris renuntiamus: nihil est nobis cum insania circi, cum impudicitia theatri &c. „ *Reprobamus quæ placent vobis, nec vos nostra delectant*.

Patres nostri a negotiorum tumultu longe aberant. cap. 37.

X. Inter calumnias Ethnicorum contra Christianos hæc erat ferme præcipua, quod scilicet Christiani in nocturnis conventibus nefanda simul haberent commercia, & tenebrarum ope crimina perpatrarent ac abominationes, quas horreat animus cogitare, lingua enarrare non valeat. Tertullianus vero calumnias has refellit Ethnicos ipsos provocando, ut vel unum, si habent, proferant horum criminum testem. Et re quidem vera, quis credere unquam poterit, fideles horum criminum reos esse; qui, ut testatur Tertullianus, vel a minima horum suspicione per diligentissimam castitatem longe aberant? *Nos ab isto eventu diligentissima & fidelissima castitas sepsit*: & inter quos aliqui aderant, qui ad extremam usque senectutem virgines permanserant, infantiæ innocentiam etiam in senectute servantes: *Quidam multo securiores*, inquit Tertullianus, *totam vim hujus erroris virgine continentia depellunt, senes pueri*.

Castitas & Continentia veterũ Fidelium. cap. 9.

XI. Mirum igitur non est, veteres fideles magnanimos extitisse iis etiam in circumstantiis, quas non sine trepidatione hodie nos memorare possemus. „ Religio nostra, ajebat egregie eruditissimus Christianorum Apologista Tertullianus, nihil de caussa sua deprecatur, quia nec de conditione miratur. Scit se peregrinam in terris agere; inter extraneos facile inimicos invenire . . . tamen quod vere malum est, ne ipsi quidem, quos rapit, defendere pro bono audent. *Omne malum aut timore, aut pudore natura perfudit*. Denique malefici gestiunt latere, trepidant de re . . ., negant accusati, ne torti quidem facile aut semper confitentur: certe damnati mœrent, mentis malæ impetus vel fato vel astris imputant. Christianus vero quid simile? *neminem pudet, neminem pœnitet, nisi plane retro non fuisse. Si denotatur, gloriatur; si accusatur, non defendit; interrogatus, vel ultro confitetur; damnatus, gratias agit* . . . Dicimus, prosequitur Tertullianus, & palam dicimus, & vobis torquentibus: lacerati & cruenti vociferamur, Deum colimus per Christum . . . Certe, si velim Christianus sum: tunc ergo me damnabis, si damnari velim. Proinde & vulgus vane de nostra vexatione gaudet: Proinde enim nostrum est gaudium quod sibi vindicat, qui malumus damnari, quam a Deo excidere. Contra illi qui nos oderunt, dolere non gaudere debeant, consecutis nobis quod elegimus . . . Sed & hoc agite, boni præsides, meliores multo apud populum, si illis Christianos immolaveritis: *Cruciate, torquete, damnate, atterite nos*: probatio est enim innocentiæ nostræ iniquitas vestra, „ Sane Deus solus hujusmodi sensus inspirare potest.

Constantia & magnanimitas Christianorum. cap. 1.

Cap. 21.

Cap. 48.

XII. Hæc autem Christianorum magnanimitas benigna erat, cum & ipsos persecutores summo amore Christiani prosequerentur. „ Absit enim, inquit Tertullianus in suo Tractatu ad Scapulam, ut indigne feramus ea nos pati quæ optamus, aut ultionem a nobis aliquam machinemur, quam a Deo expectamus. Tamen doleamus necesse est, quod nulla civitas impune latura sit sanguinis nostri effusionem. Ex quibus deprehendimus, Christianam magnanimitatem cum charitate, & miseratione optime stare posse.

Charitas veterũ erga suos persecutores. Ad Scapul. cap. 3.

XIII. Tandem Majorum nostrorum memoria semper in benedictione erit, eorumque gloriam enarrabunt per sæcula homines, attendentes ipsorum fidelitatem ac reverentiam erga Imperatores, etiamsi infideles, & christiani nominis infensissimos hostes. „ Nos pro salute Imperatorum, inquit Tertullianus, Deum invocamus æternum, quem & ipsi Imperatores proprium sibi præter cæteros malunt: sciunt quis dederit illis imperium: cum super omnes homines, qui utique vivunt, & mortuis antistant, recogitant quousque vires imperii sui valeant, & ita Deum intelligunt; adversus quem valere non possunt, per eum valere se cognoscunt. Cœlum denique debellet Imperator: cœlum captivum triumpho suo invehat; cœlo mittat excubias: cœlo vectigalia imponat: non potest; ideo magnus est, quia cœlo minor est . . . Illuc (in cœlum) suspicientes Christiani, manibus expansis, capite nudo oramus . . . pro nostris persecutoribus, & nominatim pro Imperatoribus, pro Regibus, pro Principibus, & potestatibus . . . Est & alia major necessitas nobis orandi etiam pro omni statu Imperii . . . Uno verbo, nos judicium Dei suspicimus in Imperatoribus, qui gentibus illos præfecit . . . „ *Christianus*, ait insuper alibi idem Doctor, *nullius est hostis, nedum Imperatoris, quem sciens a Deo suo constitui, necesse est ut ipsum diligat, & revereatur, & honoret, & salvum velit, cum toto Romano Imperio . . . Colimus ergo & Imperatorem sic, quomodo & nobis licet, & ipsi expedit, ut hominem a Deo secundum . . . & solo Deo minorem . . . Itaque sacrificamus pro salute Imperatoris, sed Deo nostro & ipsius*. Finem huic Sectioni imponimus præclarissimo hoc testimonio ex quo optime deprehendimus quam ampla sit potestas Principum terræ, & quibus limitibus coarctetur.

Fidelitas ac reverẽtia veterũ Fidelium erga Imperatores. Apologet. cap. 30.

Cap. 31.

Cap. 32.

Cap. 33.

Ad Scapul. c. 2.

SECTIO III.

PUNCTA DISCIPLINÆ.

§. I.

De Baptismo.

I. Afferemus modo unum post aliud ea Disciplinæ puncta, quorum in Tertulliani scriptis mentio occurrit: & ut a Baptismo ordiamur, vetustus hic Pater tradit primo loco, Dispositiones, quæ in Catechumenis ad Baptismum recipiendum requirebantur, fuisse crebras orationes, jejunia, geniculationes, & peccatorum confessionem; *Ingressuros Baptismum*, inquit ille, *orationibus crebris, jejuniis, & geniculationibus, & pervigiliis orare oportet, & cum confessione omnium retro delictorum*. Confessionem hanc occultam fuisse certissimum est, ut ex eodem Tertulliano evidenter eruitur, qui paucis interjectis, Catechumenos sic loquentes inducit: *Nobis gratulandum est, si non publi-*

Dispositiones, quæ in Catechumenis requirebantur. Lib. de Baptismo, cap. 20.

(a) Dom. de la Motte. pag. 97.

II. & III. SAECULUM.

publice confitemur iniquitates aut turpitudines nostras. Caeterum, etsi haec peccatorum Confessio a Catechumenis exquireretur antequam baptizarentur; nihilominus iisdem poenitentia imponebatur pro iis peccatis, quae in ignorantia patraverant; quemadmodum Tertullianus, Montanista jam factus exprobrat Catholicis. *Contendunt jam (Psychici)* inquiebat ille de Catholicis verba faciens, *nec competere Ethnicis poenitentiae denuntiationem, quorum delicta obnoxia ei non sint, ignorantia scilicet imputanda, quam sola natura ream Deo faciat*. Hinc hujusmodi jejunia, geniculationes, pervigilia, orationes, & ipsa peccatorum confessio, a Catechumenis unice exquirebantur uti dispositiones ad fructuose recipiendum Baptismi Sacramentum; aliunde quippe constabat, Baptismum delere omnia peccata ante illius susceptionem patrata.

Nulla imponebatur poenitentia pro peccatis in infidelitate patratis. Lib. de Pudicit. cap. 10.

II. Tempus ad Baptismi celebrationem statutum erat Pascha, & Pentecoste: *Diem Baptismo solemniorem Pascha praestat . . . . . Exinde Pentecoste*. Verum agitur hoc loco de Baptismo solemni, cum paulo inferius addat idem Tertullianus, omni tempore quando necessitas urget, conferri posse Baptismum: *Caeterum omnis dies Domini est, omnis hora, omne tempus habile Baptismo: Si de solemnitate interest, de gratia nihil refert*. Tertulliani aevo per trinam immersionem Baptismus conferebatur, hoc est, ter in aqua ii immergebantur, qui Baptismo donabantur, & ad singulas immersiones nomen unius ex Personis Sanctissimae Trinitatis proferebatur: *Nam nec semel, sed ter, ad singula nomina, in personas singulas tingimur*. Nullibi ex eodem Auctore constat, quoad hanc trinam immersionem cum aliquo dispensatum fuisse, nec cum infantibus ipsis, vel aegrotis.

Tempus ad Baptismi celebrationem statutum. Lib. de Baptis. §. 19.

Ter mergebantur in aqua Catechumeni. Adversus Praxeam. cap. 26.

§. II.

DE EUCHARISTIA.

DE Eucharistia differens Tertullianus tradit, Christianos summo mane convenire consuevisse ad Mysterium hoc celebrandum; uti videre est in suo Apologetico, & in Tractatu de Corona. Laici Sacramentum hoc sumebant de manibus eorum, qui coetui praeerant: *Nec de aliorum manu, quam praesidentium sumimus*, inquit ille in libro de Corona capite tertio. Nescio an inter hujusmodi Praesidentes, Diaconi quoque numerari possint: ex eo autem oritur dubium, quod tunc temporis Diaconi Eucharistiam populo non ministrabant, sicuti antea ministraverant, prout testantur S. Justinus, & alii ex vetustioribus Patribus. Non desunt nihilominus validissima momenta, quae eosdem illud ipsum ministerium obiisse deinceps evincunt. Id insuper in Tertulliano observandum occurrit, Laicos in more habuisse, Eucharistiam in propriis manibus accipere, & sumpta Communione in Ecclesia, eamdem in proprias domos inferre, ut sumerent ante prandium. Primam harum duarum consuetudinum notavimus supra, cum sermonem haberemus de Sculptoribus, qui in idolis efformandis operam locant suam, quosque ingemit Tertullianus, eo quod easdem Corpori Domini manus admovent, quae daemoniis corpora conferunt. Altera vero harum consuetudinum deprehenditur ex iis quae Tertullianus dicit uxori suae, uteamdem avocet a contrahendo matrimonio cum viro infideli; quod scilicet maritus suus sciet quid secreto ante omnem cibum illa gustet. Quae quidem omnia haud possunt intelligi de Eucharistia, quam in Ecclesia fideles sumebant, cum Communionis tempore Gentiles ibidem non adessent. Caeterum fideles osculabantur invicem osculo pacis in Ecclesia peracta publica prece, iis exceptis diebus, in quibus solemne jejunium servabatur.

Summo mane Sanctum Sacrificium celebrabatur. Apolog. c. 2. & Lib. de Coron. c. 3.

Laici in propriis manibus accipiebant Corpus Jesu Christi. De Idololatr. c. 7.

Fideles in suis domibus per seipsos Eucharistiam sumebant. Lib. 2. ad Uxor. c. 5.

Osculum pacis in Ecclesia. Lib. de Oration. cap. 14.

§. III.

DE POENITENTIA.

QUoad Poenitentiam tres articuli observatione digni occurrunt in Tertulliano. Docet enim 1°. quod poenitentia publica semel tantum concedebatur: „Deus, „ inquit ille, collocavit in vestibulo poenitentiam se„ cundam, quae pulsantibus pateficiat; sed jam se„ mel quia jam secundo, sed amplius nunquam, „ quia proxime frustra. „ Quae quidem verba de sola poenitentia publica accipienda sunt, quemadmodum semper accepta hoc pacto fuere. 2°. narrat Tertullianus publicae hujus poenitentiae caeremonias, in suo libro de Pudicitia haec scribens: *Et tu quidem poenitentiam moechi, ad exorandam fraternitatem, in Ecclesiam inducens concilicinatum, & concineratum, cum dedecore & horrore compositum; prosternis in medium, ante viduas, ante Presbyteros, omnium lacinias invadentem, omnium vestigia lambentem, omnium genua detinentem*. 3°. Ecclesia quandoque ad preces Martyrum has remittebat peccatoribus ex indulgentia poenitentias; de qua sane praxi queritur Tertullianus, Montanista jam factus, in suo libro de Pudicitia; hancque praxim aperte supponit scribens in sua Exhortatione ad Martyres, quod iis, qui Ecclesiae pacem non habebant, hoc est a fidelium communione erant separati propter aliquod crimen, a martyribus in carcere hanc pacem exorabant: *Quam pacem quidam in Ecclesia non habentes, a Martyribus in carcere exorare consueverunt*.

Poenitentia publica semel tantum concedebatur. Lib. de Poenit. cap. 9.

Caeremoniae publicae poenitentiae. Lib. de Pudicit. c. 13.

Ecclesia concedebat peccatoribus indulgentias, & communionem Ecclesiae ad preces Martyrum. Lib. de Pudicit. c. 22. & ad Martyr. c. 1.

§. IV.

DE ORDINE.

I. QUoad Ordinem, illud observandum venit, Tertulliani aetate plures eorum, qui in Ecclesiasticis constituti erant ordinibus, in continentia totam transegisse vitam. *Quanti & quantae*, inquit ille in suo libro de Exhortatione Castitatis, *in Ecclesiasticis ordinibus de continentia censentur, qui Deo nubere maluerunt*. Saltem soli monogomi in Clerum cooptabantur, juxta Apostoli praeceptum, cujus idem Tertullianus meminit eo in loco, in quo de hoc articulo est sermo. Insuper, prout refert idem Doctor, aliqui Ecclesiastici loco dejecti fuere, eo quia bigami: *Inde*, inquit ille, *apud nos plenius atque instructius praescribitur, unius esse matrimonii oportere, qui alleguntur in ordinem sacerdotalem; usque adeo quosdam memini bigamos loco dejectos*.

Plures Ecclesiastici in Virginitate totam transegebant vitam. De Exhortatione Castitatis cap. 13.

Bigami Ecclesiastici Ordinibus non [illegible] Lib. [illegible] Uxorem cap. [illegible] Item de [illegible] Exhor[illegible] Castitatis cap. 7.

II. De more positum erat apud fideles, ut certis quibusdam diebus simul convenirent, ut Orationi, & Sacrorum librorum lectioni vacarent. Ibidem exhortationes habebantur, & castigationes imponebantur, uti prope finem superioris Sectionis vidimus; & si quis notabile aliquod crimen jam patraverat, a communicatione Orationis, & conventus, & omnis sancti commercii relegabatur. Id vero animadvertendum praecipue est, Seniores, qui magis probati essent, sanctis hisce conventibus praefuisse, & pastorale munus illos solummodo subiisse, qui bonum testimonium ab omnibus erant adepti: *Praesident probati quique seniores, honorem istum non pretio, sed testimonio adepti: neque enim pretio*, egregie idem Pater subjungit, *ulla res Dei constat*.

Coetus ac conventus Fidelium. Apologet. cap. 39.

Quinam praeessent. Ibid.

III. Orientem versus orabant fideles, manibus temperate in coelum elatis in modum crucis, oculis ad modestiam compositis, & sono vocis subjecto, quae quidem omnia superius jam vidimus in Capite de Oratione. Diurno tempore tres erant Horae ad solemnes preces statutae; videlicet Tertia, Sexta, & Nona. Orabant insuper fideles & nocturno tempore non solum simul coadunati, verum etiam & in particulari & communiter per noctem surgebant ad Orationem, ut quisque videre potest in libro secundo Tertulliani ad Uxorem. Dominica apud ipsos erat solemnis dies, eratque Sabbatum Christianorum.

Solemnes Preces hora tertia, sexta, & hora Nona. Lib. de Jejun. cap. 10. Preces nocturnae. Lib. 2. ad Uxor. c. 4.

Celebratio Dominicae. Lib. 1. ad Nation. cap. 13.

IV. Pauca nunc dicenda supersunt de eorum jejuniis, quae in duas classes dividere oportet; alia enim ex obligatione erant; alia ex sola devotione. Primae classis ea erant, quibus omnes fideles obstringebantur, uti erant, exempli caussa, jejunia, quae solemnitatem Paschae praecedebant. Haec ad vesperam usque perdurabant, hoc est, diebus illis nonnisi post Solis occasum refectio sumi poterat. Alia, quae ex sola devotione erant, servabantur qualibet quarta & sexta anni feria, tempore Paschali excepto. Permissum erat Episcopis alia indicere jejunia pro Ecclesiae necessitatibus; & fideles sibimetipsis in particulari alia imponebant. Nefas autem erat jejunare Dominico die, aut tempore Paschali: *Die Dominico*, inquit Tertullianus, *jejunium nefas ducimus . . . . . Eadem immunitate a die Paschae in Pentecosten usque gaudemus*. E contra omne istud tempus laetitiae deputatum erat. Ad abstinentiam quod attinet, nonnulli inter fideles jejunio addebant xerophagiam, hoc est usum ciborum illorum quos siccos dicimus; & non solum a carne & vino abstinebant, sed a fructibus insuper, qui humoris ac succi aliquid habent. Praeterea eorum aliqui in solo pane & aqua jejunabant. Haec erant Majorum nostrorum jejunia, toto coelo a nostris diversa, quae merum jejunii nomen retinent.

Jejunia ex praecepto, & ex devotione. Lib. de Jejun. c. 2. & 13.

Jejunia ab Episcopis imposita. Ibid. c. 13.

Jejunia ex peculiari devotione. Lib. de Oration. cap. 14.

Vetitum erat jejunare diebus Dominicis, & tempore paschali. Lib. de Corona. c. 3.

SECTIO IV.

ERRORES TERTULLIANI.

PErvenimus tandem ad errores Tertulliani, quos perspicuitatis gratia in duas classes easque diversas distinguimus; alios enim communes habet cum Montanistis, quorum Sectam amplexus est; alii vero adeo proprii ac peculiares illius sunt, ut Heresiarcha inde evaserit, ac horum errorum asseclas habuerit. Discipuli hujusmodi, Tertullianistæ appellabantur. Non nisi mœrens dolensque, & unice, ne quem mihi proposui sequendum ordinem immutem, analysim errorum Tertulliani nunc dabo, id unum vehementer peroptans, ne cui scandalo sint quæ modo exscribam, sed omnibus potius proficiant ad salutem; de proprio enim lapsu timere debebit quicunque consideraverit lapsum immo ruinam doctissimi hujus viri, qui ut immobilis Ecclesiæ columna jure meritoque antea habebatur.

CAPUT PRIMUM.

ERRORES TERTULLIANI MONTANISTÆ.

I. NON unus vel alter fortasse erit, qui scire desideret, quasnam ob caussas a Catholica fide defecerit Tertullianus. Ex omnibus conjecturis, quas hac super re multi tradiderunt, nullam teneo verisimiliorem illa Divi Hieronymi, contendentis, propter invidiam, ac inurbanitatem Romani Cleri vetustum hunc Patrem in Montani hæresim prolapsum esse. Nec alia ejusdem lapsus caussa decrit, si naturæ illius indolem perscrutemur; cum ex severitate ac austeritate propriæ vitæ potuerit ipse Montanistarum Sectam amplecti; quæ utpote severioris moralis Disciplinæ tenacissima, nata apta erat illius animum allicere, immo & suis erroribus illaqueare. Quidquid tamen hac in re sit, illud certum indubitatumque est, Tertullianum non solum erroribus ac deliramentis Montanistarum subscripsisse, verum etiam eadem ardentissime propugnasse. Hujusce rei uberrimam probationem habemus in iis quæ scribit ille in favorem sui Paracleti; justitiam scilicet primo, (tempore legis naturæ) fuisse in rudimentis; de hinc per Legem & Prophetas promovisse in infantiam; dehinc per Evangelium efferbuisse in juventutem; & tandem per Paracletum Montani ad maturitatem ac perfectionem suam pervenisse. Vah portentosum errorem! quem idem Doctor priusquam in hæresim incideret, uti blasphemiam damnaverat, quemadmodum videre est in suo libro de Præscriptione capite 52. Verum passione actus adeo cæcus evaserat post suum Schisma, ut ausus sit appellare falsum hunc Paracletum, Unicum caput, ac Dominum totius veritatis, eum a Christo Iesu missum venditare, & veluti perennem fontem doctrinæ pro universa Ecclesia eumdem habere. Quas quidem Tertulliani insanias refutare facile est, hoc uno recitato ejusdem testimonio ex libro de præscriptione: *Nobis curiositate opus non est post Christum Jesum, nec inquisitione post Evangelium . . . . Incredibile est, Apostolos, vel ignorasse plenitudinem prædicationis, vel non omnem ordinem regulæ omnibus edidisse.*

Tertullianus tuetur Paracletū Montanistarum. Lib. de veland. Virginib. c. 1.

Hujus Parackti elogiū ex Tertulliano. Lib. de Jejun. c. 1. De fuga. c. 14. De Monogam. cap. 14. De Resurrect. carnis. c. 63. De Præscr. cap. 8. Cap. 27.

II. Verum infelix iste Pater post suum lapsum, tam si ratiocinii vim, quam si doctrinam spectes, totus mutatus ab illo est, quem & ingeniosissimum, & doctissimum superius vidimus. Cujus rei notabile exemplum ipse perhibet quando non solum damnat secundas nuptias, sed insuper easdem enormitatem vocat omni crimine majorem. Contendit quippe, secundas has nuptias esse vera adulteria, ab Apostolo implicite vetita, quando prohibuit promovere ad Episcopatum illum, qui duarum uxorum vir fuisset: ex laicis enim, inquit ille, Ecclesiæ ordo proficit; igitur ea quæ Clerum attingunt, omnes in genere fideles attingunt. Miserum sane ratiocinium! quod laici scilicet perfecti esse debeant ut clerici, quia clerici a laicis educuntur. Nec magis recte loquitur, cum circa idem argumentum hanc proponit paritatem; quod Catholici scilicet, cum tantum foveant carnis infirmitatem, ut in nubendo frequenter sustinendam putent; deberent a pari eamdem carnem in alia caussa sustinere, hoc est quando expugnata est tormentis. „ Cur „ illam, inquit, in alia caussa neque sustinent, neque „ venia fovent, cum tormentis expugnata est in nega„ tionem? Utique enim illam magis excusari capit, „ quæ in prælio cecidit, quam quæ in cubiculo; quæ „ in equuleo succubuit, quam quæ in lectulo; quæ „ crudelitati cessit, quam quæ libidini &c. „ Quid futilius hac comparatione excogitari potest? Hanc sane retulisse, refutasse est.

Tertullianus damnat secundas Nuptias. Lib. de Monogam. c. 4. & 11.

Cap. 15.

III. Montanistæ docebant in genere, licitam non esse fugam tempore persecutionis; & apud eosdem id erat in praxi positum, ut tunc temporis simul manifeste convenirent veluti insultaturi Ethnicos; cum econtra Catholici iis in circumstantiis, nonnisi secreto convenirent, & maxima ad securitatem adhibita diligentia. Tertullianus autem ipsos videtur Montanistas hac de re differentes antecellere cum ait; vel certus est te negaturum si non fugeris, vel incertus: si certus, jam negasti, quia præsumendo te negaturum, id despopondisti, de quo præsumpsisti; & vane jam fugis ne neges, qui si negaturus es, jam negasti: si vero incertus es, cur non ex æqualitate incerti metus inter utrumque eventum, etiam confiteri te posse præsumis, & salvum magis fieri quo minus fugias, sicut negaturum te præsumis, ut fugias? Quia vero eidem objiciebant illud Salvatoris: cum cœperint persequi vos, fugite de civitate in civitatem; hoc, reponebat ille, in personas proprie Apostolorum, & in tempora, & in caussas eorum pertinet. Optime sane! quasi majorem magnanimitatem exquireret Salvator a simplicioribus fidelibus, quam ab eorum Pastoribus. „ Usque „ adeone, ait insuper, mori miserum est? Moriatur „ quoquo modo, aut victus, aut victor. Nam etsi „ negando ceciderit, cum tormentis tamen præliatus. „ Malo miserandum, quam erubescendum. Pulchrior „ est miles in prælio amissus, quam in fuga salvus. „ Vah diabolicam præsumptionem!

Error Tertulliani circa fugā in persecutione. Lib. de Fuga. cap. 5.

Cap. 6.

Cap. 10.

IV. Si adeo severus erat Tertullianus erga illos, qui persecutionem fuga vitabant; nemini mirum videbitur, damnatos ab eodem fuisse eos omnes, qui numerata pecunia persecutorum iram molliebant, licet nullum præberent argumentum suspicandi, se fidei abrenuntiasse. Hæc praxis nihilominus semper in Ecclesia ab omni labe immunis habita est. Quin immo addere possumus laudabilem fuisse & Christiano dignam; hoc pacto quippe fideles ad inopiam redigebantur ut salvas facerent animas suas, & pluris Christum faciebant, quam divitias. Nihilominus in hanc praxim nimio & immoderato zelo accensus Tertullianus, indignum ajebat, hominem redimere semetipsum nummis, quem Sanguine suo redemerat Christus. Fatetur nihilominus, sua ætate nonnullas Ecclesias aliquid in commune conferre consuevisse, ut persecutionis vim imminuerent & extinguerent: verum propriæ opinioni magis addictus idem Tertullianus, quam auctoritate permotus, communem hanc fidelium charitatem irridet, aitque per ironiam, hanc Episcopatui formam Apostolos providentius condidisse, ut regno suo securi frui possent Episcopi, sub obtentu procurandi.

Tertullianus damnat eos, qui argento a persecutione se redimebant. Ibid. c. 12. & 13.

V. Vehementiori autem ira & indignatione exarsit Tertullianus contra indulgentiam Ecclesiæ erga peccatores ad pœnitentiam reversos. Si fidem eidem præstes, homicidium, idololatria, furtum, abrenuntiatio fidei, blasphemia, fornicatio, adulterium; & alia hujusmodi, crimina sunt in præsenti vita penitus irremissibilia. Non quidem quod ille hujusce generis peccatores ad amplectendam pœnitentiam non cohortaretur; sed a solo Deo horum peccatorum veniam sperandam docebat, negabatque obstinatissime, potestatem remittendi hæc peccata apud Ecclesiam residere. Quod si quis objiciebat, Divum Paulum indulgentia usum esse erga illum incestuosum Corinthium, quem antea excommunicaverat; reponebat ipse 1°. virum hunc, quem excommunicavit Apostolus, eumdem non esse, cui postea indulsit: 2°. posito quod Apostoli hac indulgentia usi sint erga quosdam peccatores; non posse inde ullum trahi exemplum pro Disciplina Ecclesiæ, cum id peregerint illi ex quadam potestate illis peculiariter tradita. Majori autem fide dignus est Tertullianus catholicus, qui in suo libro de Pœnitentia; „ Non statim, (inquit) succidendus, ac submittendus „ est animus desperatione, si secundæ quis pœniten„ tiæ debitor fuerit; pigeat sane peccare rursus, sed „ rursus pœnitere non pigeat: pigeat iterum periclitari, sed non iterum liberari. Deus non commina„ retur non pœnitenti, si non ignosceret pœnitenti „. Et supra habet: „ Omnibus ergo delictis, seu car„ ne, seu spiritu, seu facto, seu voluntate commis„ sis, qui pœnam per judicium destinavit, idem & „ veniam per pœnitentiam spopondit „.

Lib. de Pœnitent. c. 8.

Cap. 4.

VI. Tenes modo præcipuos Tertulliani errores, e quibus ansam arripuit ipse prodendi odium suum, animumque erga Catholicos infensissimum. Refugit animus referre injurias quas evomuit Doctor iste contra Ecclesiam, ac calumnias, quibus eamdem maculare ausus est. Non uno in loco appellat Catholicos, *Phychicos*, hoc est, rudes homines ac carnales. Eosdem arguit, quod Agapes celebrando, ventri indulgerent, & impudicitiis operam darent; nec non quod Confes-

Objurgationes ac calumniæ Tertulliani contra Catholicos. Lib. de Jejuniis & aliis.

sores

II. & III. Sæculum.

fores in carcere detentos ad intemperantiam compellerent. Repræsentat Sanctorum Martyrum carceres veluti dissolutionis loca, in quibus Martyres ipsi non solum ad tormentorum victoriam per carnis mortificationem seipsos non parabant, sed e contra deliciis omnibus affluebant. Hinc narrat de quodam Martyre, qui cum hujusce vitæ illecebris omnibus indulsisset, ungulas admotas quasi titillantis manum passus est, & quem Dominum confiteretur, interroganti Præsidi respondere non potuerit amplius. Hujus vero narrationis vadem testemque Tertulliano digniorem volumus, cum nemo ignoret, omnia ab ipso uti vera venditari, quæ adversariorum suorum famam lædant. Nunc autem proprios ac peculiares illius errores exponere in animo est, quibus delictorum suorum mensuram implevit, & Hæresiarcha inde evasit.

Lib. de Jejun. c. 12.

CAPUT SECUNDUM.

Errores qui Tertulliano proprii ac peculiares sunt.

I. HOC caput in immensum protraheretur, si omnes referre vellemus Tertulliani errores, ac duriores phrases, quæ in ejusdem Scriptis occurrunt. Quia vero hæc omnia minutatim retulere Pamelius ac Rigaltius, ut Tillemontium prætereamus, Dupinium, ac Patrem Ceillierium, qui Spartam hanc accuratissime lustrarunt; hinc notabiliores solummodo hujusce Patris errores exponemus; & hic erit finis laborum nostrorum, quos in tradenda Tertulliani doctrina insumpsimus. Primo igitur loco venit id, quod ipse docet de Sancta Virgine Deipara, quam amisisse Virginitatem in partu asserere non dubitat, etsi fateatur, usque ad partum Virginem permansisse, eo quia absque ullo virili commercio concepit. Hinc ait, Mariam, Virginem esse, & non esse Virginem: *Virgo, & non Virgo*. Virgo utique, sed in quantum Virum non cognovit; non Virgo autem, in quantum peperit: *Virgo quantum a viro, & non Virgo quantum a partu*: Eam fuisse Virginem cum concepit & in ipso conceptu; nupsisse autem in suo partu, cum ad instar cæterarum mulierum pepererit: *Et si Virgo concepit, in partu suo nupsit, ipsa patefacta corporis lege*. Dominus Tillemontius ait insuper (*a*) ignorare se, num in recto sensu interpretari possit Tertullianus cum ait, quod Virgo post suum partum semel tantum nubere debebat; *Semel nuptura post partum*. Verum Pater Ceillierius (*b*) egregie observat, verba hæc Tertulliani in toto rigore sumi non debere, cum immediate post idem Tertullianus subdat, Virginem semel tantum nuptias contraxisse; eamdem quippe appellat *Univiram*: quod quidem verum non esset, si præter Sanctum Josephum, quem in Sponsum accepit ante suum partum, cum alio deinceps viro matrimonium iniisset. Fateri nihilominus oportet, Divum Hieronymum a Tertulliano hac in re recessisse: hinc cum Helvidius eidem opponeret auctoritatem Tertulliani, ipse reposuit, Viri illius auctoritatem non valere, qui extra Ecclesiam conscripsit: *Tertullianum*, inquit S. Doctor (*c*), *in testimonium vocat (Helvidius,) & de Tertulliano quidem nihil amplius dico, quam Ecclesiæ hominem non fuisse*. Ast mihi videtur, huic D. Hieronymi responsioni addi posse eam Patris Ceillierii animadversionem, quam supra notavimus, quæque in Tertulliani textu satis superque fundata videtur. Et re quidem vera, incredibile prorsus est, vetustum hunc Patrem, in suo libro de monogamia attulisse efficacissimum Virginis Mariæ exemplum contra propriam sententiam, quam nimio ardore tuebatur. Hoc sane exemplum se solo omnia momenta contra secundas nuptias allata infringit. Commune utique est Tertulliano hæretico (uti reipsa erat quando librum de Monogamia exaravit) pugnantia loqui: verum, dicam iterum, incredibile videtur, eumdem retulisse objectionem illam, nulla adhibita diligentia, ad eam diluendam. At certissimum est, eum nunquam refutasse quæ ibidem scripsit: ergo verba illa intelligenda veniunt in sensu, quem superius cum Patre Ceillierio innuimus.

Error Tertulliani quoad Mariæ Virginitatem. Lib. de carne Christi, c. 23.

II. & III. Sæculum.

II. Operam nostram jam posuimus alibi in explicando benigne Tertulliano scribente, animam esse quoddam corpus sui generis. Nullo autem pacto excusari possunt alii errores, & quidem numero plures, qui in eodem Doctore de Anima pariter verba faciente deprehenduntur: uti, exempli caussa, solemniora quæque, & omnimodo debita corpulentiæ, adesse animæ quoque, ipsam ex proprio sensu distingui, vel masculino scilicet vel fœminino; trinam, sicuti & corpora, per longum scilicet, latum, & profundum, dimensionem habere; Corporis humani speciem ac figuram præseferre, non esse qualitatis inanis & vacuæ, sed quæ teneri possit, aerei coloris, ac lucidam. Illud autem portentum æquare videtur, inquit Auctor vitæ Tertulliani, Virum hunc scilicet, sublimi ingenio donatum, fidem conciliare potuisse hujusmodi erroribus, visionibus illarum mulierum, quibus æque ac Sancti Spiritus revelationibus omnimodam fidem præstabat...... „ Forte nescio quid de Anima disseramus, inquit ille „ cum ea Soror in spiritu esset. Post transacta solemnia, dimissa plebe, quo usu solet nobis renuntiare „ quæ viderit: Inter cætera, inquit, ostensa est mihi „ anima corporaliter, & spiritus videbatur, sed non „ inanis & vacuæ qualitatis, immo quæ etiam teneri „ repromitteret, tenera & lucida, & aerei coloris, & „ forma per omnia humana „. Hoc pacto, prosequitur Auctor vitæ hujus Doctoris, triumphat Tertullianus huic innixus visioni tanquam validissimo fundamento, cui superstruitur illius opinio de natura Animæ; nec non audet hujusce visionis testem Deum appellare. Sed æque portento simile videtur, magnum ac celeberrimum hunc virum in adeo patentes errores prolabi potuisse, & nonnullarum mulierum visionibus hos confirmare per summam audaciam voluisse, quas non Spiritus Dei, sed spiritus erroris ac mendacii agitabat, ac extra seipsas rapiebat.

Ejusdem errores quoad Animam. Lib. de Anima, c. 9.

Pag. 301.

III. Notabiliter insuper errat Tertullianus cum docet, Ecclesiam ibi etiam haberi, ubi sunt duo vel tres, licet laici: *Ubi tres, Ecclesia est, licet laici*. Horribilis sane propositio! ex qua funestiora bene multa pro Ecclesia consequuntur. Silentio prætereo alios errores, quos non solus ipse propugnavit, sed & alii ex vetustioribus, quemadmodum exempli gratia, rebaptizandos esse ab hæreticis baptizatos; etsi, ut verum fateamur, ob hunc errorem tunc temporis damnari nequaquam posset. Quo sane in numero reponi debet Opinio Millenariorum, & descriptio Paradisi, quem in Apologetici cap. 47. appellat locum divinæ amœnitatis, recipiendis Sanctorum Spiritibus destinatum, & maceria quadam igneæ zonæ a notitia orbis communis segregatum. Quibus omnibus illud addendum venit, quod ipse docet de Angelis Apostatis, qui filias hominum impudice cognoverunt. Hi sunt notabiliores Tertulliani errores.

Error ipsius quoad Ecclesiam. de Exhortat. Castitat. c. 7.

(*a*) Tom. III. Hist. Eccles. pag. 222. & 223.
(*b*) Tom. II. pag. 521.

(*c*) D. Hieronym. contra Helvid. pag. 141. tom. 4. recent. Edition.

DO

MINUTII FELICIS.

ANIMADVERSIONES PRÆMITTENDÆ.

I. Minutii Felicis eloquentia, ac rerum profanarum eruditio, optime ex illius Dialogo deprehenduntur. Hujusce Scriptoris meritum & præstantia cuilibet Opus hoc percurrenti de facili innotescent. Si styli nitorem spectes, verborum delectum, concinnitatem, ingenii vim, argumentorum subtilitatem: si hisce omnibus addas insuper amœnissimas, quæ passim occurrunt, descriptiones, imaginum ac figurarum varietatem non minus quam nobilitatem, habes in Minutio Felice elegantiorem pene dixerim totius antiquitatis Scriptorem. Hoc sane eidem testimonium reddit Lactantius hisce verbis: (1) *Hujus liber, cui Octavius titulus est, declarat, quam idoneus veritatis assertor esse potuisset, si se totum ad id studium contulisset.*

II. Minutius fuit Causidicus, ut eodem loco tradit mox allatus Lactantius: *Minutius Felix, non ignobilis inter Causidicos loci fuit.* Idipsum apertissimis verbis scribit etiam Divus Hieronymus in Epistola ad *Magnum*. Ex quo sane factum esse credimus, ut omnem industriam operamque suam in studio Christianæ Theologiæ non posuerit. Hinc ex suo Dialogo nullo negotio eruitur, magis eum excelluisse in humanis litteris, ac profana historia, cum in illis æque ac in ista Princeps facile sit, quam in veritatibus Dogmaticis Catholicæ Religionis. Nihilominus ex ejus Dialogo exscribemus quidquid non mediocrem obtinet auctoritatem in re theologica, tum ob venerabilem hujus Auctoris antiquitatem, tum ob præclarum nomen, quod inter Ecclesiasticos Scriptores merito tenet.

PUNCTA DOGMATICA.

Existentia Dei pluribus probatur ex consideratione rerum naturalium. *Dialog.* pag. 13. Edition. Rigal. inter Opera D. Cypriani.

I. Pulcherrima sunt, summaque doctrina referta quæcunque de Divinitate scribit Minutius Felix. Dei existentia, qui mundum condiderit, & miro ordine moderetur, nullo negotio deprehenditur, si inspiciamus cœlum ipsum quam late tenditur, quam rapide volvitur, vel quod in noctem astris distinguitur, vel quod in diem sole lustratur. Ipsum auctorem suum parentemque testantur temporum ordo stabili frugum varietate distinctus, Oceanum reciprocis æstibus refluens, fontes venis perennibus manantes, fluvii exercitis lapsibus semper euntes, apte disposita recta montium, collium flexa, porrecta camporum, multiformis animantium adversus sese tutela, ipsa præcipue formæ hominis pulchritudo, etenim. *Nihil in homine membrorum est, quod non & necessitatis caussa sit, & decoris.* Et quod magis mirum est, subjungit eruditus iste Auctor, eadem figura omnibus, sed quædam unicuique lineamenta deflexa: sic & similes universi videmur, & inter se singuli dissimiles invenimur.

Probatur Unitas Dei. p. 14.

II. Verum æque facile est hominibus Supremi hujus Numinis unitatem agnoscere. Hoc enim non est multi laboris aperire cogitanti imperia terrena, quibus exempla utique de cœlo. „ Quando unquam regni societas aut cum fide cœpit, aut sine cruore desiit? „ Ob pastorum & casæ regnum de geminis historia „ notissima est. (hoc loco Remum & Romulum indigitat.) Generi & Soceri (Cæsaris, & Pompej) „ bella toto orbe diffusa sunt; & tam magni imperii „ duos fortuna non cepit. *Rex unus apibus; Dux „ unus in gregibus .... „ Tu in cœlo summam potestatem dividi credas?*

Aliæ Perfectiones Divinæ. *Ibid.*

III. „ Palam est, prosequitur idem Auctor, Parentem omnium Deum, nec principium habere, nec „ terminum: qui nativitatem omnibus præstet, sibi „ perpetuitatem. Qui ante mundum fuerit sibi ipse „ pro mundo: (hoc est, ipse sibi fuerit & occupatio, & gloria.) Qui universa, quæcunque sunt, „ verbo jubet, ratione dispensat, virtute consummat. „ Hic nec videri potest; visu clarior est: nec comprehendi; tactu purior est: nec æstimari; sensibus „ major est, infinitus, immensus: *Et soli sibi, tantus, quantus est, notus.* Nobis vero ad intellectum „ pectus angustum est: & ideo sic eum digne æstimamus, dum inæstimabilem dicimus. Magnitudinem „ Dei qui se putat nosse, minuit: qui non vult minuere, nec novit: *Nec nomen Deo quæras; Deus nomen est.* Illic vocabulis opus est, quum per singulos propriis appellationum insignibus multitudo dirimenda est: „ *Deo, qui solus est DEI vocabulum totum est.*

IV. „ Quem si Patrem dixero, loquitur semper „ Minutius Felix, terrenum opineris; si Regem, carnalem suspiceris; si Dominum, intelliges utique „ mortalem: „ *Aufer additamenta nominum, & perspicies ejus claritatem.* Hanc sane Divinitatis ideam nobis perhibet vetustus hic Scriptor; in qua tradenda perfectissime congruit cæteris Patribus, qui ante eum floruerunt. Hinc inferendum venit, uti alibi jam innuimus, hominem in hoc sæculo cognoscere Deum negative potius, ut ajunt Scholæ, quam positive, hoc est, eum melius cognoscimus cogitando quod non est, quam quod est: *Sic eum digne æstimamus*, ut Minutii verba iterum recitem, *dum inæstimabilem dicimus.* Quæ quidem verba uno eodemque tempore & infinitam Dei magnitudinem ostendunt, & summam humanæ mentis imbecillitatem.

Deus ignorari nequit. p. 15. & 16.

V. Licet autem inaccessibilis sit Divinæ Majestatis gloria; nihilominus semper verum erit, quod Deus ignorari nequit. Omnium hominum hac super re habemus consensum: *Omnium de isto*, inquit Minutius, *habeo consensum*, Audio vulgus, quum ad cœlum manus tendunt, nihil aliud quam Deum dicunt: &, Deus magnus est; &, Deus verus est; &, si Deus dederit. *Vulgi iste naturalis sermo est, an Christiani confitentis oratio?* Philosophi Ethnici, qui Jovem principem volunt, falluntur in nomine, sed de una potestate consentiunt: hinc deprehendes Philosophos ipsos, etsi sermonibus variis, ipsis tamen in rebus in hanc unam coire, & conspirare sententiam. Vide hac de re Minutium Felicem erudite disserentem pag. 15. & 16.

Præsentia, & Providentia Dei. pag. 17.

VI. Verum hunc Deum, licet omnibus hominibus sublimiorem, ac excelsiorem, in operibus ejus semper præsentem aspicimus. „ At enim, quem colimus „ Deum, inquit sapientissimus noster Orator, nec ostendimus, nec videmus? Immo ex hoc Deum credimus, quod eum sentire possumus, videre non possumus. In operibus enim ejus, & in mundi omnibus motibus virtutem ejus semper præsentem aspicimus: quum tonat, fulgurat, fulminat, quum serenat .... *Non tantum nobis proximus, sed infusus est .... A quo nullum potest esse secretum ... „ interest cogitationibus nostris .... Non tantum sub „ illo agimus, sed & cum illo, ut prope dixerim, vivimus ....* Deo una domus est mundus hic totus. Reges tantum regni sui per officia ministrorum „ universa novere: *Deo indiciis opus non est. Non solum in oculis ejus, sed & in sinu vivimus.* „ O intimam Dei præsentiam! Ecquis porro certa fide hæc teneat, & christianis moribus non excellat?

Divinitas Jesu Christi. p. 19.

VII. Etsi in suo Dialogo de Divinitate Jesu Christi non

(1) Lib. 5. Institut. cap. 1.

II. & III. SÆCULUM.

non differat Minutius; nihilominus quæ modo ex eodem exscribimus, orthodoxam illius de hoc articulo fidem ostendunt. *Longe de vicinia veritatis erratis*, inquit ille, Ethnicos alloquens, *qui putatis Deum credi, aut meruisse noxium, aut potuisse terrenum. Ne ille miserabilis, cujus in homine mortali spes omnis innititur.* Constat ex his, Minutium asserere, Jesum Christum esse verum Deum, & distinctum a cæteris hominibus, quorum potentia cum vita desinit.

Difficultas, quæ cultũ Crucis respicit. *Ibid.* Difficultas circa Ecclesias, Altaria, & Imagines. pag. 26.

VIII. Illud hoc loco observandum venit, vetustum hunc Scriptorem, paucis interjectis asserere, Christianos sui ævi Cruces non colere: *Cruces etiam nec colimus*; & infra, apud eosdem nec Templa extare, nec Altaria, nec Simulacra. Ex quibus sane qui antiquitatem probe non callent inferre possent, Cultum Crucis, necnon usum Ecclesiarum, Altarium, & Imaginum in praxi primorum sæculorum minime fundari.

Responsio ad primã difficultatem.

IX. Quo vero ad primum articulum, Minutius citato loco loquitur in sensu Ethnicorum, qui fidelibus exprobrabant quod æque colerent Crucifixum, ac ipsam Crucem. Hujus criminationis testis est locupletissimus Origenes in suo Opere contra Celsum lib. 4. pag. 87. Ibi enim hæc habet. *Qui legentes*, loquitur de Ethnicis, *crucifixi Jesu historiam*, *colligunt inde*, *nos venerationem exhibere in crucem actis omnibus*. Cæterum Ethnici probabiliter Minutii ævo non exprobrassent Christianis, quod Crucem æque ac Crucifixum colerent, nisi Christiani ipsi vel in Ecclesiis, vel in propriis domibus quædam cultus signa in Crucem præbuissent, habita tamen ratione ad Mundi Redemptorem, qui supplicium illud subire voluit.

Responsio ad secundam difficultatem.

X. Quod attinet ad alteram difficultatem, quæ Ecclesiam respicit, Altaria, & Imagines, vidimus jam cum Tertulliani doctrinam exponeremus, illius ævo (quo ævo florebat & ipse Minutius Felix) Christianos habuisse Ecclesias, & Altaria, super quæ Domino Deo offerebantur sacrificia. Verum, ut egregie observavit Pater Ceillierius in hunc locum (a) Scholæ potius dici poterant hæc loca, quam Templa, ab Ethnicorum Scholis non absimilia, in quibus nec Idolorum statuæ deerant, nec altaria ad comburendas victimas accommodata. Minutium autem eo loci locutum esse de Templis ut ajunt publicis, non vero de locis iis, in quibus fideles de more conveniebant, ex eo invincibiliter liquet, quod in eodem Dialogo Ethnici criminantur fideles, eo quia solemnioribus diebus coeunt viri ac mulieres cum totius familiæ comitatu: *Ad epulas*, inquit Cæcilius nomine Ethnicorum, quorum tuetur Religionem, *solemni die coeunt cum omnibus liberis*, *sororibus*, *matribus*, *sexus omnis homines & omnis ætatis*. Quod quidem non inficiatur Minutius, solumque ostendit puritatem ac sanctitatem harum Congregationum fidelium. Ex quo infertur, illius ævo hos conventus haberi consuevisse, ideoque tunc temporis extitisse Ecclesias, quales supra definivimus.

Dialog. pag. 8.

XI. Ad Imagines in particulari quod spectat, licet Minutius videatur tamquam certum ponere, nullas apud fideles extitisse; observandum nihilominus est, Cæcilium non asserere absolute, nullas apud Christianos extare reipsa imagines, sed solum nulla extare simulacra, quæ nota sint. *Cur nullas aras habent Christiani*, inquit Ethnicus iste loco præallegato, *templa nulla*, *nulla nota simulacra?* Quibus verbis supponere videtur, apud Christianos aliqua extitisse simulacra Ethnicis minime nota, cujusmodi esse poterat, exempli caussa, imago boni Pastoris, cujus meminit Tertullianus. Cæterum animadvertere debemus, quod hic agitur de tempore, quo persecutio sæviebat, & quo Christianis liberum non erat Templa habere, & Altaria publica ac ornata, qualia hodie apud nos sunt. Tunc quippe internus cum esset Christianorum cultus, ad extra non prodibat, ne veræ sanctæque Religionis cultores persecutoribus innotescerent.

Ibid.

De Dæmoniis, eorumque maleficiis. pag. 22.

XII. De Dæmoniis verba faciens Minutius docet, 1°. quod insinceri isti spiritus, postea quam simplicitatem substantiæ suæ onusti & immersi vitiis perdiderunt, ad solatium calamitatis suæ non desinunt perditi jam perdere, & depravati errorem pravitatis infundere, & alienati a Deo, inductis pravis religionibus a Deo segregare. 2°. Magos, quidquid operantur quod miraculi speciem præseferat, per dæmones operari: *Quidquid miraculi ludunt*, (*Magi*) *per dæmones faciunt*: illis aspirantibus, prosequitur idem Auctor, & infundentibus præstigias edunt, vel quæ non sunt, videri, vel quæ sunt, non videri. 3°. tradit, quod isti impuri spiritus, sub statuis & imaginibus consecratis delitescunt, & afflatu suo auctoritatem quasi præsentis numinis consequuntur, dum inspirantur interim vatibus, dum fanis immorantur, dum nonnumquam extorum fibras animant, avium volatus gubernant, sortes regunt, oracula efficiunt falsis pluribus involuta. „ Nam & falluntur, (illico subdit sapientissimus Orator) & fallunt, ut & nescientes sinceram veritatem, & quam sciunt, in perditionem sui non confitentes. 4°. Vitam hominum turbant, somnos inquietant, irrepentes etiam corporibus occulte, ut spiritus tenues, morbos fingunt, terrent mentes, membra distorquent, ut ad cultum sui cogant: ut nidore altarium, vel hostiis pecudum saginati, remissis, quæ constrinxerant, curasse videantur. „ Hi sunt & furentes, quos in publicum videtis excurrere: vates & ipsi absque templo sic insaniunt, sic bacchantur, sic rotantur. Hæc omnia sciunt plerique vestrum, ipsos dæmones de semetipsis confiteri, quoties a nobis & tormentis verborum, & orationis incendiis de corporibus exiguntur. Nec utique in turpitudinem sui, nonnullis præsertim vestrum assistentibus, mentiuntur: adjurati enim per Deum verum & solum, inviti miseris corporibus inhærescunt; & vel exiliunt statim, vel evanescunt gradatim, prout fides patientis adjuvat, aut gratia curantis aspirat.

Pag. 23.

Natura, & utilitates hominis. p. 26. 27. & 28.

XIII. Homo, juxta Doctrinam hujus Auctoris, vere est imago Dei: *Dei homo ipse simulacrum*: Ex natura sua liber est: *Mens* (*hominis*) *libera est*. Ejus anima est immortalis, ejusque corpus, postquam in pulverem redactum erit, resurget. Postremum hunc articulum urget Minutius, ostenditque, Deum potentem adeo esse, ut possit reformare, quod ex nihilo prius finxerat. Etenim difficilius est id, quod non sit, incipere, quam id quod fuerit, iterare. „ *Tu perire & Deo credis*, addit Minutius, *si quid oculis nostris subtrahitur?* Corpus omne, sive arescit in pulverem, sive in humorem solvitur, vel in cinerem comprimitur, vel in nidorem tenuatur, subducitur nobis, sed Deo elementorum custodi, reservatur. Nec, ut creditis, ullum damnum sepulturæ timemus, sed veterem & meliorem consuetudinem humandi frequentamus. „

Resurrectio Mortuorum. pag. 28.

XIV. Allatis deinde nonnullis ex naturalibus rebus petitis exemplis, quæ Resurrectionis possibilitatem evincunt; docet insuper, plerosque haberi, qui conscientia meritorum, nihil se esse post mortem magis optent, quam credant; malunt enim (addit illico egregius Orator) extingui penitus, quam ad supplicia reparari: quibus sane tormentis, subjungit ille paucis interjectis, nec modus ullus est, nec terminus: *Illic sapiens ignis membra urit & reficit*, *carpit & nutrit*. Eos autem merito torqueri, qui Deum nesciunt, ut impios, ut injustos; nisi profanus, nemo deliberat: *Cum Parentem omnium*, *& omnium Dominum non minoris sceleris sit ignorare*, *quam lædere*. Quæ quidem postrema verba maxime attendenda sunt, cum directe opponantur opinioni eorum qui tuentur, Deum ignorari posse invincibiliter, ideoque sine culpa.

Tormenta Inferni. pag. 28.

Tormenta in Inferno pro iis, qui Deũ ignorant. *Ibid.*

XV. Illud tandem observatione dignum circa Dogma in Minutio Felice perlegi, quod Mundi finem respicit: docet quippe omnia conflagrari debere. Cæterum de incendio mundi, (inquit ille) aut improvisum ignem cadere, aut difficile non credere, vulgaris erroris est. Animadvertis, philosophos eadem disputare quæ dicimus: *Non quod simus eorum vestigia subsecuti*; *sed quod illi de divinis prædicationibus Prophetarum*, *umbram interpolatæ veritatis imitati sint*. Itaque hoc Dogma Sacrarum Scripturarum auctoritate fulcitur æque ac Traditione sacra & profana. Cæterum Minutius expresse & formaliter damnat Metempsicosis sententiam, quam Mimi convicio dignam pronuntiat. Nunc vero ad rem moralem transiliamus.

Mundi interitus per ignem. p. 27. & 28.

PUNCTA MORALIA.

Mansuetudo Christianorum. p. 25. & 26.

I. QUæ scribit Minutius in suo Dialogo de vita & moribus veterum Christianorum, ad pietatem quam quod maxime alliciunt. Ut autem a mansuetudine ordiamur, in hac virtute excellebant adeo, ut vetitum sibi crederent homicidium videre vel audire, necnon animantium sanguinem edere. *Tantumque ab humano sanguine cavemus*, inquit Octavius, *ut nec edulium pecorum in cibis sanguinem noverimus*. Et immediate ante hæc verba inquit: *Nobis homicidium nec videre fas, nec audire*.

Eorum Puritas. Pag. 26.

II. Quoad eorum puritatem illud observandum venit, non exterius solummodo hanc virtutem illos coluisse, sed intus etiam & mente; *At nos pudorem non facie, sed mente præstamus*; hoc est, & spiritu, & corpore mundi erant. Unius matrimonii vinculo inhæ-

(a) Tom. II. pag. 231.

II. & III. SÆCULUM.

inhærebant, unam sciebant uxorem, mulieres cæteras ne videbant quidem: *Unius matrimonii vinculo libenter inhæremus, cupiditate procreandi, aut unam scimus, aut nullam.* Huic pudori perfectam jungebant temperantiam; & gravitate temperabant hilaritatem: *Gravitate hilaritatem temperamus:* casto sermone, corpore castiore. *Plerique inviolati corporis virginitate perpetua fruuntur potius, quam gloriantur.* Tandem tantum aberant ab incestu, cujus criminis falso ab Ethnicis arguebantur, ut publica etiam conjunctio nonnullis esset rubori; *Tantum denique abest incesti cupido, ut nonnullis rubori sit etiam pudica conjunctio.* Talis erat pudor ac verecundia veterum fidelium.

Christiani recusabant honores & dignitates terræ. pag. 26.

III. Verum æque aberant ab honoribus & dignitatibus terræ: *Honores vestros, & purpuras recusamus.* Et quod in dies nostri numerus augetur, (prosequitur idem Minutius), non est crimen erroris, sed testimonium laudis. Sic nos denique non notaculo corporis, ut putatis, sed innocentiæ ac modestiæ signo facile dignoscimus. Sic mutuo amore diligimus: *Sic nos fratres vocamus, ut unius Dei parentis homines, ut consortes fidei, ut spei cohæredes .... Cæterum, quod plerique pauperes dicimur, non est infamia nostra, sed gloria.* „ Animus enim, illico subjungit, ut „ luxu solvitur, ita frugalitate firmatur. Et tamen, „ qui potest pauper esse, qui non eget, qui non inhiat alieno, qui Deo dives est? Magis pauper ille „ est, qui cum multa habeat, plura desiderat: Dicam tandem quemadmodum sentio: Nemo tam pauper potest esse, quam natus est. Aves sine patrimonio vivunt ..... Facultates, si utiles putaremus, „ a Deo posceremus .... Sed nos contemnere malumus opes, quam possidere: innocentiam magis cupimus, magis patientiam flagitamus. Malumus nos „ bonos esse, quam prodigos. „ Hoc pacto Majores nostri opes ac facultates contemnebant.

Mutuus eorum amor. Ibid. Paupertas veterum Fidelium. Pag. 29.

IV. Eorumdem veterum Christianorum quanta esset fides, quanta fortitudo & constantia ex eo facile conjicere possumus, quod immediate post in eodem Minutio legimus: videlicet quod Christiani, quando ærumnis oppressi erant, & in adversis positi, probe noverant, Deum iisdem subvenire posse, & eos non despicere, sed usque in extremam mortem, voluntatem hominis sciscitari; & quemadmodum aurum igne probatur, sic Christianos variis discriminibus argui. „ Quam pulchrum spectaculum Deo, prosequitur pius „ noster Orator, quum Christianus cum dolore congreditur, quum adversum minas & supplicia & „ tormenta componitur? quum strepitum mortis & „ horrorem carnificis irridens insultat? .... *Soli Deo* ... „ *cedit:* & infra: *At enim Dei miles nec in dolore* „ *deseritur, nec morte finitur.* „ Ex quibus concludit Minutius notabilioribus hisce verbis. *Sic Christianus miser videri potest, non potest inveniri.*

Verum Constantia, ac Fortitudo. Pag. 29.

II. & III. SÆCULUM.

V. De [illegible] impiorum prosperitate, quæ Ethnicis quidem [illegible], hæc habet Minutius: *Miseri! [illegible] altius [illegible] tolluntur, ut decidant altius. Hi enim, [illegible] victimæ, [illegible] supplicium saginantur, ut hostiæ, ad pœnam coronantur.* In hoc adeo quidam imperiis ac dominationibus eriguntur, ut ingenium eorum perditæ mentes licentia potestatis liberæ nundinentur. „ Absque enim notitia Dei, quæ potest esse solida „ fœlicitas, cum sit somnio similis? Antequam tene- „ tur, elabitur. Rex es? tam times, quam timeris: „ & quamlibet sis multo comitatu stipatus, ad periculum tamen solus es. Dives es? sed fortunæ male „ creditur, & magno viatico breve vitæ iter non instruitur, sed oneratur. Fascibus & purpuris gloriaris? vanus error hominis .... Nobilitate generosus „ es? parentes tuos laudas: *Omnes tamen pari sorte nascimur; sola virtute distinguimur.*

Res secundæ impiis infaustæ, Pag. 30.

Vanitas & Fragilitas divitiarum, & totius gloriæ Mundi. Ibid.

VI. Ex præstantissima hac veritate id infert Minutius, quod Christiani, qui in moribus & pudore gloriam suam ponunt, merito voluptatibus, & pompis, & spectaculis sæculi abstinent, cum horum turpitudinem, & noxia blandimenta probe norint. Deinceps subjungit, quod Christiani sacrificiorum reliquias, & pocula delibata contemnunt, iisque abstinent, ne quis existimet, aut dæmoniis, quibus libatum est, eos cedere, aut suæ religionis eos pudere. Floribus indulgere sibi permissum putabant, & rosam veris capere, & lilium, & quidquid aliud in floribus blandi coloris, & odoris est: caput autem floribus non coronabant, ne superstitionibus Ethnicorum participare deprehenderentur. Nec mortuos coronabant, cum inutilem ac supervacaneam ducerent non sentienti coronam. Exequias adornabant eadem tranquillitate, qua vivebant. Fide præsentis majestatis Dei animati, securi spe futuræ fœlicitatis vivebant; cum e contra omnium Philosophorum multitudo in incerto & ignoratione præcipui hujusce articuli vixerit. Hinc eorum sapientia immensum superabat horum doctrinam, cum non magna eloquerentur Christiani, sed recte viverent. *Nos non habitu sapientiam*, inquit Minutius, *sed mente præferimus; non eloquimur magna, sed vivimus.* Præclaris his signis ac characteribus num dignosci poterunt fideles, qui nobiscum vivunt? Verum, heu quot sunt, qui sanctissimam hanc œconomiam turpiter invertunt, magna eloquentes, magna excogitantes, sed scelestissime viventes! Si bene omnia pensentur, speculative potius quam practice hodie christiano nomine censemur: *Eloquimur magna, sed non vivimus.* Mente exciderat animadvertere, veteres fideles noctu simul coire, & coadunari solitos fuisse, necnon quædam solemnia jejunia observare; quemadmodum Cæcilius Octavio exprobrat. Hæc sunt notabiliora, quæ in Dialogo Minutii Felicis deprehendere potui.

Sanctitas veterum Fidelium. P. 30. & 31.

Nocturni conventus, & jejunia Christianorum. Pag. 7.

DO-

DOCTRINA SANCTI HIPPOLYTI EPISCOPI ET MARTYRIS.

ANIMADVERSIONES PRÆMITTENDÆ.

I. SI temporis injuria majori ex parte perierunt Sancti hujus Ecclesiæ Doctoris Opera; saltem non exigua consolatio nostra est, dum etiamnum hodie nonnulla apud nos extant ejusdem Patris, quæ plurimas veritates primarias tum quoad Dogma, tum quoad Disciplinam complectuntur. Egregia sane vetusti hujus Patris elogia in Scriptoribus Ecclesiasticis deprehendes. Theodoretus eum accenset iis fontibus, per quos lumen veritatum suarum Deus in Ecclesiam suam diffudit. Divus Joannes Chrysostomus eum recenset inter illos Episcopos ac Doctores, qui uti fulgentissima sydera in mundo emicuerunt; quin immo eumdem appellat suavissimum, optimeque animatum. Alii vero Scriptores eum vocant, Doctorem omni veneratione dignissimum, fidelem veritatis testem, eloquentissimum Scriptorem.

II. Omnes hæ dotes in uno Divo Hippolyto collectæ in caussa sunt, cur lugeamus jacturam omnium ferme Operum eximii adeo viri celeberrimique Scriptoris. Ex iis quæ adhuc supersunt innotescet meritum eorum omnium quæ amisimus, una cum innumeris vetustissimis monumentis. Qui scire desiderat, quinam esset Divus Hippolytus, quinam numerus sit, nec non natura ejus Operum deperditorum, adeat Dupinium, Tillemontium, & Patrem Ceillierium. Mihi vero sat superque erit ea tantum recensere, quæ modo extant. Hæc igitur sunt omni sua parte perfecta; scilicet: Tractatus de Antichristo; Cyclus Paschalis; Homilia in Theophania, sive de Præsentia Dei per Incarnationem suam manifestata; Tractatus de Donis Spiritus Sancti, & de Traditione Apostolica; Homilia, de Deo Uno in tribus Personis, & de Incarnatione. Horum quæ sequuntur, aliqua tantum fragmenta habemus; & sunt; Commentaria in Opera sex dierum, in Genesim, in Psalmos, in Proverbia, in Ecclesiastem, in Cantica, in Isaiam, in Ezechielem, & in Danielem. Quædam insuper habemus fragmenta ex ejusdem Tractatibus adversus Hæreses, ex ejus Homiliis in Dominicam Paschatis, & in Evangelium de talentis a Domino peregre proficiscente distributis servis suis, de duobus latronibus, de Elcana & Anna Matre Samuelis, & de Divinitate. Tandem quædam fragmenta cujusdam Tractatus contra Platonem, & cujusdam epistolæ ad quamdam Reginam, quam fuisse dicunt Imperatricem Severam, Philippi uxorem. Hæc præmittenda erant Doctrinæ Divi Hippolyti, quam modo trademus.

SECTIO I.

PUNCTA DOGMATICA.

§. I.

Scriptura Sacra.

Inspiratio divina Sacræ Scripturæ. Lib. de Antichr. n. 2. Edit. Fabricii.

INnumeros habemus in Divo Hippolyto articulos circa primarias veritates Religionis. Ut autem a Sacra Scriptura ordiamur, id primo loco notandum est, vetustum hunc Episcopum agnoscere divinam Sacrorum librorum inspirationem; docet enim, Prophetas, hoc est Sacros Scriptores, qui antiquitus Prophetarum nomine designabantur, fuisse organa, per quæ Verbum annuntiabat hominibus Divinam voluntatem: *Hi namque Patres*, inquit Divus Hippolytus in suo Tractatu de Antichristo, *spiritu prophetiæ aptati, digneque ab ipso Verbo honorati, quo nimirum velut organa in seipsis semper unitum Verbum tanquam plectrum haberent, cujus nutu atque afflatu, quæ Deus vellet, hæc Prophetæ annuntiabant*. Addit idem Auctor, non a seipsis locutos esse Sacros Scriptores, sed sapientia & inspiratione Verbi ea revelantis, quæ reliquis hominibus erant abscondita: *Ea dicebant, ac prædicabant, quæ illis divino dumtaxat numine manifesta forent, reliquis vero abscondita*. Illud tandem subjungit, Verbum hoc Sacros Scriptores coegisse per Spiritum Sanctum loqui; Verbum in his versatum fuisse, in his locutum fuisse, suam annuntians futuram Incarnationem: *Hic autem*, loquitur hoc loco de Filio Dei, *dedit legem & Prophetas, & dando coegit hos per Spiritum Sanctum loqui . . . In his igitur Verbum versabatur loquens de ipso. Jam enim ipse suus præco erat, ostendebatque futurum esse, ut Verbum hominibus appareret*.

Lib. contra Noetum. n. 11. 12.

Ecquid efficacius pro Divinorum librorum inspiratione dici potest? Ecquis post hæc audebit inire disputationem de natura hujus inspirationis, scilicet num immediata sit, vel solum mediata? Scriptores prophetiæ spiritu repleti; Scriptores, qui sunt veluti orga-

na, per quæ Verbum Divinam voluntatem annuntiat; Scriptores a seipsis non loquentes, sed sapientia & inspiratione divina; Scriptores, uno verbo, quos Verbum cogit per Spiritum Sanctum loqui, in quibus Verbum ipsum versatur, & loquitur, numquid aliter locuti sunt, quam divinitus afflati revelatione propriæ tali, & inspiratione immediata? Cesset ergo omnis controversia de hac veritate clare admodum in remotiori antiquitate fundata.

§. II.

Traditio.

POssent insuper in Traditionis favorem ea afferri, quæ habet S. Hippolytus initio sui Tractatus contra hæresim Noeti; quod scilicet cum beati Presbyteri redarguissent hunc Hæresiarcham, aperte eidem declararunt, quod unum Deum vere sciebant, sicuti & ipse; sed sciebant insuper & Jesum Christum; sciebant, Filium passum, mortuum, suscitatum tertia die, & sedentem ad dexteram Patris, venturumque ad judicandum vivos & mortuos: *Atque hæc dicimus*, subjungit Sanctus Martyr, *quæ didicimus*. Hoc pacto veteres Traditione firmabant fidei nostræ articulos, & eadem hac Traditione non sine ingenti utilitate utebantur adversus hæreticos. Utitur sane idem S. Hippolytus contra Noetum, ut ostendat, Verbum Dei e cœlis descendisse in Virginis uterum, & ex ea incarnatum esse, assumpta anima humana, excepto peccato. *Credamus igitur, fratres*, inquit ille, *secundum Traditionem Apostolorum, κατὰ τὴν παράδοσιν τῶν Ἀποστόλων, quod Deus Verbum e cælis descendit in Sanctam Virginem Mariam*.

Veteres Traditione usi sunt adversus Hæreticos. Cont. Noetum. n. 2.

num. 17.

III. SÆCULUM.

§. III.

TRINITAS.

Unitas Naturæ, & distinctio Personarum in SS. Trinitate. num. 14.

I. CAstigatissime loquitur noster Auctor de Mysterio Sanctissimæ Trinitatis, aperteque declarat propriam fidem circa Unitatem Naturæ, & distinctionem Personarum. „ Si ergo, ait ille in suo Tractatu contra Noetum, Verbum erat apud Deum, & Deus „ erat, quid ergo? Dicet ne aliquis, dicere Joannem „ duos Deos? *Duos quidem non dicam (Deos) sed unum, personas vero duas; œconomiam tertiam, gratiam dico Spiritus Sancti.* Gratiam appellat hoc loco Spiritum Sanctum, quia Divinus iste Spiritus est fons omnium donorum, quæ Deus hominibus largitur. „ „ Pater quidem unus, prosequitur S. Hippolytus, „ personæ vero duæ, quia Filius; tertia autem Spi- „ ritus Sanctus. Pater mandat, Verbum perficit . . . *OEconomia consensionis redigitur ad unum Deum: Unus enim est Deus qui mandat, Pater; qui obedit Filius; qui docet scientiam Spiritus Sanctus.*

II. Nec quemquam morari debent hæc verba: *Qui obedit Filius*, quasi læderent perfectam Consubstantialitatem Patris & Filii: Nam, ut egregie animadvertit Pater Ceillierius (*a*) hisce loquendi formulis usi sunt Patres secundi & tertii sæculi, & quidem sine offensione, Hac phrasi usus est S. Irenæus absque ullo scrupulo; ac etsi hæ formulæ loquendi viderentur favere Arianæ hæresi, nihilominus etiam post Concilium Nicænum in Patribus occurrunt, ut videre est in Divo Basilio, (*b*) Divo Athanasio, (*c*) & Mario Victorino. (*d*) Quippe juxta stylum veterum Theologorum, hæ voces, *imperare & obedire*, quando de Personis Divinis sermo est, non significant unam alteri imperare eo modo, quo dominus famulo suo præcipit; sed designant solummodo consensionem voluntatis in Patre & Filio; non secus ac si quis diceret, quod cum Pater statuisset Mundum condere per suum Verbum; id non fecit sine voluntate Verbi sui, quod est una eademque cum eo substantia; uti jam alio loco diximus & modo fusius patebit.

Lib. 4. adv. hæres. c. 75.

Unitas & Trinitas Divina. num. 14.

III. „ Pater, prosequitur S. Hippolytus, est super „ omnia, Filius per omnia, Spiritus Sanctus in omni- „ bus. *Aliter Deum unum intelligere non possumus, „ nisi vere Patri & Filio & Spiritui Sancto credamus.* „ Judæi Patrem glorificaverunt, sed non egerunt gra- „ tias; siquidem non agnoverunt Filium. Discipuli „ (Salvatoris) agnoverunt Filium, sed non in Spiritu „ Sancto. Sciens igitur Verbum Patris œconomiam, „ & voluntatem Patris, quod non vult aliter Pater „ glorificari, nisi sic; cum resurrexisset, tradidit hoc „ Discipulis; *Euntes*, inquit, *docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti... Per hanc enim Trinitatem διὰ τῆς τριάδος, „ Pater glorificatur.* Pater enim voluit, Filius fecit, „ Spiritus Sanctus manifestum fecit . . . Necesse ergo „ est, ut quamvis nolit, confiteatur, (Noetus) Patrem „ Deum Omnipotentem, & Christum Jesum Filium „ Dei, Deum factum hominem, cui omnia Pater sub- „ jecit præter se, & Spiritum Sanctum, & hos esse „ vere tres. „ *Quod si vult scire, quomodo unus Deus demonstretur, sciat unam esse virtutem sive potentiam hujus.* Sane nemo posset nostris hisce temporibus magis accurate loqui de Mysterio Sanctissimæ Trinitatis, quam loquatur S. Hippolytus, qui tertio Ecclesiæ sæculo floruit. Perspicue revera adorabile hoc Mysterium pertractatur, cum dicitur, Patrem esse Deum, Filium esse Deum, Spiritum Sanctum esse Deum; & nihilominus unum solum esse Deum, quia tres illæ Personæ, etsi vere ab invicem distinctæ sunt una eademque virtus sive potentia, ideoque unus & idem Deus. Hoc uno S. Hippolyti pulcherrimo testimonio, tum Arii, tum Sabelii impietas profligatur. Tres sunt Divinæ Personæ, sed sunt unus Deus. En totum Sanctissimæ Trinitatis Mysterium.

num. 8.

Divinitas & Consubstantialitas Verbi. num. 9.

IV. Pari præcisione loquitur Sanctus iste Episcopus de Divinitate ac Consubstantialitate Verbi in particulari; & ex illo innumera eruuntur testimonia, quæ Arianorum nobiscum viventium os obstruere valent. Habe modo notabiliora. „ Unus Deus est, quem non „ aliunde agnoscimus, quam ex Sacris Scripturis. „ Deus solus cum esset, (ante Creationem) nihilque „ sibi coævum haberet, voluit mundum efficere, & „ mundum cogitans, ac volens, & dicens effecit. Ni- „ hil erat præter ipsum: *Ipse solus multus erat*: nec „ enim erat sine ratione, sine sapientia, sine poten- „ tia, sine consilio. Omnia erant in eo; ipse erat „ omnia. Quando voluit, & quomodo voluit ostendit „ Verbum suum temporibus apud eum definitis, per „ quod omnia fecit . . . Quod Verbum cum in se „ haberet, essetque mundo creato inaspectabile, fecit „ aspectabile, emittens priorem vocem, lumen ex lu- „ mine: *Atque ita adstitit ei alius. Cum alium di- „ co, non duos Deos dico; sed tanquam lumen ex lumi- „ ne, & aquam ex fonte, aut radium a sole: Una „ enim virtus ex toto. Totum vero Pater, ex quo „ virtus Verbum . . . . Ipse solus ex Patre genitus.*

num. 10.

num. 11.

V. Deinceps post pauca quæ habet contra pluralitatem Deorum ab antiquis hæreticis admissam, ostendit eos ipsos debere necessario unum solum Deum agnoscere, qui fecit omnia, sicut voluit: *Esse scilicet unum Deum, qui fecit omnia, sicut voluit.* Hic autem, (Deus) subjungit Sanctus Martyr, dedit legem & Prophetas, & dando coegit hos per Spiritum Sanctum loqui, ut accipientes virtutis paternæ inspirationem, consilium & voluntatem Patris nuntiarent. „ In his „ igitur Verbum versabatur loquens de ipso; jam „ enim ipse suus præco erat, ostendebatque futurum „ esse, ut Verbum in hominibus appareret: idcirco „ sic clamabat: Factus sum manifestus his qui me non „ quærebant &c. „. *Quis vero est, qui factus est manifestus, nisi Verbum Patris, quod cum Pater misit, potestatem suam ostendit hominibus.* Et inferius loquens de Verbo, quod Deus miserat, juxta phrasim Actuum Apostolicorum, aperte dicit, eum Deum esse, & Dominum omnium: *Hic est Deus omnium Dominus*; Deum unum esse, licet duæ sint personæ; *Duos quidem non dicam (Deos) sed unum, personas vero duas*; ac tandem, Patrem, qui mandat, & Filium, qui obedit, unum eumdemque Deum esse: *Unus est Deus, qui mandat, Pater; qui obedit, Filius.*

Ibid.

num. 12.

num. 13.

num. 14.

VI. Omnibus his decretoriis auctoritatibus addi posset alter ejusdem S. Martyris textus ex eodem Tractatu contra Noetum depromptus; in quo explicans hæc Christi verba: *Philippe, qui vidit me, vidit Patrem*, habet; *id est, si me vidisti, per me potes Patrem cognoscere. Per imaginem enim, quæ similis est, potest facile Pater cognosci.* Tandem ut argumentum hoc fuse a Divo Hippolyto pertractatum, in compendium redigamus, unum afferemus ejusdem Patris, ex Tractatu contra Noetum, testimonium, nec non unum ex libro contra Beronem, quæ expresse adeo Divinitatem Verbi demonstrant, ut nihil magis desiderari queat. In primo igitur in hæc Evangelii verba: *Ego & Pater unum sumus*, aperte declarat, Patrem & Filium, unum idemque esse, quia unam eamdemque habent virtutem & potentiam: *Ego & Pater unum sumus... se dixit, quia duas personas demonstravit, unam autem potentiam, sive virtutem.* In altero pariter expresse docet, quod Filius Dei, tam ante, quam post Incarnationem, erat infinitus, incomprehensibilis, impassibilis, mutationis expers, omnipotens, subsistens & operans per seipsum; uno verbo, quod erat perfectus Deus, sicuti est perfectus homo: *Deus Verbum idem Deus est totus, idem item homo totus.* Sane Ariani qui adhuc supersunt, harum auctoritatum vim eludere nullo pacto possunt. Quis enim non agnoscet uti verum Deum, uti Patri consubstantialem, eum, qui ab æterno fuit in Deo Patre; quem Pater emisit ut lumen ex lumine, ut radium a sole, ut aquam ex fonte; eum, qui eamdem habet cum Patre virtutem ac potentiam; qui est idem Deus cum Universi conditore; qui in sua persona potentiam Patris ostendit; qui est Deus & Dominus omnium; qui est vera Patris imago; in quo, & per quem Pater seipsum manifestat; cum tandem, qui est infinitus, incomprehensibilis, omnipotens, subsistens & operans per seipsum, & est perfectus Deus, sicuti est perfectus homo? Si Ariana impietas contra hæc firma adhuc & sibi constans perseverat, nullo alio pacto poterit unquam everti.

num. 7.

Ibid.

Contra Beron. Frag. 2. & 3.

VII. Observandum nihilominus obiter est, hanc S. Hippolyti phrasim: Deus solus erat ante creationem; quando voluit, & quomodo voluit ostendit Verbum suum; hanc, inquam, phrasim creare posse aliquam difficultatem lectori in lectione veterum Patrum . . . versato; qui vero vel leviter eorum scripta perlegerit, illico deprehendet, vetustos Ecclesiæ Patres hisce loquendi formulis ne minimum quidem lædere voluisse æternitatem Verbi, ejusque in Patre, & cum Patre æternam subsistentiam. Ostendimus jam superius & in Athenagora, & in aliis Patribus hujusmodi phrases non semel, eosque quantum par erat purgare studuimus ostendendo, illos verba fecisse non de generatione

(*a*) Animadversiones P. Ceillierii in hunc locum. Tom. II. pag. 366.
(*b*) Lib. de Spiritu sancto. cap. 16.
(*c*) Contra Gentiles.
(*d*) Lib. de Creatione Mundi.

III. SAECULUM.

na Verbi proprie dicta; sed de quadam productione *ad extra*, quae ab hac generatione differt. Productio haec non est aeterna, ut in confesso est apud omnes; haec peracta est temporibus apud Patrem definitis, ut & ipsi veteres Patres & S. Hippolytus in particulari consentiunt; sed aeque verum est juxta hos eosdem veteres Patres, Verbum fuisse ante hanc productionem: & ut in solo Divo Hippolyto, de quo in praesentiarum est quaestio, sistamus, apertissime mentem suam manifestat cum ait, 1°. quod licet Deus Pater solus esset ante hanc productionem; tamen multus erat, & veluti in seipso multiplicatus: *Ipse solus multus erat*; quod quidem falsum esset, si tunc Verbum non fuisset in Patre, & cum Patre. 2°. Quod ante hanc productionem Pater non erat sine ratione, sine sapientia, sine consilio: sed Filius est ratio Patris: ergo Filius erat antequam Pater, volens mundum condere, eum ostenderet. 3°. Si S. Hippolytus non credidisset, Verbum fuisse ab aeterno in Patre & cum Patre, quomodo docuisset, Patrem & Verbum esse unum solumque Deum, utrumque habere unam eamdemque virtutem, unam eamdemque potentiam? Insuper, Verbum in particulari esse Deum perfectum, infinitum, totius mutationis expertem? Omnia haec, nonne evidentissime supponunt Verbi coaeternitatem? Hisce addimus, Divum Hippolytum expresse docere, Filium Dei esse Patri coaeternum: *Ipse enim est coaeternus Patri*. τῷ πατρὶ συνάϊδιος. Quando igitur noster hic Auctor ait, Patrem solum fuisse ante mundi creationem, & per Verbum suum omnia fecisse; id unum tradere vult, Verbum ante haec tempora, etsi ab omni aeternitate genitum, *ad extra* productum non fuisse, sed veluti abditum in Patre semper fuisse, cum quo & in quo erat. Cum vero idem S. Hippolytus ait paulo post modo expensa verba: *Totum vero Pater, ex quo virtus Verbum*, hisce formulis denotat, juxta Veterum phrasim, superioritatem Personae in Patre, quem totius Divinitatis principium habebant; minime vero superioritatem naturae, quae est, juxta eosdem, eadem in Patre & Filio, ut ex ipso Divo Hippolyto jam demonstravimus.

Lib. contra Judaeos. num. 7.

VIII. Quoad Spiritum Sanctum, omni possibili praecisione declarat idem Sanctus Episcopus & Martyr, Divinum hunc Spiritum esse tertiam Personam Sanctissimae Trinitatis, ut supra jam vidimus. Supponit vero idem Auctor, tres Divinas Personas esse unum eumdemque Deum; ait quippe, tres has Personas habere unam eamdemque potentiam, unam eamdem virtutem: ergo supponit, Spiritum Sanctum esse Deum & esse Patri Filioque Consubstantialem. Caeterum perspicue mentem suam prodit super hoc articulo, cum ait hanc consensionem trium Divinarum Personarum redigi ad unum Deum: *OEconomia consensionis redigitur ad unum Deum*: „ Unus est enim Deus, „ subjungit, qui mandat, Pater; qui obedit, Filius; „ qui docet scientiam, Spiritus Sanctus. Aliter Deum „ unum intelligere non possumus, nisi vere Patri, & „ Filio, & Spiritui Sancto credamus: per hanc enim „ Trinitatem Pater glorificatur. „ Ait insuper S. Hippolytus, nos adorare Spiritum Sanctum: *Spiritum Sanctum adoramus*. Illi tribuit eamdem gloriam eamdemque potentiam, ac Filio, cujus Spiritus est: *Ipsi (Christo) gloria & potentia cum sacrosancto, bono, & vivifico ejus Spiritu &c.* Igitur certum ratumque est, juxta S. Hippolyti doctrinam, Spiritum Sanctum esse Deum, sicuti & Pater Deus est, & Filius Deus est, illisque vere esse consubstantialem.

Divinitas Spiritus Sancti. Contra Noet. n. 14.

IX. *Hic est Spiritus, qui ab initio ferebatur super aquas; per quem mundus movetur, natura creata consistit, omnia vitam accipiunt*: „ qui in Prophetis operatus est, in Christum devolavit: hic est Spiritus „ specie linguarum ignearum datus Apostolis: de hoc „ Gabriel ad Virginem, *Spiritus Sanctus superveniet in te &c.* Per hunc Spiritum Petrus beatam illam „ vocem effatus est, *Tu es Christus Filius Dei viventis*: per hunc Spiritum firmata Ecclesiae petra est. „ Tandem per hunc Spiritum, conjunctum cum aqua (Baptismi) regeneratus homo vivificatur, ex servitute in libertatem transit, ex tyrannide ad regnum, ex corruptione ad incorruptibilitatem. Haec sunt notabiliora, quae in Divo Hippolyto occurrunt quoad tres Divinas Personas.

Proprietates personales Spiritus Sancti. Ibid.

§. IV.

INCARNATIO.

I. AD Incarnationem quod attinet, docet S. Hippolytus, nec Patrem, nec Spiritum Sanctum humanam carnem assumpsisse, sed Verbum Dei: *Missus autem non est alius, quam Verbum*. Divinum hoc Verbum descendit in Sanctam Virginem Mariam, & ex ea est incarnatum, sumpta anima humana: *Factus omnia, quaecumque homo est, excepto peccato*. Hoc Dei Verbum appellatum est Dei Filius ab initio, quia in tempore inter homines nasci debebat: *Nec enim Verbum per se & sine carne Filius perfectus erat, cum tamen esset perfectum Verbum Unigenitus*: hoc est, non est adeptus perfectam qualitatem Filii, nisi per unionem duarum naturarum, per quam & Filius Dei, & Filius hominis simul effectus est.

Solum Verbum incarnatum est. Contra Noet. n. 15.

III. SAECULUM. num. 17.

II. Divinum Verbum, Dei primogenitum, unitum cum Virginis primogenito, est verus Deus & verus homo, perfectus Deus & perfectus homo: *Totus Deus ipse, totus homo idem ipse; totus Deus pariter natura, & homo idem ipse*. Quod quidem factum est absque ulla mutatione hujus vel illius naturae: *Habens caeleste quod paternum erat, tamquam Verbum; terrenum vero, tamquam ex vetere Adam, per Virginem incarnatus. Sic .... Deus corporatus apparuit. Salvator ex ea* (Maria) *natus est sine confusione Deus & homo*, ἀσυγχύτως Θεὸς καὶ ἄνθρωπος. Hae postremae loquendi formulae excerptae sunt ex quodam fragmento Commentarii quod exaravit S. Hippolytus in Proverbia; ibi enim explicans haec capitis 9. verba: *Sapientia aedificavit sibi domum . . . miscuit vinum*, eadem interpretatur de duabus Jesu Christi naturis, per vinum intelligens naturam divinam; per aquam vero naturam humanam: *Miscuit in poculo suo vinum*, inquit ille, *in Virgine Divinitatem suam uniens cum carne, tamquam vinum merum ac purissimum*: sive, ut alibi etiam habet: *Mortale corpus nostrum sua admiscendo virtuti*.

Unio duarum Naturarum Christi in una sola Persona. num. 17.

Tom. I. ejus Operum. Pag. 282.

Tract. de Antichristo num. 4.

III. Caeterum inanis scrupulus esset opinari, Eutichianam haeresim designari hac voce μίξας *admiscens*: praeter enim superius recitata apertissima testimonia, innumera pariter hoc loco afferre possumus, quae ab omni erroris suspicione super hoc articulo illum reddunt immunem. Etenim in Tractatu contra Noetum, peculiares proprietates operationesque tribuit duabus Christi naturis, & quidem his verbis: *Sic igitur humana sua non recusat, qui demonstrabatur esse Deus; cum . . . . super pulvinum dormit, qui naturam habet insomnem, ut Deus . . . . Cum ab Herode spernitur, qui totam terram judicaturus est . . . . . & a militibus illuditur is, cui adstant millia millium, & decies centena millia Angelorum*. In Tractatu contra Beronem expresse docet, Incarnationis Mysterium demonstrare duas substantias perfectas, divinam, & humanam: *Mysterium namque Divinae Incarnationis . . . perfectae Deitatis & plenae demonstrativum Humanitatis*: & utramque naturam suas proprietates & operationes naturales absque ulla mutatione servasse: *Secundum utrumque suum semper permanens sine casu, quibus divine pariter & humane operatus est: perfectionem per omnem utriusque rationem sibi naturaliter incommutabilem servans*; atque ideo Divinum Verbum miracula patrabat, caro vero patiebatur: *Deitate quidem divina . . . . operans; humanitate vero humana*.

Proprietates & Operationes distinctae duarum Naturarum in Jesu Christo. Contra Noet. num. 18. Contra Beron. & Helic. Tom. I. pag. 227. & 228.

Ibid. pag. 226.

IV. In Humanitate sua Salvator noster esurivit & sitivit; & in Divinitate sua uno eodemque tempore adorabatur ab Angelis: *Humanam quidem ipsius naturam facile est agnoscere, quando esurit & sitit . . . . Divina vero ipsius natura non obscure cernitur, quando ab Angelis adoratur*. Uno verbo, operationes istae adeo distinctae sunt, juxta S. Hippolytum, quod Verbum, *Nihil divinum corpore operabatur, nihil humanum divinitate gerebat. Verum licet mortuus est tamquam homo; tamen secundum Divinitatis naturam mansit vivus*. Habes igitur duas Christi naturas formaliter distinctas, earumdemque distinctas operationes in Divo Hippolyto assertas conspicis. Demonstrandum superest, vetustum hunc Ecclesiae Patrem, unam agnovisse in Christo Personam, unumque principium operationum omnium, quae utrique naturae conveniunt.

Sequitur idem argumentum. In Psal. 2. Tom. I. pag. 268. & alibi.

Contra Beron. n. 7.

V. Id vero evidentissime constabit unicuique vel leviter attendenti quos superius attulimus textus, ut distinctionem duarum naturarum assertam a Divo Hippolyto evinceremus: ex illis enim probe manifestum erit, quod licet duarum naturarum distinctio perspicue asseratur; nihilominus una tantum in Christo persona astruitur. Ipse quippe & perfectus Deus est, & perfectus Homo, ipse, prout Dei Verbum, divinam habebat naturam; prout vero Adae filius, habebat naturam humanam: Deus incarnatus est, *Deus incorporatus*; & ille ipse est, qui natus est ex Maria, Deus & homo; *Ex ea natus est . . . Deus & homo*: idem est, qui ab Herode spernitur, & ab Angelis adoratur; qui divina operatur & humana, qui moritur, & manet vivus. Quomodo conciliari haec possunt cum distinctione naturarum? Audi eumdem Divum Hippolytum perbelle hoc explicantem: *Secundum utrumque suum semper permanens sine casu, quibus divine pariter & humane operatus est . . . .* Et alibi: *Sibimet modum servans secundum utrumque immutabilem, per quem operatus est*

Unitas Personae in Jesu Christo.

Contra Beron. n. 7.

est utraque decenti more. Ex omnibus his, quæ modo attulimus quoad Incarnationem inferendum est, Divum Hippolytum in suis scriptis manifeste damnare tres primarias Hæreses post ejus mortem exortas; Eutychianorum scilicet, Monothelitarum, & Nestorianorum; primam quidem, dum astruit in Christo duas naturas distinctas; secundam vero, dum duas admittit voluntates in eodem Christo, duasque operationes, quæ duarum naturarum sunt propriæ; tertiam tandem, dum Unitatem Personæ in Christo tuetur,

Scopus Incarnationis. Contra Noet. num. 17.

VI. Finis ac scopus Incarnationis fuit hominum salus: hinc *Verbum e cælis descendit . . . . ut . . . . salvaret Adam qui ceciderat, & immortalitatem largiretur iis qui crederent in nomine ejus . . . . Neque caro per se sine Verbo subsistere poterat; quia in Verbo habebat subsistentiam τὴν σύστασιν. Incarnato Verbo & facto homine, Pater erat in Filio, & Filius in Patre . . . . Non per fictionem, sed vere factus est homo*.

Circumstantiæ Incarnationis. Contra Noet. num. 16. num. 4. num. 17. num. 3.

Hæc Incarnatio peracta est in Virginis utero, operante Spiritu Sancto: & error est opinari, Verbum aut aliunde quam de sinu Virginis carnem sumpsisse, aut carnem hanc de cœlo traxisse; cum ante Incarnationem nullum corpus haberet, essetque purus spiritus. Prophetæ utique Filium Dei appellaverunt etiam filium hominis; sed per anticipationem, scilicet propter futuram ejus Incarnationem: *Vocatus a principio Filius hominis, propter futurum, quamvis nondum esset homo*.

num. 4.

Perpetua Mariæ Virginitas. Tom. I. pag. 230.

VII. Bina insuper Divi Hippolyti, & quidem observatione dignissima testimonia afferenda superfunt, quæ Incarnationem respiciunt: Primum est de perpetua Mariæ Virginitate: *Universorum conditor*, inquit ille, *ex Sanctissima semper Virgine Maria . . . . factus est homo*. Secundum, Divinam ejusdem Virginis Maternitatem evincit: *Dic mihi, o beata Maria*, sic Virginem alloquitur S. Hippolytus, *quid erat a te in utero conceptum, & quid a te in Virginali matrice gestabatur? Verbum erat Dei*. Hoc S. Hippolyti testimonium recitat Theodoretus in suo primo Dialogo; & extat pariter in primo Tomo Operum hujus Sancti, pag. 267. Manifestæ huic auctoritati addatur quod ex eodem Sancto Episcopo jam protulimus; Salvatorem scilicet ex Maria natum, esse Deum & hominem sine confusione naturarum: *Salvator ex ea natus est, sine confusione Deus & homo*.

Tom. I. pag. 282.

§. V.

BAPTISMUS.

Quoad Baptismum docet Sanctus iste Episcopus, per hoc Sacramentum nos obtinere immortalitatem & vitam spiritualem, a servitute dæmonis nos liberari, & induere adoptionem filiorum Dei: *Qui cum fide*, addit iste Pater, *in hoc regenerationis lavacrum descendit, renuntiat malo, & Christo se addicit: hostem abnegat, ac Christum Deum esse confitetur: servitutem exuit, induit adoptionem . . . . Quod vere maximum est, revertitur Filius Dei, & Christi hæres*.

Virtus & efficacia Sacramenti Baptismi. Serm. In Theophania Tom. I. pag. 282.

„ Propheta Isaias Baptismi vim purgativam prædixit „ cum ait: lavamini, mundi estote . . . . . Si sint „ peccata vestra sicut puniceus pannus, ut nivem dealbabo; sique fuerint ut coccinum, dealbabo ut lanam. Sed Baptismus, quem Jesus Christus a Joanne „ suscepit, virtutem & efficaciam contulit illi Baptismo, quem in Jesu Christi nomine suscipimus. Vides igitur, quot, & quantorum bonorum jacturam „ facturi fuissemus, si Joannis monitioni Dominus cessisset, & Baptismum non suscepisset; clausi enim „ erant ante hac cœli, inaccessa supera regio „. Quæ vero ibidem habet idem S. Hippolytus; *Accede igitur & regenerare, o homo . . . . si non adulterium, nec cædem commiseris, nec idola colueris*: prima fronte videri possent a Baptismi gratia eos abigere, qui talium criminum rei sunt: si vero hujus Patris mens attente perpendatur, omnis illico evanescet difficultas: 1°. enim omnes gentes ad hoc Sacramentum invitat; *Venite omnes tribus gentium ad Baptismatis immortalitatem*, quod sane & idolorum cultores, & adulteros &c. præsupponit. 2°. nullum est crimen, quantumvis enorme, quod divino hoc Sacramento non deleatur, juxta Isaiæ textum, quem de Baptismo interpretatur S. Hippolytus, ut supra vidimus: ergo Sacramentum hoc delet idololatriam, adulterium &c. Igitur Sanctus Martyr id unum intendit, oportere scilicet abjicere habitum & affectum ad hæc crimina, uti & ad cætera omnia, ut Baptismi gratia obtineatur: quod quidem verum est, & cum Ecclesiæ Doctrina apprime congruit.

§. VI.

EUCHARISTIA

Sacramentum hoc continet Corpus & Sanguinē Jesu Christi. Tom. I. pag. 282.

Eucharistia, prout docet S. Hippolytus, est Sacramentum, quo Jesus Christus, *Divinam ipsius Carnem, ac venerabilem ejus sanguinem dedit nobis edendum bibendumque in remissionem peccatorum*: Idem hoc corpus, ac venerabilis sanguis quotidie super nostra Altaria offeruntur in memoriam primæ cœnæ: *Quæ in arcana & divina mensa quotidie perficiuntur & sanctificantur, in memoriam nunquam non recolenda primæ illius divinæ & arcanæ cœnæ*.

§. VII.

NATURA ANGELORUM, ET ANIMARUM.

Immortalitas & Incorruptibilitas Angelorum & Hominum. Tom. I. Pag. 244.

Tandem S. Hippolytus post Christum Jesum aperte declarat, quod homines in resurrectione erunt sicut Angeli Dei; hoc est, ut ille explicat, corruptionis expertes, & immortales: *Erunt homines in resurrectione, sicut Angeli Dei nimirum corruptionis expertes, immortales . . . . Ejusmodi naturæ*, subjungit, *constant Angeli, & a. ma . . . p reis vinculis exoluta: ambæ enim istæ naturæ sunt alterius generis & diversa a creaturis hujus mundi, quæ sub aspectum cadunt*. Ex his clarissime eruitur, Divum Hippolytum agnovisse animam natura sua immortalem; & Angelos uti substantias pure spirituales, & a materia omnino secretas: quæ quidem duæ essentiales veritates, aliqua involvuntur obscuritate in omnibus ferme Scriptoribus Sacris, qui ante ipsum floruerunt.

§. VIII.

ANTICHRISTUS.

Origo Antichristi. Lib. de Antichristo n. 14. & 15.

I. PRO hujus Sectionis coronide quædam afferemus Divi Hippolyti loca circa Anti-Christum. Nebulonem hunc ex tribu Dan nasciturum docet Sanctus iste Episcopus, suamque sententiam firmare studet auctoritate Scripturarum, & præcipue Genesis cap. 49. vers. 17. & Jeremiæ cap. 8. vers. 16. Verum opinio hæc, ad summum ut simplex conjectura proferri potest; hanc quippe retulisse, refutasse est, ut quilibet probe dignoscet, si vel leviter perpendere velit duo illa Scripturæ testimonia, quibus ejus opinio tota quanta est innititur. Quoad Antichristi nomen, ea Sancto Hippolyto opinio stetit, hoc designari illis Apocalypsis verbis (a): Et numerus ejus sexcenti sexaginta sex; & licet definire non audeat Sanctus Episcopus, quodnam nomen ex hoc numero emergere possit; nihilominus ex conjectura opinatur, post S. Irenæum, impostorem hunc fortasse appellari debere hoc nomine: *Titan* sive *Evanthas*, sive *Latinus*; quæ quidem conjectura, æque ac prima, futilis est.

Ejus Nomen. n. 48. & 49.

II. Non æque nutat quod docet idem Sanctus Martyr de tempore adventus Antichristi; docet quippe, hunc iniquitatis virum in fine mundi venturum esse; quod & communiter docet Ecclesia. Cæterum non ille sum ego, qui assentiri possim D. Hippolyto quædam Scripturæ testimonia de præciso Antichristi adventu interpretanti; veluti cum ait, Antichristum venturum in postrema septuaginta hebdomadarum Danielis: constat enim, uti alibi jam vidimus, hebdomadam hanc finem habuisse in primo Jesu Christi adventu, quo peracto circumstantiæ omnes notabilissimæ impletæ sunt, quas impleri debere in illa hebdomada Scripturæ nuntiaverant. Ex tunc quippe Urbs inclyta Jerusalem destructa fuit, templum eversum, Sacrificium abolitum, abominatio desolationis fuit in loco Sancto; quemadmodum Ecclesiastica narrat historia ex fide ipsorum hebræorum, qui cum propriis oculis calamitates illas conspexissent, litteris consignarunt.

Tempus Antichristi. n. 20. & 21. num. 43.

III. Nec ultra conjecturæ fines vagatur altera hæc S. Hippolyti opinio; Enochum scilicet & Eliam Prophetas per dimidium septuagesimæ hebdomadæ pugnaturos cum Antichristo; nec non insumpturos in prædicatione bis mille, bis centum sexaginta dies; quod æque incertum est, Enoch & Elias apparebunt utique Antichristi ætate, homines ad pœnitentiam cohortantes, sicuti eodem loco noster hic Auctor docet: verum, quonam præcise tempore apparebunt? quot diebus terram habitabunt? Vanæ ac inutiles quæstiones sunt istæ, quarum certam solutionem latere nos voluit

Enoch & Elias. num. 47.

(a) Cap. 13. vers. 18.

luit Spiritus Sanctus, sicuti & determinatum tempus, quo omnia consummabuntur; quod tempus nihilominus ad exitum sexti Millenarii ab eodem S. Hippolyto præfigitur. Ex quibus sane peculiaribus Divi Hippolyti opinionibus probe conjicimus, eum in exponendo litterali Scripturarum sensu parum admodum excelluisse.

Characteres Antichristi. num. 6.

IV. Felicioribus ventis mare istud enavigat cum docet, Seductorem hunc, ut facilius homines decipiat, venturum esse quibusdam notis ac signis distinctum, quæ in Sacris litteris Jesu Christo tribuuntur; Seductor enim, ut ait S. Hippolytus, per omnia similis videri vult filio Dei. „ Leo quidem Christus, ex Sacris „ Scripturis; & ex iisdem Sacris Scripturis leo Anti„ christus. Rex Christus; ac Rex Antichristus. Exhi„ bitus est Salvator ut agnus; ipse quoque pariter ut „ agnus apparebit. Misit Dominus Apostolos in om„ nes gentes; mittet & ipse perinde pseudo-apostolos. „ Congregavit Salvator oves, quæ dispersæ erant; ip„ se quoque pariter populum congregabit, qui disper„ sus est. Dedit Dominus fidelibus suis signaculum; „ ipse quoque similiter dabit. Apparuit Salvator ho„ minis habitu; ipse quoque in hominis habitu ve„ niet. Excitavit Salvator, ac sanctam domum suam ut „ templum fecit; ipse itidem templum lapidibus constru„ ctum Hierosolymis excitabit „. Hi sunt, juxta S. Hippolytum characteres, qui in speciem Jesu Christo, & Antichristo communes erunt; quibus aliud adjungit non æque certum; quod scilicet cum Salvator venerit in circumcisione in mundum; veniet & ille similiter.

num. 52.

V. Hoc autem pacto a vero Christo secerni poterit seductor ille: erit quippe politicus tyrannus, qui omnium tormentorum genere animadvertet in eos qui ejus doctrinam sectari abnuent; insuper falsis promissionibus allicere tentabit; per summam arrogantiam divinos honores exquiret: quem tandem Dominus humiliabit & pœnam infliget nimiæ illius superbiæ debitam. Jesus Christus eum exterminabit spiritu oris sui; & deinceps veniet judicare omnes homines. Tunc, inquit S. Hippolytus in suo Tractatu adversus Platonem, impii æternis suppliciis adjudicabuntur; justi vero regnabunt in perpetuum: *Injusti quidem æterno supplicio . . . . adjudicabuntur &c.* Prius vero universale judicium futurum est, & omnes rationales Creaturæ, hoc est Homines, Angeli, & Dæmones ante tribunal Verbi Dei consistere debent. Mente exciderat adnotare, Divum Hippolytum in suo Tractatu adversus Platonem de generali Resurrectione sermonem habere; quo quidem loco docet, unumquemque cum proprio corpore esse surrecturum. Habet pariter, quod Justorum corpora resurgent gloriosa, impassibilia, corruptionis expertia, & una cum anima fruentur beata æternitate; e contra autem corpora impiorum non immutabuntur, iisdemque morbis ac infirmitatibus obnoxia erunt, quibus in hoc sæculo fuerunt obnoxia. Hæc sunt notabiliora, quæ in Divo Hippolyto quoad Dogma deprehendere potui.

num. 18.

num. 25. Æterna impiorum tormenta. Tom. I. pag. 220.

Extremũ judicium. Ibid.

Resurrectio generalis. Ibid.

SECTIO II.

IN QUA AFFERUNTUR QUÆDAM MORALIS AC DISCIPLINÆ PUNCTA, UNA CUM PECULIARIBUS OPINIONIBUS AC ERRORIBUS IN OPERIBUS SANCTI HIPPOLYTI ADNOTATIS.

Caute & cum metu veritates Religionis tradendæ sunt. Tract. de Antichristo. n. 1. & 29.

I. SAnctus iste Episcopus initio sui Tractatus de Antichristo lectionem præbet iis summe necessariam, quibus Deus indolem ac dotem cæteros docendi largitus est: in eo autem posita est hæc lectio, quod scilicet Religionis veritates de facile non tradant iis, qui ad earumdem abusum proni sunt ac dispositi, sed piis solummodo hominibus, qui in timore Dei vivunt, in sanctitate & justitia. Illi ipsi qui docent, docere debent cum metu, nec cœlestia eloqui debent, nisi charitas urgeat; Hinc ipse Gentium Apostolus cum metu & caute de mysteriis fidei loquebatur; quia cum tunc temporis nec omnes homines crederent, nec toto terrarum orbi fides illucesceret, justa formidinis caussa illi non deerat, fore ut hæc mysteria indignis & ad contemptum summe disposiiis innotescerent: ideoque Timotheo discipulo suo etiam atque etiam commendat, ut non tradat veritates a se jam acceptas, nisi piis ac religiosis viris, qui alios possint easdem veritates docere. *Cum igitur Beatus Apostolus*, subjungit S. Hippolitus, *hæc caute ac metu traderet . . . . videns scilicet spiritu non esse omnium fidem; quanto res nobis majoris periculi fiet, si temere nullaque ratione profanis hominibus atque indignis tradiderimus divina eloquia.* Hanc summe necessariam Moralis partem confirmat Doctrina & praxis summorum virorum omnium, qui in Ecclesia floruerunt.

Quo pacto oportet legere, ac intelligere Divinas Scripturas. Contra Noet. n. 9.

II. Qui in Sacrarum Scripturarum lectione operam locant suam, duo præ oculis habere debent. 1°. Ex sacris his libris modum cognoscendi Deum, eidemque famulandi eruere debent, cum ex his fontibus solummodo hæc hauriri possint. 2°. in id summopere incumbere debent, ut verum earumdem Scripturarum sensum percipiant, & abhorrere ab omni interpretatione ad arbitrium conficta, vel quæ peculiari nostro spiritui, nostrisque passionibus sit conformis; uno verbo nullam Scripturis vim inferre debent: *Non secundum propriam voluntatem, neque secundum proprium sensum, neque vim inferentes in ea quæ ab eo data sunt; sed quomodo ipse* (Deus) *per sanctas Scripturas docere voluit, sic intelligamus.* Quæ quidem verba attendere deberent hæretici nostri hujus sæculi, necnon multi qui inter Catholicos male vivunt.

Cum de Mysteriis agitur, curiosius non inquirendum. Contra Noet. n. 16. & 17.

III. Nec minoris est utilitatis id quod docet alio loco idem S. Hippolytus; scilicet, cum de Mysteriis agitur, curiosius non inquirendum. Exemplum proferamus ab eodem excerptum, quod est de generatione Verbi. „ Sed dicet mihi aliquis, (verba sunt S. Hip„ polyti): Quomodo Verbum genitum est? Explica„ tionem hujus Mysterii quomodo petis tu, qui mo„ dum generationis humanæ non potes perfecte effer„ re? Non satis est tibi scire, quod Deus mundum „ condidit, nisi audeas inquirere, quomodo condidit? „ Non sufficit tibi cognoscere, quod Filius Dei tibi „ apparuit ad salutem, si tamen id credis; sed insu„ per quomodo genitus est secundum spiritum curiose „ indagas? Atqui generationem ejus secundum car„ nem enarrare non pluribus quam duobus (Matthæo „ & Luca) concreditum est: & tu audes generatio„ nem secundum spiritum scrutari? „ *Quam generationem apud se Pater servat, revelaturus tunc Sanctis, qui ut faciem ejus videant, digni erunt.* Contenti igitur estote verbis Christi: Quod natum est ex spiritu, spiritus est: *Sufficiunt hæc testimonia fidelibus veritatis studiosis.*

Charitas Christiana. Lib. de Antichristo. num. 59. & in Daniel. & Susan. Pag. 264.

IV. Charitas Jesu Christi est anima Ecclesiæ; & est veluti vinculum, quo fideles uniuntur. Per hanc charitatem, sicuti & per fidem Ecclesia recipit Baptismum: *Ecclesia per fidem . . . . & charitatem in Deum . . . recipit lavacrum.* Qui post susceptum Baptismum transgrediuntur Dei mandata, vel Religioni Christianæ nuntium remittunt, æternam propriæ animæ mortem inferunt. Hæc sunt notabiliora, quæ in Divo Hippolyto deprehenduntur quoad Mores.

Tempus ad Baptismum recipiendum præfinitũ. Comment. in Daniel. & Susan. Pag. 275.

V. Quoad disciplinam hæc observanda veniunt. 1°. Solemnitatem Paschatis fuisse tempus præfinitum ad ministrandum & recipiendum Baptismum. 2°. Hanc Paschatis solemnitatem celebrari debuisse Dominica post decimamquartam lunam Martii; nisi decimaquarta luna incideret in diem Sabbati, quo sane in casu, juxta Divum Hippolytum, celebrari non debebat festus dies Paschatis Dominica sequenti, sed transferri in aliam subsequentem Dominicam, ne festus hic dies celebraretur die eodem, quo Dominus noster Jesus Christus mortuus est. 3°. Solvendum fuisse quadragesimale jejunium Dominica Paschatis: *Solvere autem oportet jejunium, ubi Dominica inciderit.*

Tempus celebrandi solemnitatem Paschatis. Ciclus Paschalis.

Peculiares opiniones ac errores S. Hippolyti.

De statu Animarũ post præsentem vitam. Contra Platonẽ Tom. I. p. 220. 221. & Comm. in Genesim. Tom. II. Pag. 27.

VI. Quod spectat ad opiniones peculiares, erroresque Sancti hujus Episcopi, præter jam dicta superius ad calcem primæ Sectionis, circa Antichristum; observandum pariter hic venit, juxta S. Hippolytum, subterraneum quemdam locum haberi, in quem secedunt omnes homines post præsentem hanc vitam; hunc locum coævum esse mundo, tresque diversas sedes comprehendere. Prima, quam ille vocat Abrahæ sinum, Justis est assignata: Secunda peccatores retinet, qui ibidem patiuntur temporales pœnas malis eorum operibus debitas: Tertiam efformat quidam ignis æterni lacus, quem nullus adhuc, juxta S. Hippolytum ingressus est; hoc quippe supplicium, ut ille ait, ad extremi judicii tempora reservatum est: Tunc injusti, inquit ille, æterno supplicio adjudicabuntur; justi vero regnabunt in perpetuum: æque enim docet hic Auctor, æternam gloriam justis reservatam esse post universalem resurrectionem, etsi post mortem maxima perfruantur tranquillitate in contemplatione visibilium bonorum, & in spe perfruendi tandem aliquando cœlestibus bonis. Opinatur insuper Divus Hippolytus, in subterraneo illo loco Angelos adesse, qui præsint Animabus ibidem detentis, quorum aliqui debeant justos eo in loco comitari; alii vero promeritas pœnas injustis infligere. Opiniones istæ audaciores sunt quam par est; immo earum aliquæ erroris notam non effu-

III. SAECULUM.

effugiunt: ast agnoscamus cum Photio (a) errores istos, sicuti & alios, qui in ejusdem Auctoris operibus deprehendi possunt, primorum Ecclesiæ sæculorum indolem sapere; ideoque æquo jure, hac una de caussa Magnum hunc virum damnari non posse: nam, ut egregie subjungit eruditus ille Criticus, qui Scripturarum mysteria & abscondita explicare ac evolvere aggressi sunt omnium primi, vituperari non debent, si non omnia penetrarunt; immo e converso commendari debet eorum zelus, quantumvis parum profecerint in expositione eorum quæ exponenda susceperunt.

VII. Innuimus jam superius, vetustum hunc Patrem assecutum non esse verum sensum septuaginta hebdomadarum, de quibus est sermo in Propheta Daniele, earumdemque hebdomadarum terminum nimium protendere: qui sane error excusabilis est etiam ob allatam modo rationem. Verum æqua facilitate excusari non potest alter ejusdem error, quando scilicet asserit, tempus Babylonicæ captivitatis fuisse annorum quadringentorum triginta, cum tamen Scriptura septuaginta tantum annorum fuisse dicat; sicuti videre est in Propheta Jeremia cap. 25. vers. 9. & 11. Interim a Divo Hippolyto transiliamus ad Origenis Doctrinam exponendam.

III. SAECULUM.

(a) Biblioth. Cod. 202.

DO-

III. Saeculum.

DOCTRINA ORIGENIS PRESBYTERI ET CONFESSORIS.

ANIMADVERSIONES PRÆMITTENDÆ.

I. INter omnes vetustos Ecclesiæ Patres nullus est, qui de se tantam, quantam Magnus Origenes eruditionis famam reliquerit apud posteros, Studia in contraria scinduntur Patres, si de Origenis doctrina judicium ferre debeant. Eo adhuc in vivis agente, non secus ac post ejus obitum, maxima contentio viguit inter celeberrimos illorum temporum scriptores, immo inter Sanctos & Martyres, aliis pro illius doctrina certantibus, aliis vero in eam acriter insurgentibus. Illum alii secundum post Apostolos Ecclesiarum Magistrum nuncupabant; alii velut Hæresiarcham, & omni anathemate dignum traducebant; & tandem posteriores isti adeo prævaluerunt, ut eumdem anathemate pene universali totius Orientis perculsum viderint. Insuper quædam Concilia Œcumenica execrabilis Hæresiarchæ notam eidem inusserunt: hæc autem impedimento esse non potuerunt, quo minus strenuos haberet sui defensores; & licet in eum animadversum sit anathemate in quinto generali Concilio, vel in alio circa eadem tempora celebrato; innumeri tamen & eruditione, & pietate spectabiles viri, illius partes susceperunt, non quidem ab omni erroris labe, bene vero ab omni hæresis suspicione eum purgantes.

II. Illud vero hoc loco observandum est, eos qui acrius in eum insurrexerunt, vel invitos ejusdem Apologiam adornasse. S. Hieronymus (1) inter cæteros, quem certe Origenis amicum nemo dixerit, luculentissimus hac in re testis proferri potest: ait enim: Origenes magnus vir ab infantia, & vere martyris filius ... voluptates fugit ... calcavit avaritiam: Scripturas memoriter tenuit, & in studio explanationis earum, diebus desudavit ac noctibus. Mille & eo amplius Tractatus in Ecclesia locutus est: edidit innumerabiles præterea Commentarios ... Quis nostrum tanta potest legere, quanta ille conscripsit? Quis ardentem in Scripturis animum non miretur? „ Quod si quis Judas zelotes, addit S. Doctor, „ opposuerit nobis errores ejus: audiat libere; interdum magnus dormitat Homerus. Erraverunt in fide alii tam græci, quam latini. Non imitemur ejus vitia, cujus virtutem non possumus sequi „. Eusebius (2) ante Divum Hieronymum longa oratione Origenis laudes prosecutus est; & Sanctus Epiphanius (3) acerrimus Origenis hostis, ut nemo ignorat, Eusebium arguit, quod nimius fuerit in Origenis laudibus; non culpat autem, quod falsi aliquid protulerit. Ex ipsius igitur Origenis adversariis Apologia ejus virtutis, ac orthodoxæ fidei percommode eruitur.

III. Supervacaneum hic foret extollere summam illius Doctrinam, omnigenamque humanarum æque ac sacrarum rerum eruditionem, cum & ipsi ejus adversarii unanimiter in hoc asserendo conveniant; & Ethnici Philosophi, Christianæ Religioni præ cæteris infensissimi, hunc Presbyterum, veluti omnium Magistrum, ac Philosophum cæteris illius ætatis præstantiorem uno ore concelebrant. Id sane fatetur Porphirius (4) Philosophorum qui tunc temporis florebant facile princeps, & in odio contra Religionem Christianam nemini secundus. Quidam nihilominus eumdem arguunt, quod nimiam posuerit operam in ediscenda Ethnicorum Philosophia: & licet vetustus hic Doctor se purgare studeat tum necessitate, qua se urgeri asserebat, tum exemplo summorum virorum, veluti Heracli & Panteni: fatetur tamen & ipse, in quadam Epistola ad S. Gregorium Thaumaturgum maxima moderatione opus esse in hoc studiorum genere. Alibi etiam ait, eos, qui a studio sacræ Scripturæ ad humanarum scientiarum studium transiliunt, versari in magno periculo labefactandi fidem, & insimul confundendi idola mendacii, ac veritates, quas in Sacris litteris didicerunt.

IV. Hujusce infortunii specimen præbuit ipse Origenes, ut illius errores attendenti nullo negotio innotescet; nec ulli dubium esse potest, hos exortos esse a nimia & immoderata libidine percipiendi humanas scientias, nec non accommodandi mysteria Religionis Platonicæ Philosophiæ placitis. Error intercedat necesse est, quando solius rationis ope ea attingere vult homo, quæ immensum superant humanum captum. In Religionis negotio humanæ rationi parum fidendum est; non quod absolute rejici debeat humana ratio, cum absque illius auxilio ad Theologiæ cognitionem perveniri non possit; sed unice considerari debeat ut medium, quo licite uti possumus, si quando accommodare debeamus veritates Religionis captui eorum, qui illas probe non callent. Cæterum, summæ temeritatis esset, omnes errores in Origenis operibus contentos, eidem adscribere, cum certum exploratumque sit, aliquos, ipso adhuc vivente, eo audaciæ devenisse, ut ex Libris ejus quosdam corruperint, & alia sub ejus nomine evulgaverint scripta, ubi ea dicere fingebatur, quæ nunquam ei venerant in mentem, quemadmodum ipse conqueritur. Caute autem vetustus hic Pater legendus est, & juxta Ecclesiæ mentem omnia ad examen revocari debent, & illæ solæ tenendæ sunt veritates, quæ in nihilo ab Ecclesiastica discordant Traditione; cætera quæ eidem adversantur, rejici debent.

V. Accuratum catalogum Operum Origenis texere non possumus; & id unum ex multis Ecclesiasticis Scriptoribus eruimus, neminem tanta legere posse, quanta ille conscripsit; & mor-

(1) Epist. 41. ad Pamachium.
(2) Lib. 5. Hist. Ecclesiast. cap. 19.
(3) Hæres. 74.
(4) In Eusebio. Lib. 6. cap. 19.

III. SAECULUM.

& mortalium neminem, prout affirmat Vincentius Lirinensis, (5) plura scripsisse, quam Origenem. Verum utique est, Divum Epiphanium (6) horum librorum numerum ad sex mille protendere; sed hoc ab omni veri specie abhorret, nisi dicamus, librorum nomine comprehendi ejusdem Homilias, & Epistolas, saltem notabiliores: testem quippe vademque habemus Divum Hieronymum, (7) vetustum hunc Scriptorem, mille & eo amplius Homilias in Ecclesia locutum esse, & innumerabiles præterea Commentarios edidisse: *Mille & eo amplius Tractatus, quos in Ecclesia locutus est, edidit; innumerabiles præterea Commentarios*. Verum temporis injuria, majori ex parte Scripta hæc periere, & ad calamitatis cumulum, quæ hodie extant, sine græco sermone ex sola interpretatione circumferuntur. Observant eruditi, (8) Origenis stylum suavem esse, amœnum, perpolitum, & ad persuasionem accommodatum, præcipue iis in Operibus, quæ Controversiam complectuntur: Commentariorum enim, quorum maximam partem dictaverat, non æque perpolitus est stylus, non semper elegans; haud uniformis est insuper stylus Homiliarum, quas extemplo, nullaque præmissa meditatione pronuntiabat. Verum illius Opus contra Celsum omni sua parte perfectum est: in eo quippe Christianæ Religionis primarias veritates stylo eleganti, prompto & vehementi illustrat, ac validissimis rationibus tuetur.

VI. Hisce animadversionibus finem imponimus prudentissimis verbis Tillemontii (9) circa judicium de Origenis salute efformandum. Etsi eruditus hic nostrorum temporum Scriptor consultius esse dicat, id relinquere imperscrutabili Dei judicio; fatetur nihilominus, maximam spem nobis affulgere debere Divinæ erga ipsum misericordiæ. Charitas, inquit ille, qua vehementer incensus innumeros, nec sine uberiori fructu, exantlavit labores ad impiorum conversionem & salutem, absque dubio, ut sperare licet, a morte animam suam eripuit, illiusque permultos obtexit errores, qui ab intellectu potius, quam a voluntate promanarunt. Evangelium non erubuit; Jesum Christum confessus est coram hominibus, tum verbis, tum exemplis, tum denique ærumnis, quibus vexatus est; Nonne & Jesus Christus, ut sperare debemus, eum confitebitur coram Angelis suis, & coram Patre suo? Gratia illi collata, ut scilicet pro Christi nomine contumelias & tormenta ad extremum usque vitæ suæ pateretur, pignus est haud modicum illius gloriæ, quæ illi parata erat in cœlo, quamque obtinere debebat, postquam tormentorum igne purgatus fuisset in præsenti vita, & eodem igne consumptæ fuissent paleæ omnes, quæ inunixtæ erant lapidibus pretiosis, quos superædificaverat super fundamentum Jesu Christi.

SECTIO PRIMA.

PUNCTA DOGMATICA.

I. CUM Origenes tertio floruerit Ecclesiæ sæculo, quæ in ejus scriptis deprehenhenduntur magni facienda sunt. Quod si antiquitas in favorem erroris non præscribit; affirmare tamen possumus, eam veritati magnum pondus & auctoritatem conferre. Quoniam igitur, in Libris hujusce Patris innumeræ occurrunt Catholicæ Religionis veritates, quas ille perspicue exponit & validissime tuetur, operæ pretium ducimus ea omnia fideliter exscribere loca, quæ cum Ecclesiæ doctrina concordant: cum enim Doctrina hæc essentialiter nulli sit obnoxia mutationi, hodie sane in nihilo differt a Doctrina tertii Ecclesiæ sæculi. Ex his nullo negotio deprehendemus, quid tunc temporis sentiret Ecclesia, & quid sentiat impræsentiarum de divina Sacrorum librorum inspiratione, de diversis Sacræ Scripturæ sensibus, de numero Canonicorum librorum utriusque Testamenti, de modo legendi studendique Sacram Scripturam. Deprehendemus insuper, quænam sit, fueritque semper Traditionis auctoritas in Ecclesia, quænam sit eadem hæc Ecclesia, in quo fundata, quænam ejus prærogativæ, ac characteres; & tandem quænam ejus futura diuturnitas.

II. Pariter deprehendemus quænam fuerit perpetua ipsius fides circa Trinitatem Divinarum Personarum, earumque perfectam Consubstantialitatem; necnon quid illa semper crediderit de Divinitate Verbi, de veritate ac qualitate ejus Incarnationis; de Sacramento Baptismi, ac dispositionibus ad illius susceptionem necessariis; de Eucharistia, Pœnitentia, cæterisque novæ Legis Sacramentis. Deprehendemus quidnam perpetuo senserit de natura Angelorum, eorumque ministeriis; de Deiparæ Virginitate; de immortalitate Animæ, ac ejus statu post mortem; de libero arbitrio, & de gratia. Tandem videbimus quænam ab ipsis incunabulis fuerit ejus fides circa plurimas alias, & quidem primarias Religionis veritates, de quibus modo non est necessarium sermonem habere; habebimus quippe inferius de qualibet in particulari, cum de materiis Theologicis ordinem sequentes, quem exactissime observandum nobis jam proposuimus. Verum antequam in hanc messem falcem nostram immittamus, perjucundum cuilibet Lectori fore confidimus, si aliquod exhibeamus specimen egregii Operis contra Celsum, quod, judice Dupinio, aliisque celeberrimis Scriptoribus, comprehendit perfectiorem elegantioremque Apologiam quæ in tota antiquitate habeatur, Religionis Christianæ. Exscribimus igitur ex hoc Opere admodum percelebri quæcumque Christianam Religionem magis favere videntur; eruntque argumentum Capitis primi hujus Sectionis.

CAPUT PRIMUM.

ARGUMENTA PRO RELIGIONE CHRISTIANA.

I. ORigenis Opus contra Celsum non sine laudibus citatur ab Eusebio (a), Divo Hieronymo (b), aliisque Ecclesiasticis Scriptoribus. Eusebius illud perhibet uti natum aptum ad demonstrandam Religionem Christianam, necnon falsitatem eorum omnium, quæ in illius contemptum commenti sunt ejus adversarii. In libros octo hoc Opus dividitur; & en notabiliora, quæ in ipso perlegi in Christianæ Religionis favorem. Christiana igitur Religio, juxta Origenem, sua quadam propria ratione demonstratur; & ratio hæc divina est: *Divina hæc est ratio*; & ad eam Græcorum Dialectica ne comparari quidem potest. *Illam (demonstrationem) sitam esse docet Apostolus in ostensione spiritus & virtutis* (c): *spiritus quidem propter Prophetias* (quarum omnium perspicuitas & evidentia quemvis lectorem persuadere potest, ut ea præsertim credat, quæ ad Christum pertinent) *virtutis autem propter miracula*; quorum patrandorum vim ac potestatem penes Christianos esse cum ex multis aliis, tum inde maxime efficitur, quod eorum adhuc supersint vestigia apud eos, qui ex legis Christianæ præceptis vitam suam moresque exigunt. Ex quibus eruitur, etiam Origenis ætate miracula a veris Christianis patrari consuevisse. Validissimum insuper argumentum in Christianæ Religionis favorem eruitur ex victoria, quam de universo mundo Christus reportavit, etsi in Christianorum doctrinam conspirarent, Senatus Romanus, Imperatores diversis temporibus, mili-

Quatuor præcipua argumenta in favorem Religionis Christianæ. Lib. 1. contra Celsum Tom. I. p. 320. 321. 322. 323. Recentior. Edition. D. Caroli de la Rue.

(5) Commonitor. Part. 1.
(6) Hæres. 64. n. 63.
(7) Epist. 41. ad Pamachium.
(8) Ceillierius. Tom. II. pag. 780.

(9) Tom. I. Hist. Ecclesiast. pag. 595.
(a) Lib. 6. Hist. Ecclesiast. cap. 36.
(b) Epist. 83.
(c) I. Corinth. cap. 2. vers. 4.

milites, populi, ipsi tandem eorum qui credebant parentes: *Ut tot undique hostium insidiis circumvallata (Christianorum doctrina) haud dubie oppressa fuisset, nisi divina virtute sustentata.* Hæc sunt tria præcipua argumenta, circa quæ versatur Origenis Apologia pro Religione Christiana. Quartum adjungit idem Scriptor; doctrinam scilicet Christianorum in seipsa consideratam, morum integritatem, ac sanctitatem vitæ.

Argumentum depromptum ex Prophetiis. Lib. 1. pag. 332. n. 14. & pag. 334. num. 16.

II. Ad Prophetias quod attinet, æquum est tantam saltem addere fidem libris Judæorum, quanta additur libris cæterarum gentium, in eo quidem quod eorum antiquitatem respicit. Verum dubitare nemo poterit de antiquitate Judæorum, si perpendat ea quæ proferunt hujusce antiquitatis testimonia tum Josephus in suis libris contra Appionem, & Tatianus in Oratione ad Græcos. Si igitur fides adjungitur profanis historiis, cur non adjungetur, exempli caussa, libris Moysis? Si vero his nulla adjungitur fides; cur illis adjungetur? Deinde, Moysis scripta utiliora longe sunt scriptis profanorum Auctorum, tum nobilitate suarum de Divinitate sententiarum; tum sapientia suarum legum, ac documentorum, quæ homines meliores reddunt; tum denique suo scribendi modo, quo ab universis hominibus intelligi potest. Moyses in iis quæ narrat, majorem præ cæteris meretur fidem, cum omnia ad universarum rerum conditorem & solum Deum referat: majorem iis meretur fidem, qui fabulosam transmigrationem commenti sunt, qua fieret, ut anima e cœli fornicibus delapsa, in brutas animantes tam mansuetas, quam feras descenderet: majorem Aristotele & Stoicis meretur fidem, qui Deum corpus esse autumant, ac asseverant, neque eos negare pudet, illum esse mutationis & vicissitudinis immunem, ita ut ex ipsis corrumpi possit, si qui sit, qui corrumpat, eaque de caussa non corrumpatur, quia quod corrumpat, nihil est. Sed Judæorum Christianorumque doctrina Deum mutationis omnis variationisque expertem profitetur, suisque ad Deum precibus Judæi atque Christiani dicunt cum Propheta: *Tu autem idem ipse es.* Cæterum Prophetiæ omnes, quæ Salvatorem respiciunt, tanta donantur perspicuitate ac evidentia, ut quemvis lectorem persuadere valeant: *Quarum omnium perspicuitas & evidentia quemvis lectorem persuadere potest, ut ea præsertim credas, quæ ad Christum pertinent.*

pag. 336. n. 17. 18. — pag. 337. 338. 339. num. 19. 20. 21. — pag. 350. num. 2.

pag. 352. 353. &c.

III. Profert deinde Origenes præcipua vaticinia, quæ distincte prænuntiant nativitatem, passionem, mortem, cæterasque circumstantias adventus Jesu Christi. Postquam vero in sequentibus demonstravit, vaticinia hæc in solo Salvatore adimpleta fuisse, magnum ostendit intercedere discrimen inter pseudoprophetas Ethnicorum, & Prophetas Judæorum: nam pseudoprophetæ quando vaticinia fundebant, extra se abrepti erant, & in furorem acti; quod certe Spiritus Divini non est opus: Judæorum vero Prophetæ Divino Spiritu illustrati, præstantioris naturæ adventu fruebantur, & per Spiritus Sancti contactum, ut ita loquar, mentem perspicaciorem, animamque splendidiorem præferebant. Ethnicorum pseudoprophetæ, perversi ac corruptis moribus cum essent, corporearum voluptatum desiderio unice tenebantur: verum e Judaicis Prophetis alii ante sapientes erant, quam prophetiæ donum acciperent; alios prophetia illustravit, & sapientes effecit. Hi vitæ genus sectati difficile imitatu, constans, liberum, & mortis periculorumque metu inconcussum, fuerunt a Providentia electi, quibus Divinus Spiritus, ejusque eloquia committerentur. Hi, sicut & alii innumeri, qui Dei fuerunt Prophetæ prædixerunt etiam quæ ad Jesum pertinerent. Atque hanc ob caussam, quæcumque audientibus ad morum emendationem utile erat primo aspectu intelligi, ea Prophetæ juxta Dei voluntatem nulla obscuritate protulerunt: ea vero ænigmatum, allegoriarum, obscurarum locutionum, parabolarum, aut proverbiorum involucris texerunt, quæ arcanius quid & profundius haberent, sensusque latentes ad vulgi captum non attemperatos. Tales erant, juxta Origenem Prophetæ, qui in Religionis Christianæ favorem locuti sunt. Sane nullo rationabili modo fides iis denegari potest; eorum testimonium summæ absolutæque auctoritatis est in iis veritatibus quas annuntiant.

Lib. 7. p. 695. 696. 697. 698. 699. 700. 701.

Argumentum ex Miraculis in favorem Christianæ Religionis patratis. Lib. 2. p. 442. &c. n. 48. &c.

IV. Magni insuper ponderis sunt miracula in Christianæ Religionis favorem patrata; quorum tanta erat evidentia, ut Christianorum hostes cum non possent ea inficiari, cogerentur eadem tribuere magicis artibus, ac dæmonis præstigiis. Verum Origenes egregie refutat præcrassam hanc calumniam ostendens, Miracula Moysis, Prophetarum, Jesu Christi, ejusque Discipulorum nullius artificii insimulari posse. Mores horum illustrium Virorum, illorum doctrina, & alia ex miraculis consequentia, ineluctabiliter id evincunt. Quæ enim cæteros docebant, ipsi omnium primi operibus profitebantur; nihilque docebant, quod Deo Optimo Maximo non esset dignissimum, rationi conforme, bonis moribus, civiumque societati perutile. Doctrina, quam annuntiabant, deterrebat homines a peccatis, quibus antea indulserant, & fructus miraculorum quæ patrabant, erat salus animarum. Moyses nactus homines circumcisionis aliorumque ab Abraham acceptorum rituum religiosos observatores, eis divinas leges imposuit. Jesus Christus antiquatis institutis pristinis moribusque patriis, in quibus gentes educatæ fuerant, Reipublicæ formam Evangelicis præscriptis consentaneam superinduxit. Utrique miraculis opus fuit; Moysi quidem, ut sibi apud Senatum plebemque fidem faceret; Jesu vero, ut suam probaret Divinitatem, & Evangelium in universum orbem propagaret. Verum præstigiatores hominum salutem non quærunt, immo nec quærere valent, cum ipsi scelestissimi sint; deinde eorum præstigiæ breviter dissipantur, Sic Theodas statim ac sublatus est, omnes qui credebant ei, subito dissipati fuerunt. Sic Simoniani doctrinam Simonis abjecerunt post ejus mortem, ita ut Origenis ætate vix triginta reliqui memorabantur.

Lib. 2. p. 426. 427. n. 52. — Lib. 6. p. 568. n. 11.

Sequitur idem argumentum Lib. 2. p. 348. n. 31. — Lib. 8. p. 776. n. 47.

V. Id autem dici nequit de Discipulis Salvatoris. Cum testes oculati fuissent ejus Resurrectionis, necnon cæterorum miraculorum, quæ dum in vivis ageret patraverat; & cum Divinum quidpiam esse persuasum habentes, patriam relinquunt, ut ex voluntate Jesu doctrinam sibi ab ipso traditam doceant, & intrepide se periculis committunt ac morti. Disputationes habent contra Judæos & Ethnicos, & a patriis institutis abducunt, etsi plebæi essent, Publicani, peccatores, & sine litteris viri. Mors Christi ignominiosa debuisset naturaliter delere anticipatam de sacra ejus persona opinionem; & cum eumdem vidissent occubuisse sicuti unum de hominibus, seipsos deceptos agnoscere debebant, propriumque errorem omnium primi damnare. Quoniam igitur oppositum peregerunt, uti modo diximus, asserere debemus, illos persuasum habuisse eum divinum quidpiam fuisse, vera esse ejus miracula, & veram præcipue esse indubitatamque ipsius Resurrectionem: igitur nudus homo non erat Christus. Quo pacto enim nudus homo ausus fuisset per universum orbem suam Religionem doctrinamque suam disseminare? quo pacto potuisset pro arbitrio superare eos omnes, qui suæ doctrinæ promulgationi adversabantur, Reges, Imperatores, Senatum Romanum, omnes omnium gentium Principes, populum? quippe a solo Deo vis ista obtineri potest.

Lib. 2. p. 446. n. 79.

Sequitur idem argumentū. Lib. 3. p. 473. n. 39.

VI. Perperam autem in dubium quis revocaret, num reipsa vera sint miracula, quorum meminit Evangelium. Omnem fidem, inquit Origenes, adjungere debemus iis, qui Evangelia scripserunt, ducti scilicet pietate & animi candore, quæ in eorum scriptis elucent, quæque nihil in eis aut spurium, aut dolosum, aut fictitium, aut vafrum suspicari sinunt. Pro certo enim habemus, animas, quæ nunquam attigerant ea, quæ apud Græcos callida multamque veri speciem ac subtilitatem adhibens sapientia & versata in judiciis rhetorica docent, idoneas non fuisse ad res comminiscendas, quæ & fidem ingenerare, & ad vitam fidei consentaneam adducere potuissent. Equidem crediderim, prosequitur idem Origenes, talibus suæ doctrinæ magistris Jesum uti voluisse, tum ut suspicandi locus non esset, eam niti argumentis ad veri speciem compositis, tum ut intelligentioribus evidens fieret, sinceritatem illam Scriptorum junctam cum multa, ut ita loquar, simplicitate, donatam fuisse divina potestate. Apostoli sane tantum aberant ab omni dolo, ut malent omnia experiri tormenta, & ipsam etiam mortem subire, quam veritatem vel in uno verbo lædere; hinc sinceri adeo, & bona fide fuerunt, ut de iis etiam mentionem faciant, quæ & ipsis, & eorum Magistro ignominiam creare posse videntur.

Lib. 2. pag. 407. n. 15. & 16.

Sequitur idem argumentū. Lib. 1. p. 321. n. 2.

VII. Ipsi pariter Discipuli Jesu Christi miracula perpatrabant primis Ecclesiæ sæculis, & eorum vestigia etiam ætate Origenis supererant: *Supersunt etiam nunc prodigiorum vestigia apud eos, qui vivunt juxta voluntatem ipsius.* Diversos curabant languores; & Divino lumine illustrati futura quandoque prænuntiabant: dæmones ab hominibus ejiciebant nullis adhibitis pharmacis, nullis magicis incantationibus; sed orationibus, & pronuntiato nomine Jesu, maxime cum nomen hoc aliquis recitabat puro animo, & integra fide. *Tanta certe*, addit Pater iste, *vis nomini Jesu inest contra dæmones, ut nonnumquam, etiam a malis nominatum, sit efficax.* „ Veruntamen licet qua virtute, „ prosequitur Origenes, Jesus hæc fecerit, demon„ strari posse non videretur; nihilominus evidens est, „ nullam a Christianis incantationum artem adhiberi, „ sed Jesu nomen, aliaque nonnulla, quæ Scripturæ „ Divinæ credenda esse docent. „

Ibid. pag. 334. 335. n. 6. — Lib. 7. p. 696. n. 4. — Lib. 1. p. 335. n. 6.

III. SÆCULUM.

VIII. Maximum vero miraculum a Salvatore per suos Apostolos ac Discipulos patratum, est Victoria, quam isti reportarunt de universo mundo, & mira Evangelii propagatio. Et quia Dei voluntas erat, ut inter homines Jesu doctrina invalesceret, irriti fuerunt omnes dæmonum conatus: quamquam machinas adhibuerunt omnes, ut Christiani amplius non essent, Reges enim, Senatus, Principes, populos ipsos mali injustique ipsorum incepti ignaros incenderunt in Religionem Christianam, eosque qui ad illam adhærescebant. Sed Verbum Dei vel impedimentum fortius omnibus fuit; & quasi vires ex ipsis impedimentis accessissent, magis magisque progressum est, & uberiorem animarum segetem messuit. Volens Jesus disseminare doctrinam suam, tantum perfecit, ut (quod de alia Religione nunquam auditum est) paucis annis in multis Orbis locis multos Græcos & Barbaros, multos sapientes & ignaros ad suam Doctrinam alliceret, & ita persuaderet, ut ad mortem certare pro Christianismo, quam illum ejurare mallent. Num verisimile est, Apostolos, viros ignaros & plebejos, fuisse adeo audaces, ut tantum opus adorirentur, quale est universum terrarum orbem subjicere legibus Jesu Christi, nisi Divina virtute seipsos fulciri persensissent? Num verisimile est, eorum auditores a patriis institutis abductos fuisse ut amplecterentur doctrinam omnino diversam, nisi peculiari quadam & extraordinaria virtute, nec non miraculis permoti fuissent? Et quod magis mirandum est in conversione Infidelium, multi, prout narrat Origenes, ad Religionem Christianam accesserunt velut inviti; Spiritu quodam repente in illorum animos agente, atque ita illos immutante, ut quod in illam conceperant odium deponerent, & pro illa mortem oppetere statuerent. Affirmat Origenes se propriis oculis multa hujusmodi novisse exempla: *Multa ejusmodi novimus*, inquit ille, *quæ si scriberemus, tametsi illorum oculati testes fuerimus, benignam risus materiam præberemus incredulis*. „ Testis autem est Deus, (subjungit idem Scriptor) „ cui arcana conscientiæ nostræ patent, nos Divinam „ Jesu doctrinam non falsis narratiunculis, sed variis „ iisque evidentibus argumentis confirmare velle. „ Validissimis hisce momentis nihil, ut mihi videtur, addi posset, etiamsi de conversione pervicaciorum hominum ageretur.

Lib. 4. p. 525. n. 32.

Lib. 1. p. 344. 345. n. 26.

Pag. 349. n. 31.

Pag. 361. 362. n. 46.

IX. Cæterum Doctrina Christianorum in seipsa considerata satis comprobat Divinitatem Christianæ Religionis. 1°. enim Doctrina hæc toti Orbi cognita est. Neminem quippe fugit, Jesum natum esse ex Virgine, & suffixum cruci, & quod jam tot homines credunt, illum e mortuis surrexisse, venturum esse judicium, quo injusti meritis suppliciis, justi meritis præmiis affici debent. Et mysterium Resurrectionis in ore est etiam infidelibus, quibus derisiculo est, quia illud non intelligunt. 2°. Hæc Doctrina præstantior est illa cæterarum nationum. Infideles adorant bestias, statuas, vel alias Creaturas: Christiani vero sublimiora his visibilibus ac creatis rebus petunt, ideoque colunt Deum, a quo omnia dependent, quique scrutatur hominum renes & corda. Fidei lumine illustrati, nec non primis ac communioribus naturæ ideis agnoscunt, Deum supra materiam corruptibilem esse, ac immensum ab ea distare, & honorari non posse corporeis hisce rebus, sub quibus contendunt infideles eumdem repræsentare; agnoscunt, idola uti quid divinum considerari non posse, cum sint opera manuum hominum; eaque comparari non posse cum supremo Deo, qui Universum creavit, regit, atque gubernat. 3°. Doctrina Christianorum æque accurata est quoad mores, ac quoad Dogma. Ipsa docet servos, ut discant, quomodo ingenui per Religionem fieri queant: mulierculas avertit ab impudicitia, ab exercendis cum maritis simultatibus, a theatrorum saltationumque insania: puberibus autem pueris lascivientibus, & in venerem prurientibus frænos injicit: docet contemnendas esse res sensibus subjectas, caducas, & quæ videntur: conatur modis omnibus animam ad rerum omnium conditorem evehere. Uno verbo, docet peccatores non amplius peccare; simplices replet perfecta prudentia, omnes homines ad Beatitudinem perducit.

Argumentum depromptum ex Doctrina Christianorum. Lib. 1. p. 325. n. 7.

Lib. 3. Pag. 473. num. 39.

Lib. 3. Pag. 483. num. 54. & p. 485. num. 56.

X. Hisce positis, mirabitur nemo, Christianos pure & innocenter vivere, eosque, si cum infidelibus comparentur, in mundo tamquam lumina esse. „ Ecquis „ enim, inquit Origenes, non fateatur, eos, qui in „ Ecclesia deteriores sunt, & in meliorum compara„ tione pejores, præstantiores esse multis eorum, qui „ in popularibus cœtibus vivunt? Ecclesia Dei, quæ „ est Athenis, mansueta est & constans, ut quæ grata „ summo Deo & accepta esse studet: contra cœtus „ Atheniensium turbulentus est, nec ulla ex parte ad „ Ecclesiam ejusdem loci comparandus. Idem dixeris „ de Ecclesia Dei, quæ est Corinthi & de Corinthio„ rum cœtu; idem quoque de Ecclesia Dei, quæ est „ Alexandriæ, & de Alexandrinorum concilio. Et si „ quis hæc candido animo audierit, & in rebus con„ siderandis veritatem quæsierit, is eum admirabitur, „ qui consilium cœpit, & perficere potuit, ut Eccle„ siæ Dei ubique essent in singulis urbibus populorum „ cœtibus immixtæ „. Christiani ad mortem certare pro Christianismo, quam illum ejurare mallunt: civilis societatis vinculum, hoc est justitiam diligenter custodiunt: se dociles præbent, mites ac urbanos: ab obscœnitate & impudicitia, & omni venerearum voluptatum dedecore abiunt. Aliqui inter ipsos, non propter humanos honores, non propter mercedes pecuniarias, non propter gloriolam, sed colendi Numinis caussa perfectam virginitatem colunt. Quidam etiam eorum cum eximiæ puritatis amore, tum quo castius ad cultum divinum accedant, venereis voluptatibus etiam lege permissis abstinent. Tandem adeo sinceri sunt in sua Religione, ut, ne vel una vocula Christianismum ejurent, ad mortem usque firmiter pugnent, parati quodvis supplicii mortisque genus sustinere. Et his in circumstantiis, inquit egregie Origenes, *Facilius pietatis caussa corpus exuamus, quam Philosophus deponeret vestem*. Habes modo in compendium redacta ea omnia, quæ notabiliora deprehendere potui in Opere Origenis contra Celsum in favorem Religionis Christianæ. Si cui hæc quæ ab Origene exscripsi non arrident, vel eadem proponendi methodus, adeat Scriptorem ipsum in suo fonte, & ibi omnia quæ hic desunt, pro libitu perlegere poterit.

Lib. 3. Pag. 466. num. 29. & 30.

III. SÆCULUM.

Lib. 7. Pag. 739. num. 48.

Lib. 1. Pag. 345. n. 26.

Lib. 7. Pag. 721. num. 39.

CAPUT SECUNDUM,

DE SACRA SCRIPTURA, ET DE TRADITIONE.

I. SAcra Scriptura, juxta Origenis doctrinam, Divina inspiratione exarata est, & Spiritus Sancti est Opus. *Sane*, inquit Origenes, *quod iste Spiritus unumquemque Sanctorum vel Prophetarum, vel Apostolorum inspiraverit . . . . manifestissime in Ecclesiis prædicatur*. Alibi aperte docet, *Omnem Scripturam* (esse) *divinitus datam*; & Sacros libros, *Ex afflatu Sancti Spiritus* (esse) *scriptos* ἐξ ἐπιπνοίας τȣ̃ ἁγίȣ πνεύματος ἀναγεγραμμένον; & ipsum Spiritum Sanctum dedisse hominibus sacras litteras per ministros verbi: *Spiritus Sanctus per ministros verbi ista subjecit*. Tandem Christianos cum Judæis convenire circa veritatem hujusce inspirationis: *Dicimus in confesso esse apud utrosque, sacros libros scriptos esse Divino Spiritu*: τὰ Βιβλία θείῳ γεγράφθαι πνεύματι. Ex his loquendi formulis, quibus utitur Origenes, satis superque constat, sermonem hic esse de inspiratione immediata, de vera revelatione, quæ omnes indiscriminatim afficit Sacros Scriptores, sive Prophetæ sint, sive Historici &c.

Inspiratio Divina Sacræ Scripturæ. Lib. 1. Periarch. Tom. I. pag. 48.

Super Psalm. Tom. II. pag. 527.

Lib. 5. contra Celsum. Tom. I. Pag. 613. num. 60.

II. Nec satis illi fuit tam perspicue docere, Sacram Scripturam esse opus Spiritus Sancti; nam ulterius hanc veritatem validioribus momentis confirmare studet. Momentum primum desumptum est ex unanimi consensione omnium Nationum, quæ susceperunt doctrinam in veteri novoque Testamento comprehensam. Permulti Legislatores, inquit Origenes, extiterunt apud Grecos & Barbaros; innumeri quoque Doctores vel Philosophi veritatem se pollicentes asserere: nullum meminimus Legislatorem, affectum quemdam & studium etiam exterarum gentium animis injicere potuisse, ut leges suas vel susciperent libenter, vel etiam omni animi intentione defenderent. Et quidem dubitari non potest, quod Philosophi optaverint omnibus innotescere eam, quæ sibi visa fuerat, veritatem: sed scientes, quia id omnino non possent, ne conari quidem hoc, aut incipere omnino ausi sunt. Sacræ Scripturæ reservatum erat innumeros & immensos ex omni Græcia, & ex omni terrarum orbe perducere ad observantiam legis Moysis, & ad discipulatum Christi; innumeri quippe fuerunt & immensi ex omnibus gentibus, qui relictis patriis legibus, & his quos putabant Deos, ad alium cultum se tradiderunt, & hoc non sine ingenti odio adversum se commoto eorum, qui simulacra venerabantur; ita ut ab his frequenter & cruciatibus affligerentur, nonnumquam etiam agerentur in mortem. „ Quod si attendamus, addit Origenes, „ quomodo brevi tempore ipsa Religio crevit pœnis „ cultorum mortibusque proficiens, sed & bonorum „ direptionibus, atque ab his omni genere supplicio„ rum tolerato: *Rem humanis viribus majorem dicere non dubitamus*.

Momenta, quæ Divinitatem Sacræ Scripturæ ostendunt. Lib. 4. Periarch. Tom. I. Pag. 156. 157. &c. n. 1. & 2. Primum Momentum.

III. Secundum Origenis momentum in favorem inspirationis Sacræ Scripturæ ex eo desumitur, quod Prophetiæ in Scripturis exaratæ perfectissime adimpletæ sunt. Divini isti libri annuntiant adventum Salva-

Secundum Momentum. Ibid. p. 158. 159. n. 3.

tors,

III. SÆCULUM.

num. 4.

pag. 160. num. 5.

pag. 161. num. 6.

to is, prænuntiantque, eo adveniente cessaturos Principes ex Juda; quemadmodum ex historia manifestissime edocemur contigisse; post Incarnationem enim tota Judæa vastata est; & apud Judæos ab illis diebus usque modo nec hostiæ offeruntur, nec altare invenitur, nec Sacerdotium constat. Scriptura Sacra de Messia verba faciens, ait, gratiam diffusam esse in labiis ejus; linguam illius esse calamum Scribæ velociter scribentis: quod quidem vaticinium impletum est, quia brevi temporis intervallo universus Orbis doctrina & fide pietatis ejus impletus est. Legimus insuper prænuntiatum in sacris litteris ejus ortum ex Virgine, in Bethleem, & ad finem septuaginta Danielis hebdomadarum: quæ quidem ad litteram impleta sunt. Ex quibus omnibus vaticiniis per ecte adimpletis, inspiratio Sacræ Scripturæ demonstrata remanet: *His autem demonstratis . . . simul etiam arbitror illud approbatum, quod & Scriptura . . . . . divinitus inspirata sunt*. Oportebat autem has prophetias adimpleri, inquit Origenes, ut manifeste demonstrari posset Sacrorum librorum Divinitas. „ Ante enim quam complerentur, subdit idem Scriptor, ea quæ ab illis fuerant prædicta, quamvis vera essent, & a Deo inspirata, tamen ostendi vera esse non poterant pro eo quod nondum probarentur impleta. Adventus vero Christi vera esse & divinitus inspirata quæ dixerant, declaravit, cum utique prius haberetur incertum, si eorum quæ prædicta fuerant exitus esset implendus „. Observandum hic est, Origenem non asserere absolute, ante Incarnationem non potuisse demonstrari inspirationem librorum veteris Testamenti; sed solum demonstrari non potuisse *manifestis argumentis*; quia solus exitus harum prophetiarum, qualis post Incarnationem fecit, id manifestissime ostendere poterat. Semper igitur certum indubitatumque fuit, Sacræ Scripturæ libros divinitus inspiratos fuisse; sed veritas ista clara & evidens non evasit, nisi post exitum prophetiarum: *Christi autem adventus*, verba sunt Origenis, *iis qui suspicari poterant legem & Prophetas non esse divinos, perspicue declaravit cælesti gratia esse conscriptos . . . . Lumen Moysis . . .*, habet inferius, *quod velamine obtegebatur, adveniente Jesu Christo refulsit*.

pag. 162. num. 6.

Humilis & abjecta Sacræ Scripturæ locutio dubitare non sinit de Divina ejus Inspiratione. Lib. 4. Periarch. p. 163. n. 7.

IV. Quod si his qui minus in Divinis eruditi sunt disciplinis, non statim in prima fronte litteræ sensus, qui supra hominem est, videtur occurrere; non illico dicendum, Sacram Scripturam notis ac characteribus Divinitatis destitui. Sicuti enim in ordine naturæ quædam sunt, quæ non satis evidenter apparent Divina Providentia dispensari; ita ut interdum ab incredulis nec credantur quædam ad Providentiam pertinere, quia ratio ab eis latet, per quam ineffabili quadam arte opera divinæ providentiæ dispensantur: quæ tamen ratio non æqualiter omnibus occultata est: ita ne Scripturæ quidem Sanctæ divina esse inspiratio propterea non putabitur, quod infirmitas intelligentiæ nostræ non valet per singula verba occultas & latentes investigare sententias: Sunt quippe Sacræ Scripturæ thesaurus in vasis fictilibus, ut eo magis divinæ potentiæ virtus effulgeat, dum nullus humanæ eloquentiæ fucus in dogmatum veritate miscetur. Si enim vel arte rhetorica, vel philosophica calliditate conscripti libri Sacri, ad credendum illicerent homines, sine dubio fides Christiana putaretur in verborum arte consistere atque in sapientia humana, & non in virtute Dei. Futilis igitur est objectio contra Divinitatem Scripturæ ex eo desumpta, quod ingenii nostri imbecillitas non possit in unaquaque dictione pervenire ad arcanum sententiarum sensum: *Neque Scriptura Divinitati per eam totam diffusa quidquam detrahitur, ex eo quod ingenii nostri imbecillitas in unaquaque dictione minime possit pervenire ad arcanum sententiarum splendorem in humili & abjecta locutione delitescentem*. Quæ quidem verba libertinis æque ac incredulis silentium indicunt.

Nihil inutile aut supervacaneum in Sacris Scripturis reperitur. Homil. 27. in Numeros. Tom. I. pag. 375.

V. Si tota quanta est Sacra Scriptura divinitus inspirata est, uti docet Origenes, necessario inde sequitur, nihil inutile aut superfluum in eadem reperiri. Id aperte tradit noster Auctor. Homilia 27. in Numeros hisce verbis: *Sed non possumus hoc dicere de Sancti Spiritus litteris, quod aliquid in eis otiosum sit, aut superfluum, etiamsi aliquibus videantur obscura*. Divina Sapientia, habet alibi, seipsam manifestat, *vel ad unam usque litterulam. Sed & arbitror . . . . neque jota unum esse, aut unum apicem in Scriptura, qui opus suum non efficiat in his, qui virtute litterarum uti sciunt*. Spiritalis homo, tamquam peritus herbarius tanti facit quanti par est vel minima etiam, quæ in sacris libris scripta sunt, & quis debeat esse eorum usus probe novit; *inveniens . . . . nihil esse in Scripturis supervacaneum*. Caveat igitur unusquisque nostrum, concludit eruditus iste Ecclesiæ Pater, ne ullam partem horum sacrorum librorum contemnat, nec turbet divinam hanc aquam. Unusquisque in Evangelii lectione cibum assumat, & nihil respuat. Sicuti enim Dei digitus, habet insuper alio loco, non se prodit solum in cœlo, sole, luna ac stellis, sed in terra etiam, viliorique materia; sic certo credimus Spiritum Sanctum in singulis Sacræ Scripturæ litteris aliqua præbere salutaria documenta, iisque divinæ suæ sapientiæ aliqua impressisse vestigia: *Et singulis, ut ita dicam, litteris . . . . . vestigia sapientiæ impresserit*. Huic egregio Sacræ Scripturæ elogio nihil est quod addi possit.

Veritas Sacræ Scripturæ. Lib. 2 contra Celsu. Tom. I. pag. 395. num. 10.

VI. Ex Divina Sacrarum Scripturarum inspiratione sequitur insuper, vera esse quæcunque in illis scripta sunt. Veritas, exempli caussa, Scripturarum novi Testamenti demonstratur ex constantia, quam demonstrarunt Apostoli in omni pœnarum genere propter Jesu doctrinam perferendo. Tanta enim, tam firma ad mortem usque constantia, argumento est, Discipulos Jesu non fuisse eos, qui fingerent de Magistro suo quæ neutiquam erant: Apostolos autem pro certis habuisse quæ scripserint, æquis rerum æstimatoribus inde perspicuum est, quod tot ac tanta pertulerint propter eum, quem Dei Filium esse credebant. Nullo igitur mendacio, immo nec mendacii suspicione insimulari possunt Sancti Evangelistæ, quorum pietas & animi candor in eorum scriptis elucent: *Nihil in eis aut spurium, aut dolosum, aut fictitium, aut vafrum . . . . Equidem crediderim*, prosequitur Origenes, *talibus sua doctrina magistris Jesum hac mente uti voluisse, ut suspicandi locus non esset, eam niti argumentis ad veri speciem compositis*.

Lib. 3 contra Celsu. pag. 473. num. 39.

Simplicitas S. Scripturæ. Lib. 6. contra Celsu. p. 929. n. 1. num. 2.

VII. Præterea mira quadam simplicitate exaratæ sunt Sacræ Scripturæ, quæ toto cœlo differt a sermonibus arte elaboratis, & eloquentia profanorum Scriptorum. *Nostri Prophetæ & . . . . . Apostoli curarunt, ut sua prædicandi ratio esset ejusmodi, qua non solum vera doceret, sed etiam vulgi alliceret animos, donec singuli . . . . . ad arcana sub verbis in speciem simplicibus latentia, pro suis quisque viribus conniterentur*. Sacræ Scripturæ simplicitas admirationi est vulgo lectorum, qui se ejus præceptis meliores effici sentiunt, modo sint ad fructum ex illa capiendum comparati: e contra Platonem, cæterosque Philosophos videre licet a solis litteratis legi. Et si simul comparentur scripta Evangelistarum nec non Prophetarum cum scriptis Philosophorum, plane constabit, comptam & accuratam Platonis aliorumque similiter loquentium orationem paucis vel nullis utilitatem attulisse, præ illa simpliciori Evangelistarum, qui docendo & scribendo se ad vulgi captum demiserunt.

Obscuritas S. Scripturæ. Lib. 3. contra Cels. Tom. I. pag. 453. num. 1.

VIII. Etsi in Sacris litteris simplicitas eluceat, non uno tamen in loco obscuritas deprehenditur, ut in suo Opere contra Celsum probat Origenes ex eo, quod etiam ab initio Christianismi, & Apostolis adhuc prædicantibus, de sensu Scripturarum inter fideles fuere dissidia: *Neque hic novit*, inquit Origenes de Celso sermonem habens, *jam tum ab initio fuisse de sensu librorum, qui divini esse creduntur, inter fideles dissidia*. Sic prædicantibus adhuc Apostolis quæstio non modica inter eos qui ex Judæis fidem acceperant, exorta est, oporteret ne Judaicos ritus observari ab iis, qui ex Gentibus ad fidem accesserant: nec defuerunt tunc temporis qui de Resurrectione quæstiones moverent, utrum jam fuisset facta. Insuper Divus Paulus ostendit, jam tum ab initio dissidia fuisse; scribit enim ad Timotheum, ac mandat, ut devitet profanas vocum novitates: *Et ex isto loco: Devitans profanas vocum novitates . . . . planum fit*, inquit Origenes, *jam tum ab initio . . . . . prave fuisse a quibusdam intellecta mysteria*. At si jam tum ab initio, & Apostolis adhuc viventibus, Christiani obscuritatem deprehendebant in Sacris litteris; nemini mirum videatur, si etiamnum hodie nos deprehendimus, nos, inquam, a primis Ecclesiæ sæculis admodum remoti.

Sequitur idem argumentū. Lib. 4. Periarch. Tom. I. Pag. 166. num. 9.

IX. Eamdem hanc veritatem probat Origenes quibusdam exemplis e Scriptura desumptis; nam esse quidem mysticas quasdam dispensationes, quas divinæ Scripturæ indicant, etiam simpliciores fidelium credunt; quænam vero hæ sint, cordati & modesti nescire se fatentur. Quare si quis sciscitetur de congressu Loth cum filiabus, de duabus uxoribus Abraham, de duabus sororibus, quæ nupserunt Jacob, de duabus ancillis, quæ ex ipso pepererunt, nihil aliud respondebunt, quam mysteria hæc esse a nobis non intellecta. Sed & Tabernaculi fabricam cum legunt, credentes quæ scripta sunt esse figuras, quærunt quæ possint in singulas Tabernaculi partes accommodare. Neque vero in eo, quod credunt rei alicujus figuram esse Tabernaculum, falluntur, sed cum rationem cujus typus est Tabernaculum, certæ cuipiam rei, prout postulat Scripturæ dignitas, aptare volunt, aliquando aberrant. Nec solum vetus Testamentum hisce scatet difficultatibus; *nam si ad Evangelia accedimus, illorum*

Pag. 167. num. 10.

III. SÆCULUM.

etiam accuratus sensus eget gratia quæ data est ei, qui dixit : (a) Nos autem Christi sensum habemus, ut sciamus quæ a Deo donata sunt nobis. Quis etiam, subjungit idem Origenes, quæ Joanni revelata sunt legens, non obstupescat in occultationem mysteriorum, quæ etiam non intelligenti quæ scripta sunt, latens quid & arcanum habere videntur? Apostolorum autem Epistolæ cuinam sagaci & perito sermonum judici videantur apertæ ac intellectu faciles, cum illic infinita prope sint, quæ veluti per foramen maxima & quamplurima intelligendi materiam amplam præbeant.

Sequitur idem argumentum. pag. 188. num. 26.

X. Inconeussa hæc veritas tam altas in Origenis animo radices egerat, ut asserere non verear, sensum mysticum sub littera Sacræ Scripturæ delitescentem in minima sui parte innotuisse Gentium Apostolo; eaque de caussa eum inclamasse: O altitudo divitiarum sapientiæ & scientiæ Dei! Constat autem, inquit Origenes, hunc Apostolum nunquam credidisse perfectam horum mysteriorum notitiam posse se attingere, quia ille ipse fatetur, incomprehensibilia esse Dei judicia, & investigabiles vias ejus. *Non enim dicit difficile posse scrutari judicia Dei, sed omnino non posse*. Hoc pacto Origenes ad hunc mysticum sensum assequendum se ineptum ingenue fatetur; & summa modestia suam mentem exponit circa hunc mysticum sensum Sacrarum Scripturarum. „ Non autem dubito „ multa esse, inquit ille peregregie, quæ nos lateant, „ & sensum nostrum superent; non enim sumus illius „ meriti, ut & nos dicere possimus: Nos autem sensum Christi habemus . . . . . Nescio an pervenire „ possem ad intelligentiam mysticam eorum locorum, „ quæ faciliora sunt, uti sunt ea quæ sacrificia respiciunt „. Unusquisque nostrum miretur hoc loco modestiam doctissimi hujus Viri, quæ a diametro opponitur præsumptioni Novatorum circa intelligentiam difficiliorum textuum Sacræ Scripturæ.

Homil. 5. in Leviticum. Tom. II. pag. 210. num. 6.

Sequitur idem argumentum. In Psalmos. Tom. II. pag. 525. & 526. num. 1.

XI. Nullus erit loquendi finis, si pulchriora Origenis de hoc argumento loca in medium afferre volumus. *Clausas*, habet insuper Pater iste, *obsignatasque Scripturas esse sacras, divina testantur oracula*. Id declarat S. Joannes in sua Apocalypsi, cum de Salvatore hæc scribit: qui habet clavem David; qui aperit, & nemo claudet; & claudit, & nemo aperiet: id declarat cum loquitur de quodam libro scripto intus & foris, quem nemo aperire potest, nisi Leo de tribu Juda. Idipsum docet Isaias cum loquitur de alio libro, quem homines scientes litteras aperire nequeunt, & homines nescientes litteras non possunt legere: quæ quidem non de sola Apocalypsi, aut de solo Isaia intelligenda veniunt, sed de universa sacra Scriptura. *Hæc enim non ad Apocalypsim solum Joannis, aut Isaiæ vaticinia pertinere putandum est; sed de universa Scriptura Sacra penitus accipienda sunt ἀλλὰ περὶ πάσης θείας γραφῆς*, quam sane apud illos in confesso est, qui divinarum litterarum notitiam mediocriter assecuti sunt, ænigmatum, involucris, ac parabolis, tenebrosisque sermonibus, ac diversis aliis obscuritatis generibus, quæ hominis ingenio difficile comprehenduntur, repletam esse. Verum de hoc argumento hæc dicta sufficiant.

In S. Scripturis habetur quæ requiruntur ad instructionem & ædificationem totius Christi Ecclesiæ. Epist. ad African. tom. I. pag. 16. num. 4.

XII. Etsi Origenes agnoscat tantas obscuritates in Sacris litteris; docet nihilominus, 1°. in Sacris Scripturis Deum dedisse ædificationem omnibus Ecclesiis: *Quæ (Dei Providentia)* inquit ille, *in sacris Scripturis dedit omnibus Christi Ecclesiis ædificationem*. 2°. contendit, Sacram Scripturam, licet obscuram, iis etiam utilem esse, qui illius obscuritates non intelligunt. Idipsum dicendum est de sacris Scripturis, quarum sensum non percipimus, quod de præcantationibus, quæ in eos etiam operantur, qui earumdem sensum non norunt. Spiritus, idest virtutes illæ, quæ animæ nostræ in adjutorium datæ sunt, pascuntur & reficiuntur ex auditu Scripturæ sanctæ, velut ex divinis & rationabilibus cibis: & sicut ex hujusmodi Scripturarum meditationibus, divinarum erga nos virtutum consortia & officia provocamus; ita e contrario malignarum virtutum insidias, & pessimorum dæmonum incursiones, ex hujuscemodi sermonum & nominum appellationibus effugamus. *Non igitur animo langueamus*, concludit Origenes, *cum audimus Scripturas, quas non intelligimus, sed fiat nobis secundum fidem nostram, qua & credimus, quia omnis Scriptura divinitus inspirata utilis est*. Si enim utilis non est Sacra Scriptura, jam non est divinitus inspirata; si vero divinitus est inspirata, jam utilis est.

S. Scriptura iis etiam utilis est, qui illam non intelligunt. Homil. 20. in Josue. Tom. II. pag. 440. & 443.

Nihil in sacris Scripturis emendare debemus. Philocal. c. 8. p. 32.

XIII. 3°. mandat Origenes, ut Divinas Scripturas veneremur, nihil in ipsa emendantes, nec ipsos solecysmos. „ Non igitur animo langueamus, inquit il„ le, cum audimus Scripturas, quas non intelligimus: „ quia cum Scriptura sit verbum Dei, mirum esse non „ debet si eam non intelligimus, sicuti nec ejus opera „ intelligimus. Si tu, habet etiam alio loco, Scriptu„ rarum sensum non percipis, si de Prophetarum ver„ bis judicium ferre non vales; *Ne idcirco existima in Scripturis quidpiam redundare; sed teipsum solum potiusquam litteras sacras accusa, cum rationem eorum quæ scripta sunt non invenis*. Ad intelligentiam igitur alicujus obscuri Scripturarum textus, omnes ii congregari debent textus, in quibus de eadem re est sermo, vel in quibus idem verbum usurpatur. Primo loco litteralis sensus inquiri debet, deinde spiritalis. Observandum est, Parabolas fere semper ad unum, quod præcipuum est, tendere; ideoque quod ad illud tendit, non debet ad quamlibet Parabolæ partem accommodari; nec debet super quolibet verbo disputatio institui.

III. SÆCULUM.

Si defectus in S. Scripturis offendimus, nos ipsos potius qui Sacras litteras accusare debemus. Ibid. c. 2. p. 24. in Jerem. Tom. I. Huet. pag. 199.

Regulæ pro intelligendis difficilimis S. Scripturæ locis. Homil. 23. in Josue. Tom. II. pag. 450.

XIV. Quando aliquis in S. Scripturis occurrit locus, qui aliquam imperfectionem Deo tribuere videtur, nobiliorem ac sublimiorem sensum tunc inquirere debemus, quam littera præseferat. Hoc pacto interpretari debent ea verba, quæ simplicioribus videntur dicere, Deum esse in loco aliquo peculiari: *Quæ verba ad litteram sumpta, videntur simplicioribus Deum in loco esse dicere, sic accipienda sunt, ut magnis & spiritualibus de Deo notionibus conveniant . . . . . Si quid vero dictum est a Prophetis, quod id significare videatur (Deum scilicet odio habere quæ fecit) id generali hac regula explicandum erit, Scripturam de Deo ita loqui, quasi humanis sit obnoxius affectibus*. Quando igitur Deus verbis iracundis adversus impios utitur, & peccatoribus intentat minas, non sunt reipsa in illo humani illi affectus, sed Scriptura ad infirmum nostrum captum sese demittit. *Igitur iram Dei nominamus quidem, sed eam illius affectum esse non dicimus; est potius asperior quædam agendi ratio, qua Deus ad erudiendos tantorum taliumque criminum reos utitur . . . . Neque enim Scriptura, quæ nos irasci vetant . . . . . Deo ipsi assignassent affectum, quo nos omnino vacuos esse volunt*.

In Sanct. Matth. Tract. 19. & 31. Tom. II. Huet. Sequuntur eædem regulæ. Tract. de Oratione. Tom. I. pag. 233. num. 91. Lib. 1. contra Celsum. Tom. I. pag. 384. num. 71. Lib. 4. contra Celsum. pag. 556. num. 71. pag. 557. num. 72. pag. 558.

Sequuntur eædem Regulæ. Hom. 2. in Ezech. pag. 373. Tom. I. Geneb. In Sanct. Matth. Tom. I. Geneb. pag. 92. Epist. ad S. Gregor. Thaumat. Tom. I. recent. Edit. p. 32. n. 3. In Cantica. Tom. I. Huet. p. 27. Ibidem. p. 41. 43.

XV. Alias tradit regulas Origenes, sed minus accuratas, quas propterea inter peculiares ejusdem opiniones locum habere volumus, & una simul cum ipsis suo loco afferemus. Nunc vero regulis supra recensitis addimus 1°. oportere in S. Scripturarum interpretatione sequi sensum Spiritus Sancti, non peculiarem nostrum sensum. 2°. fidendum non esse hæreticis quando citant S. Scripturas. 3°. summa diligentia ac studio inquirendum esse S. Scripturarum sensuum. 4°. distinguendos esse eos, qui loquuntur, ab illis, quibus sermo dirigitur. 5°. humanas litteras multum prodesse ad S. Scripturarum intelligentiam. 6°. ad intelligentiam hanc nobis promerendam nihil aptius esse oratione, quam firma fides comitetur. 7°. tandem triplicem in S. Scripturis sensum esse distinguendum; litteralem sive historicum, mysticum sive allegoricum, & moralem. *Triplicem namque in Scripturis Divinis*, inquit Origenes, *intelligentiæ inveniri diximus modum; historicum, moralem, & mysticum*: qui sensus triplex est veluti corpus, anima, & spiritus Sacræ Scripturæ.

Homil. 5. in Levit. Tom. II. rec. Edition. p. 209. Utilitas & Sufficientia sensus litteralis. Lib. 4. Periarch. Tom. I. p. 169. n. 11. pag. 172. num. 4. Lib. 4 contra Cels. Pag. 541. num. 49. Homil. 9. in Numer. Tom. II. pag. 304. num. 1.

XVI. Etsi vetustus hic Pater videatur moralem & allegoricum sensum præponere litterali, quem (immerito tamen) non uno in loco contemnendum esse docet; quemadmodum in quarta Sectione videbimus; tradit nihilominus, per se utilem esse sensum litteralem: *Primam ergo expositionem*, inquit ille de sensu litterali sermonem habens, *per se utilem esse posse, testatur eorum multitudo, qui ingenue & simplice crediderunt*. Et paulo inferius postquam demonstravit, in quo sensus litteralis consistat, ait, ad plura hunc sensum utilem esse, & ad morum emendationem posse inservire. Eruitur pariter ex ejus Homilia nona in Numeros, illius mentem fuisse, ea Scripturarum loca litteraliter interpretari debere, quæ in suo sensu litterali & instructionem & ædificationem præstare valent; ea vero in sensu allegorico aut morali interpretanda esse, quæ litteraliter sumpta ad pietatem excitare non possunt. Mente exciderat observare, Origenem inter cæteras dispositiones requirere ab iis, qui Sacram Scripturam legunt, quod sint sancti corpore & spiritu, eodemque obsequio ac veneratione prosequantur verbum Dei scriptum, quo prosequerentur Corpus & Sanguinem Christi Domini.

Dispositiones quæ requiruntur ad lectionem S. Scripturæ. Homil. 13. in Exodum. Tom. II. Pag. 171. num. 7.

XVII. Cæterum omnes universim Christianos ad hanc lectionem Origenes hortatur. „ Optamus tamen, in„ quit ille, ut vel his auditis operam detis non solum „ in Ecclesia audire verba Dei, sed & in domibus ve„ stris exerceri, & meditari in lege Domini die ac „ nocte; & ibi enim Christus est, & ubique adest „ quærentibus se. Propterea namque mandatur in le„ ge,

Homil. 13. in Numer. pag. 176. num. 3. Utilitates, quæ ex hac lectione profluunt. Hom. 9. in Levitic. tom. 2. p. 240. n. 5.

(a) I. Corinth. cap. 2. vers. 16.

III. SÆCULUM. pag. 241. num. 7.

„ ge, ut meditemur eam cum imus in via, & cum „ sedemus in domo, & jacemus in cubili, & cum „ exurgimus . . . . . Si vero ad Ecclesiam frequen„ ter venias, aurem litteris divinis admoveas, ex„ planationem mandatorum cœlestium capias, *Sicut cibis & deliciis caro, ita spiritus verbis divinis convalescet, ac sensibus, & robustior effectus, carnem sibi parere coget, ac suis legibus obsequi. Nutrimenta igitur spiritus sunt, divina lectio, orationes assiduæ . . . . . his alitur cibis, his convalescit, his victor efficitur*. Nec multum insudandum nunc erit in adinvenienda caussa imbecillitatis Christianorum nostrorum temporum: in eo quippe posita est hæc caussa, quod scilicet negligunt hunc cibum æque necessarium ad vitam animæ, ac esca necessaria est ad vitam corporis. Nam, uti egregie subjungit idem Pater, qui negligunt spiritualem hunc cibum, nequeunt rationabiliter conqueri de infirmitate carnis. „ Quod quia non facitis, „ nolite conqueri de infirmitate carnis, nolite dicere „ quia volumus, sed non possumus, volumus conti„ nenter vivere, sed carnis fragilitate decipimur, & „ impugnamur stimulis ejus. Tu das stimulos carnis „ tuæ, tu eam adversus spiritum tuum armas, & po„ tentem facis, cum eam carnibus satias, vino nimio „ inundas, omni mollitie palpas, & ad illecebras nu„ tris „.

Canon librorum veteris Testamenti. Tom. II. pag. 529.

XVIII. Quoad Canonem librorum Sacræ Scripturæ, Origenes primo loco asserit, eo comprehendi viginti-duo libros veteris Testamenti. *Sunt autem*, inquit ille in quodam fragmento sui Commentarii in primum psalmum, *viginti duo libri juxta Hebræos*. „ Hi libri „ sunt, Genesis, Exodus, Leviticus, Numeri, Deu„ teronomium, Josue, Judices, & Ruth, unico volu„ mine apud Hebræos comprehensi. Regnorum liber „ primus & secundus, qui apud eos unicum volumen „ constituunt. Regnorum liber tertius & quartus, quos „ ipsi etiam in unum volumen redigunt. Paralipome„ non liber primus & secundus, uno apud illos con„ tenti volumine. Esdras primus & secundus, qui „ apud eos unicum conficiunt librum. Liber Psalmo„ rum, Proverbia Salomonis, Ecclesiastes, Canticum „ Canticorum, Isaias, Jeremias, Daniel, Ezechiel, „ Job, & Esther. „ *Extra horum censum sunt libri Machabæorum, qui inscribuntur Sarbet Sarbaneel*. Hoc autem non impedit, quo minus Origenes plures Machabæorum textus citet uti Sacram Scripturam. Agnoscit insuper uti libros Divinos, Judith, Tobiam, Sapientiam, & Ecclesiasticum; ita ut quoad libros veteris Testamenti a nobis discrepat in hoc unice, quod duodecim minorum Prophetarum hoc loco non meminit. Consentit, Moysem esse Auctorem Pentateuchi; immo nec excipit postremum caput Deuteronomii, in quo sermo est de morte ac sepultura Sancti hujus legislatoris. Docet, Job vetustiorem esse Moyse; sed circa auctorem hujus libri satis clare seipsum non explicat. Psalmos diversis auctoribus adscribit. Præter Proverbia, Ecclesiasten, & Canticum Canticorum, ait, a pluribus eidem Salomoni adscribi tum Sapientiam, tum Ecclesiasticum.

Homil. 27. in Numer. tom. 2. p. 374. n. 1. Homil. 28. in Numer. p. 340. n. 3. Comment. in S. Joan. tom. 9. Huet. p. 88. Lib. 3. Contra Celsum. pag. 428. n. 54. Lib. 1. in Job tom. 1. Genes. pag. 217. Homil. 19. in Numer. pag. 340. n. 3. In Jerem. tom. 1. Genes. pag. 370. In S. Matth. tom. 1. Huet. pag. 306. Epist. ad African. tom. 1. recent. Edition. pag. 13. n. 2. Tom. 2. pag. 632.

XIX. Hæc sunt notabiliora, quæ quoad libros veteris Testamenti deprehendere potui in Origene, una cum his quæ habet de Cantico trium puerorum, qui in fornacem missi sunt, de Historia Susannæ, Belli & Draconis; quæ omnia uti Canonicam Scripturam admittit, non secus ac cætera, quæ in Danielis Prophetia comprehenduntur. Verum utique est, Origenem in enumeratione librorum Veteris Testamenti juxta Hebræos, viginti & unum solummodo recensere, licet expresse dicat, *sunt viginti duo Libri sicut Sio Bisset*. Verum, ut egregie animadvertit Pater Ceillierius, hujus discriminis ratio in eo posita est, quod in hac enumeratione desunt duodecim minores Prophetæ, qui tamen in Hebræorum Canone includebantur. Defectum supplevit Rufinus; nam in versione Historiæ Eusebii, in qua hic Origenis locus profertur, post Canticum Canticorum posuit librum duodecim minorum Prophetarum. Cæterum, certum indubitatumque est, Origenem accensuisse duodecim minores Prophetas libris Sacris; eosque sæpissime citat in suis Scriptis, una cum reliquis libris Sacrarum Scripturarum.

Numerus librorum novi Testamenti. In S. Matth. tom. 1. p. 203. Huet. In Epist. ad Hebr. t. 2. Huet. pag. 430. Epist. ad African. p. 20. n. 9. In S. Joan. p. 88. t. 1.

XX. Vetustus hic Pater æque accuratus est in enumeratione librorum novi Testamenti, qui juxta ipsum sunt, quatuor Evangelia, scilicet S. Matthæi, S. Marci, S. Lucæ, & S. Joannis; Acta Apostolorum; quatuordecim Divi Pauli Epistolæ; binæ S. Petri; tres S. Joannis; una S. Jacobi; una S. Judæ; & Apocalypsis. Animadvertit nihilominus Origenes 1°. sua ætate apud nonnullos dubium fuisse, num Divus Paulus esset reipsa Auctor Epistolæ ad Hebræos, cum alii eamdem Divo Barnabæ adscriberent, alii Divo Lucæ, alii tandem eidem Divo Paulo. Ipse autem in quinto tomo suorum Commentariorum in S. Joannem opinari videtur, Epistolam hanc quoad substantiam adscribi debere Divo Paulo; quoad delectum autem & dispositionem verborum, alicui ex suis Discipulis. Nihilominus in sua epistola ad Africanum videtur velle refellere eos, qui inficiabantur hanc epistolam a Divo Paulo conscriptam fuisse; & fere semper sub nomine hujus Apostoli eam citat. 2°. Quoad secundam epistolam Divi Petri, secundam & tertiam Divi Joannis, quoad epistolas insuper Sanctorum Jacobi, & Judæ, fatetur ille, aliquam suo ævo passas esse oppositionem; quæ tamen oppositio impedire non potuit, quo minus Canonicis Scripturis accenserentur. Citat insuper reverenter Epistolam Divi Barnabæ, & Librum Pastoris; innuit autem, hunc postremum præcipue a multis uti librum divinum admissum non fuisse; & ille ipse dubitare videtur de authentica hujus libri in sua Homilia octava in Numeros, in qua de Libro Pastoris hæc habet: *Si cui tamen Scriptura illa recipienda videtur*: & alibi de eodem sic loquitur: *Si cui tamen libellus ille recipiendus videtur*. Quoad plures alios libros apocryphos, quos in suis Scriptis citat, nihil nos morari debet, cum ille fere semper moneat, libros istos nullam auctoritatem in Ecclesia obtinere.

III. SÆCULUM. Huet. Ibid. Ibid. pag. 284. In S. Matt. t. 1. Huet. pag. 428. Contra Cels. Lib. 1. p. 378. n. 63. In S. Matt. t. 1. Huet. Pag. 361. Homil. 8. in Numer. tom. 2. recent. Edition. pag. 294. In Psalm. pag. 681.

Auctoritas Traditionis. Præfat. in libr. Principior. p. 47. n. 2. tom. 1. recent. Edition.

XXI. Modicum quod superest in Origene quoad Traditionem, rem theologicam summopere juvat. Itaque docet ille, Traditionem esse certam veritatis regulam; & hujus Traditionis nomine intelligit doctrinam, quæ per successionem ab Apostolis ad nos usque pervenit. *Servetur vero*, inquit ille, *Ecclesiastica prædicatio per successionem ab Apostolis tradita; illa sola credenda est veritas, quæ in nullo ab Ecclesiastica & Apostolica discordat Traditione*. Quotiescumque, habet insuper, Hæretici utuntur auctoritate Divinarum Scripturarum, quas uti Divinas Christiani omnes agnoscunt, videntur asserere, verbum veritatis apud ipsos esse. *Sed nos*, illico subjungit, *illis credere non debemus, nec exire a prima & Ecclesiastica Traditione, nec aliter credere, nisi quemadmodum per successionem Ecclesiæ Dei tradiderunt nobis*. Traditione igitur, juxta mentem Origenis, interpretari debet sensus Sacrarum Scripturarum, & veritas Dogmatum Religionis Traditione firmari debet.

CAPUT TERTIUM.

DE ECCLESIA, VARIISQUE EJUS ORDINIBUS.

Quid sit Ecclesia. Lib. 6. contra Cels. pag. 670. n. 48.

I. ORigenes verba faciens de tota Ecclesia in genere ait, hanc esse corpus Christi a Filio Dei animatum, & fideles esse hujus corporis membra: *Nos autem . . . . dicimus ex Divinis Scripturis totam Dei Ecclesiam esse Christi Corpus a Dei Filio animatum; membra autem illius corporis . . . . eos esse omnes, qui credunt*. „ Sicut Anima, subjungit ille, vitam „ & motum impertit corpori, quod a seipso natura„ liter moveri vitaliter non potest: *ita Verbum totum corpus, seu Ecclesiam . . . . movens & agens, etiam singula membra eorum qui ad Ecclesiam pertinent, movet, ita ut sine Verbo nihil faciant*. Hæc Ecclesiæ notio summa consideratione est digna. Tradit his verbis Origenes, quænam sint Christi partes erga suam Ecclesiam, & quænam sit totalis dependentia Ecclesiæ suorumque membrorum erga Christum, quoad omnia pietatis opera.

Ecclesia est scabellum pedum Dei. Tract. de Orat. tom. 1. recent. Edition. p. 28. In Genes. t. 2. recent. Edit. p. 28.

II. Alio loco Ecclesiam honorat glorioso titulo scabelli pedum Dei: *Quod scabellum pedum Dei*, inquit ille, *quale Ecclesia?* Alibi pariter eam similem dicit Paradiso terrestri, asserens, eos qui per Baptismum renascuntur, ab ipso Deo collocari in Paradiso, hoc est in Ecclesia: *In Paradiso reponuntur, hoc est in Ecclesia*; ut ibidem vacent operibus sanctis, quæ scilicet proprio statui conveniant. Christus est lux mundi, qui & Ecclesiam illuminat sua luce. Sicut enim luna de sole dicitur percipere lumen, ut per ipsam etiam nox possit illuminari: *ita & Ecclesia suscepto lumine Christi, illuminat omnes, qui in ignorantia nocte versantur*. Et paucis interjectis ait: *Ex cujus lumine illuminata Ecclesia, etiam ipsa lux mundi efficitur, illuminans eos, qui in tenebris sunt*. Quam veritatem confirmat Origenes auctoritate Christi dicentis Discipulis suis: *Vos estis lux mundi*. „ Ex quo osten„ ditur, inquit Pater iste, quia Christus quidem lux „ est Apostolorum, Apostoli vero lux mundi: *Ipsi enim sunt non habentes maculam . . . . vera Ecclesia*. Sicut Sol & Luna, concludit ille, magna luminaria dicta sunt esse in firmamento cœli; ita & in nobis Christus & Ecclesia. *Sicut autem Sol & Luna illuminant corpora nostra: ita a Christo atque Ecclesia illuminantur mentes nostræ*. Ita tamen illuminamur, si non

Ecclesia suscepto lumine Christi illuminat fideles. Homil. 1. in Gen p. 54. n. 5. 6. p. 55. n. 7.

III. SÆCULUM.

non simus mentibus cæci. Nam sicut Sol & Luna corporalibus oculis cæcos quamvis illustrent, illi tamen recipere lumen non possunt: ita & Christus lucem suam præstat mentibus nostris: sed ita demum nos illuminabit, si nequaquam cæcitas mentis impediat.

Antiquitas Ecclesiæ. Homil. 2. in Cantic. tom. 1. Genеb. p. 331.

III. Ecclesia, juxta Origenem, eadem qua mundus gloriatur vetustate. Fundamenta Congregationis Ecclesiæ statim ab initio sunt posita, unde & Apostolus dicit, (a) ædificari Ecclesiam non solum super Apostolorum fundamentum, sed etiam Prophetarum. *Inter Prophetas autem numeratur & Adam*, quia magnum mysterium prophetavit in Christo & in Ecclesia dicens (b): Propter hoc relinquet homo patrem suum, & matrem suam, & adhærebit uxori suæ, & erunt ambo in carne una: evidenter enim de his dictis ejus dicit Apostolus, (c) quia mysterium hoc magnum sit, *ego autem dico in Christo & in Ecclesia*. Ad Ecclesiam igitur spectabat Adam, juxta Origenem; ideoque Ecclesia tunc temporis in Adam subsistebat. Cujus veritatis alteram profert rationem Origenes, quam ernit ex Apostolo dicente (d): Christus dilexit Ecclesiam, & semetipsum tradidit pro ea, ut illam sanctificaret, mundans lavacro aquæ in verbo vitæ. Non utique, inquit Origenes, ostendit eam prius non fuisse, quomodo enim dilexisset eam, quæ non erat? Sed eam sine dubio dilexit quæ erat: *Erat autem in omnibus Sanctis, qui ab initio sæculi fuerunt facti.*

Ecclesia ex bonis æque ac malis constat hominibus. Homil. 9. in Josue. t. 2. recent. Edition. p. 447. n. 1.

IV. Si ante Incarnationem Sancti & Justi ad Ecclesiam Christi spectabant, non inde inferri potest, solis justis ac Sanctis hanc Ecclesiæ societatem constare, quoniam peccatores sunt Ecclesiæ membra, & ii etiam, qui cum corde increduli sunt, exterius tamen tamquam fideles seipsos ostendunt. „ Sicut ergo, inquit Origenes, in Evangelio permittuntur zizania simul cum „ tritico crescere; *Eodem modo etiam hic .... In Ecclesia sunt quidam Jebusæi, isti qui ignobilem & degenerem vitam ducunt, qui & fide, & actibus, & omni conversatione sua perversi sunt*. Neque enim, „ illico subjungit, possibile est ad liquidum purgari „ Ecclesiam dum in terris est, ita ut neque impius „ in ea quispiam, neque peccator residere videatur, „ sed sint in ea omnes sancti & beati, & in quibus „ nulla prorsus peccati macula deprehendatur. Sed „ sicut dicitur de zizaniis, Ne forte eradicantes ziza„ nia simul cum illis eradicetis & triticum, ita etiam „ super iis dici potest, in quibus vel dubia, vel oc„ culta peccata sunt. Neque enim dicimus de iis, qui „ manifeste & evidenter criminosi sunt, ut non de „ Ecclesia expellantur .... *Sed ubi peccatum non est evidens, ejicere de Ecclesia neminem possumus, ne forte eradicantes zizania, eradicemus simul cum ipsis etiam triticum.* Constat ex his, Ecclesiam semper retinuisse patienter in suo sinu peccatores occultos, sollicitam vero fuisse, ut de suo sinu ejiceret publicos ac manifestos peccatores, qui corruptis moribus scandalo esse poterant justis ac sanctis. Quæ quidem omnia aperte ostendunt, malos cum bonis in Ecclesia immixtos esse usque ad futurum judicium Dei, qui separabit zizaniam de medio tritici, & purgabit Ecclesiam suam, quæ efficietur Societas omnino sancta, & ab omni peccati macula prorsus immunis.

Extra Ecclesiam nemo salvatur. Hom. 3. in Josue. p. 404. n. 5.

V. *Nemo semetipsum decipiat* .... habet alio loco Origenes, *extra Ecclesiam nemo salvatur*. En eversum systema a Jureu excogitatum; Origenes enim nomine Ecclesiæ intelligit solam Romanam Societatem, quæ diversis Sectis circumdatur, sicuti lilium circumdatur spinis; in hoc quippe sensu ille interpretatur hæc verba Cantici Canticorum, *sicut lilium inter spinas &c.*

Homil. 3. in Cantic. tom. 1. Geneb. p. 335.

„ Quod quidem, inquit ille, accipimus de Ecclesia „ gentium dici; quod vel e medio infidelium, & „ non credentium, quasi ex spinis emerserit, vel pro „ hæreticorum circumstrepentium se morsibus in me„ dio spinarum posita dicatur. „ Cæterum in Ecclesia una habetur fides, sicuti & unum Baptisma. Sed Hæretici ab Ecclesiæ fide recedunt: ergo non sunt in ejus sinu, ideoque in damnationis statu versantur. Quod si quis adhuc dubius hæreret, sufficiat recitare hæc Origenis verba, quæ aperte declarant, hæreticos, sicuti & fornicarios, cæterosque impudicos non ingressuros regnum Dei: *Sicut hi, qui fornicationibus & immunditiis maculati sunt, regnum Dei non possidebunt; ita & hi, qui in hæresim declinaverint*. Hunc Origenis textum habemus ex Pamphilio in Apologia, quam pro vetusto hoc Patre concinnavit.

Homil. 3. in Genes. tom. 1. recent. Edition. p. 63. n. 3.

Tom. 1. Geneb. pag. 481.

Sola Ecclesia remittit peccata. In S. Joan. tom. 9. Huet. pag. 147.

VI. Singulare Ecclesiæ privilegium est posse remittere peccata: *Ablatione peccatorum circumclusa in sola Ecclesia*, inquit Origenes. Quam remissionem peccatorum nullus accipere potest, inquit alio loco idem Pater, nisi detulerit integram; probam, & sanctam fidem, per quam mercari possit arietem: cujus natura hæc est, ut peccata credentis abstergat. Ab hac igitur gratia quæ peccata abstergit exclusi sunt Hæretici, quoniam non habent probam & integram fidem, sine qua nemo ad hanc gratiam potest pervenire. Idipsum de Schismaticis pari jure dicendum est, quoniam errant circa articulum Ecclesiæ. Sacrificia, quæ in hæresi, aut Schismate offeruntur, sunt sacrificia profana: „ Audiant hæc, inquit Origenes, qui scin„ dunt Ecclesiam, & peregrinas ac pravas inducen„ tes doctrinas putant se sacras carnes extra templum „ Dei, & extra aulam dominicam posse comedere: *Profana sunt eorum sacrificia*. Quæ omnia evidenter ostendunt, extra Ecclesiam, neminem sperare posse æternam salutem; ac enon necessitatem inviolate adhærendi sanctæ Ecclesiæ fidelium omnium metti.

Hæretici remissionis peccatorum participes esse nō possunt. Homil. 9. in Levit. tom. 2. recent. Edition. pag. 199. n. 8.

Hæretici ac Schismatici nō nisi profana sacrificia offerre possunt. Hom. 4. in Levit. pag. 203. n. 8.

VII. Origenes duas proprietates tribuit Ecclesiæ quas nos hodiedum etiam eidem tribuimus; Visibilitatem scilicet, & Indefectibilitatem. 1°. enim vetat attendere eis, qui dicunt, ut in Evangelio notatum est, Ecce hic est Christus, non autem ostendunt eum in Ecclesia. *Propterea non debemus attendere eis, qui dicunt: Ecce hic Christus; non autem ostendunt eum in Ecclesia, quæ plena est fulgore ab Oriente usque ad Occidentem, quæ plena est lumine vero*; quæ est columna & firmamentum veritatis, & in qua perfecte ille est, qui ait: Ego vobiscum sum usque ad consummationem sæculi: quæ quidem verba perspicuam visibilitatem indigitant. 2°. aperte declarat, quod *Ex quo constituta est Ecclesia in nomine Christi, ad consummationem usque sæculi perseverat.*

Visibilitas Ecclesiæ. Tract. 30. in S. Matth. tom. 2. Geneb. p. 93.

Ejusdem Indefectibilitas. In S. Matth. t. 1. Huet. Pag. 443.

VIII. Præter Ecclesiæ proprietates, Origenes exponit insuper ejusdem notas ac characteres, qui sunt, Unitas, Sanctitas, Catholicitas, & Apostolicitas. Unam esse Ecclesiam tradidit Origenes in omnibus ferme hujusce capitis articulis, in quibus semper veritatem hanc præsupponit. Nitidius autem mentem suam aperit, quando, occasione trium tabernaculorum, quæ Petrus Transfigurationis in monte Thabor testis oculatus optabat facere, ait, Legi, & Prophetis, & Evangelio non tria, sed *Unum est tabernaculum, quæ est Ecclesia Dei*. Ecclesiam esse sanctam in dubium revocare nemo potest, qui animadvertat, Origenem appellare eam, *Corpus a Dei Filio animatum*. Tradit insuper idem Presbyter, quod Dei Filius vitam & motum huic corpori impertit, ac singula Ecclesiæ membra movet: Ecclesia, prout ipse scribit, est scabellum pedum Dei; est veluti paradisus terrestris, in quo ab ipso Deo reponuntur fideles, ut propriam sanctificationem ibidem operentur: ait tandem, Ecclesiam a Christo sanctificatam fuisse, & mundatam lavacro aquæ in verbo vitæ &c. Nullibi autem clarius prodidit Origenes quid sentiret de sanctitate Ecclesiæ, quam cum ait: *Ecquis enim nostrum non fatentur, eos, qui in Ecclesia deteriores sunt, & in meliorum comparatione pejores, præstantiores esse multis eorum, qui in popularibus cœtibus vivunt.*

Ejusdem Unitas. Homil. 6. in Levit. tom. 2. recent. Edition. pag. 216. n. 2.

Ecclesia est Sancta. Lib. 6. contra Cels. pag. 670. n. 48.

Tractat. de Oratione. tom. 1. recent. Edition. p. 28.

in Genes. tom. 2. recent. Edition. p. 28.

Homil. 2. in Cantic. tom. 1. Geneb. p. 331.

Lib. 3. contra Celsū. pag. 466. n. 29.

IX. Catholicitatis nota ac character Ecclesiam semper distinxit ab aliis Sectis ab ejus communione divisis. Origenis ævo sedem fixerat Religio Christiana tum in magna Britannia, tum in Mauritania. *Nunc vero*, inquit Origenes, *propter Ecclesias, quæ mundi limites tenent, universa terra cum lætitia clamat ad Dominum Israel*. „ Ecquis non admirabitur, ait ille „ in suo Opere contra Celsum, Jesu Christi Evange„ lium, ut ipse prædixerat, omnibus Græcis, Barba„ ris, sapientibus & insipientibus ubique terrarum „ fuisse prædicatum? Omnem enim humanam naturam „ subegit verbum cum virtute prædicatum: *Nec ullum videre est hominum genus, quod Jesu doctrinam admittere recusaverit.* Hinc alio loco confidentissime declarat, fulgere Ecclesiam ab Oriente ad Occidentem: *Plena est fulgere ab Oriente usque ad Occidentem*. Nihilominus aliqua contradictione circa hunc articulum videtur notari posse Origenes; in suo enim Tractatu 28. in S. Matthæum fatetur, apud aliquas Nationes Christi Evangelium sua ætate nondum prædicatum fuisse; inter quas designat Æthiopes trans Nilum, Seras, qui Indiæ partem trans Gangem incolebant, necnon partem aliquam Britannorum & Germanorum versus Oceanum, aliquos insuper ex Dacis, Sarmatis, & Scythis.

Ecclesia est Catholica. Hom. in Ezech. tom. 1. Geneb. p. 398.

Lib. 2. contra Celsū. pag. 400. n. 13.

Tract. 30. in S. Matth. tom. 2. Geneb. p. 93.

Tom. 2. Geneb. p. 88.

X. Tandem Jesu Christi Ecclesia est Apostolica, juxta Origenem, quia super Apostolos ædificata est. Non vult autem vetustus hic Pater, quod arbitremur, super unum solummodo Petrum Ecclesiam ædificari. *Si vero*, inquit ille, *super illum unum solummodo Pe-* trum

Ecclesia est Apostolica. Hom. 2. in Cantic. tom. 1. Geneb. p. 330.

(a) Ad Ephes. cap. 2. vers. 20.
(b) Genes. cap. 2. v. 24.
(c) Ad Ephes. cap. 5. vers. 32.
(d) Ibid. vers. 25. & 26.

III. SÆCULUM.

Ecclesia in uno tantũ Petro ædificata non est. In S. Matth. p. 275. tom. 1. Huet.

trum totam Ecclesiam a Deo ædificari arbitraris, quid de Joanne tonitri filio, & unoquoque Apostolorum dixeris? „ Alioquin an audebimus dicere, portas inferi „ speciatim adversus Petrum non prævalituras; prævalituras autem adversus reliquos Apostolos & per„fectos? Nonne vero & omnibus, & in his singulis „ fit istud quod supra dictum est: Portæ inferi non „ prævalebunt adversus eam: & illud quoque: Super „ hanc petram ædificabo Ecclesiam meam? *An etiam „ soli Petro dantur a Domino claves regni cælorum?* „ Quod si & id aliis commune est; quomodo & „ non ea quæ præcedunt communia sunt? „ Perperam autem hoc textu abuterentur Hæretici adversus Primatum Divi Petri, ejusque successorum; Origenes quippe credit, Divum Petrum Primatum tenuisse inter omnes Apostolos, utpote cæteris honorabiliorem: *Quia cæteris honorabilior*; eumque vocat petram solidissimam, super quam Christus fundavit Ecclesiam: „ Vide, (verba sunt Origenis) magno illi Ecclesiæ „ fundamento, & petræ solidissimæ, super quam Chri„stus fundavit Ecclesiam, quid dicatur a Domino: „ *Modicæ*, inquit, *fidei, quare dubitasti?* „ Hæc sentiebat Origenes de Ecclesia: a quo sane immensum discriminantur Sectarii nostrorum temporum. Ex quibus omnibus in aperto est, Magnum hunc Virum, etsi in aliquos errores prolapsum, nihilominus diversum omnino fuisse ab Hæreticis, quorum vera nota est, verusque character, contemnere auctoritatem Traditionis & Ecclesiæ. Humilitas hæc, & observantia in Ecclesiam, inquit Tillemontius (*a*) in Operibus Origenis universim deprehenditur: & in hoc dicere possumus, eum omnino differre a Tertulliano.

Primatus D. Petri. In S. Joan. t. 2. Huet. pag. 382.

Homil. 5. in Exod. tom. 2. recent. Edition. pag. 145. n. 4.

XI. Quoad varios Ecclesiasticos ordines, hæc habet Origenes: *Christum autem Ecclesiæ caput esse non ego, sed Apostolus intellexit .... Sacerdotes autem possunt dici Ecclesiæ oculus .... Diaconi autem, cæterique Ministri, manus ... Populum autem esse pedes Ecclesiæ.* Occurrunt hoc loco, inquit Abbas Fleuryus (*b*) alii Ministri præter Diaconos, Lectores scilicet, Ostiarii, aliique hujusce generis, uti in Latina Ecclesia. Videtur utique Origenes simul hoc loco confundere Episcopos & Presbyteros hac voce *Sacerdotes*; sed alibi perspicue eos distinguit; cum expresse in illo habeantur voces, Episcopus, Presbyter, Diaconus, & sic cæteræ Ecclesiasticæ dignitates. Insuper illius ævo Virgines & Viduæ distinguebantur a laicis, ut eruitur ex uno suorum Commentariorum in Epistolam ad Romanos. Videbimus alibi quænam sint utrorumque obligationes, & quænam quoad ipsos fuerit olim Ecclesiæ Disciplina.

Varii Ordines in Ecclesia. Tract. 5. in S. Matth. tom. 2. Geneb. p. 39.

Hom. 2. in Jeremiam. t. 1. Geneb. Lib. 8. in Epist. ad Romanos, tom. 2. Geneb. p. 388.

CAPUT QUARTUM.

DE DIVINIS PERFECTIONIBUS ABSOLUTIS.

I. Nihil occurrit in Origene circa Deum, Divinasque Perfectiones absolutas, quod perfecte orthodoxum non sit. Unus est Deus, ut ipse tradit; cui veritati insistit quibusdam in locis suorum Operum; quia quidam veteres hæretici eamdem impugnaverant, dicentes, Deum veteris Testamenti diversum fuisse a Deo Testamenti novi. Ille e contra docet, esse articulum fidei, quem manifeste tenemus ex Doctrina Apostolorum, quod *Unus est Deus, qui omnia creavit.* Quem ipse appellat Deum omnium Justorum, ab Adamo scilicet, Abele, cæterisque Patriarchis, usque ad Apostolos & Sanctos novi Testamenti: *Omnium Justorum Deus: Deus est & veteris & novi Testamenti.* Postea probat Origenes hanc veritatem pluribus Sacrarum Scripturarum testimoniis: deinde respondet objectionibus Hæreticorum, qui dicebant, neminem unquam vidisse Deum in Evangelio designatum: (*c*) *Deum nemo vidit unquam*; cum tamen, ajebant ipsi, Deus veteris Testamenti manifestus apparuerit Moysi, & antea Patriarchis. Verum nobis dicant, respondet Origenes, num Deus veteris Testamenti visibilis esset, an invisibilis? Si fatentur esse visibilem; ergo materialis est, corporeus, ideoque corruptioni erit obnoxius: quod quidem cum idea Dei stare nullo pacto potest. Fateantur ergo oportet, hunc Deum esse natura sua invisibilem; & per consequens seipso corruit discrimen, quod ipsi ponunt inter Deum veteris, & Deum novi Testamenti.

Unitas Dei. Præf. in Periarch. tom. 1. recent. Edition. p. 47. n. 4. Lib. 3. Periarch. c. 4. pag. 84. 85. 86.

p. 86. n. 2.

II. Objiciebant insuper Hæretici, Deum veteris Testamenti esse Deum justum; bonum vero esse Deum novæ Legis. Verum Origenes iisdem ostendit, hæc duo attributa, Bonitatem scilicet & Justitiam semper in Deo fuisse, tam tempore legis scriptæ, quam tempore legis gratiæ. Utique veteris Testamenti historia refert de pœnis Diluvii, aliisque; sed in eadem historia non videmus, unumquemque peccantium pœnam luere meritorum; & in nova lege habentur exempla tum justitiæ, tum misericordiæ. David de Deo loquens (*d*) ait, eum bonum esse his, qui recto sunt corde; ejusque infinitam misericordiam alio loco summis laudibus prosequitur. Bonus est Dominus inquit etiam Jeremias, (*e*) sperantibus in eum, animæ quærenti illum. Falsum igitur est, Deum legis & Prophetarum justum esse, nec tamen bonum. In nova lege Jesus Christus de Patre sermonem habens, eum justum appellat: *Pater juste*, inquit ille. (*f*) *Sicut ergo*, concludit Origenes, *bonus in veteri Testamento frequenter dicitur Deus; ita etiam justus in Evangeliis appellatur.*

Sequitur idem argumentũ. pag. 87. 88. 89.

p. 69. n. 4.

III. Deum non esse corporeum, sed substantiam pure spiritualem, & a materia omnino secretam, altera veritas est, quæ summopere cordi est eidem Origeni, ob impias illationes quæ ex errore opposito inferri possent: sequeretur enim, ipsum divisibilem esse, & materialem, & corruptibilem; corpus enim omne divisibile est, & materiale, & corruptibile: *Non ergo aut corpus aliquod, aut in corpore esse putandus est Deus*; sed intellectualis natura simplex, nihil omnino in se adjunctionis admittens, uti ne majus aliquid & inferius in se habere credatur, sed *Ut sit ex omni parte μονὰς, & ut ita dicam ἑνὰς.* Cum igitur Deus corporeus non sit, necessario sequitur, eum in nullo peculiari loco esse *circumscriptive*; ideoque in sensu subliminori interpretanda esse ea Scripturarum loca, quæ oppositum docere videntur. Idem ferendum est judicium de aliis Scripturæ locis, in quibus denominationes quædam eidem tribuuntur, quæ soli materiæ possunt convenire; veluti cum appellatur ignis, lux; &c. Et in genere rejici debet quilibet sensus, per quem aliquid corporeum in Deo concipere possemus. Impium enim esset, inquit Origenes, Deum corporeum, & humanæ formæ inducere: *Quod sentire de Deo, manifestissime impium est.* En errorem Antropomorphitarum aperte damnatum.

Deus est purus Spiritus a materia omnino secretus. Tractat. de Oratione. tom. 1. recent. Edition. pag. 234. n. 23. Lib. 1. Periarch. p. 51. n. 6.

Ibid. & Tractat. de Oratione. pag. 233. n. 23.

Ibid. p. 49. & 50.

pag. 50. Hom. 1. in Genes. t. 2. recent. Edition. p. 57. n. 23.

IV. Si verum est, Deum esse purum spiritum, a materia separatum; æque verum est, eum esse impassibilem, carentem omnibus humanis affectibus, & invisibilem. 1°. *Penitus impassibilem Deum*, inquit eruditus hic Auctor, *atque his omnibus carentem affectibus, sentiendum.* Quando igitur in Sacris litteris legimus, Deum loqui, audire, irasci, &c. hoc litteraliter interpretari non debet, ac si Deus revera his humanis affectibus esset obnoxius: Sacra Scriptura enim his loquendi formulis utitur, ut nostro captui sese accommodet, & ut facilius sanctas veritates ibidem traditas percipiamus. 2°. Origenes aperte pronuntiat, Deum esse invisibilem, & hanc proprietatem eidem esse adeo essentialem, ut neque Salvatori visibilis sit: *Si autem*, inquit vetustus hic Pater, *invisibilis est per naturam, neque Salvatori visibilis erit.* „ Itaque na„tura Dei, non est alicui visibilis, (ut quidam pu„tant) & aliis invisibilis, inquit alio loco: Non enim „ dixit Apostolus, imago invisibilis Dei hominibus, „ aut invisibilis peccatoribus, sed valde constanter „ pronuntiat de ipsa natura Dei dicens: *Imago invisi„bilis Dei.* Sed & Joannes in Evangelio dicens: „ *Deum nemo vidit unquam*, manifeste declarat omni„bus, qui intelligere possunt: *Quia nulla natura est, „ cui visibilis sit Deus.*

Lib. 1. Periarch. p. 36. n. 4.

Hom. 3. in Genes. p. 67. n. 2. Deus invisibilis est. Lib. 2. Periarch. p. 4. n. 3. Lib. 1. Periarch. pag. 52. n. 8.

V. Hinc quando Sacræ litteræ dicunt, Moysem vidisse Deum, hoc intelligi debet, non de visione corporali, sed de visione spirituali & interiori. *Hoc ergo modo*, inquit Origenes, *Moyses etiam Deum vidisse putandus est, non carnalibus oculis intuens, sed visu cordis, ac sensu mentis intelligens.* Nam aliud est videre Deum corporeis oculis, quod est absolute impossibile; aliud eum sensu mentis intelligere, quod omni rationali creaturæ possibile est. *Mens nostra ex pulchritudine operum & decore creaturarum, parentem universitatis intelligit.* Verum hoc modo Deum imperfecte cognoscimus, cum ad cognoscendam Divinam essentiam nunquam pervenire possimus; ea quippe impervia est mentibus etiam purissimis, ac limpidissimis. *Cujus utique (Dei) natura, acie humanæ mentis intendi ac intueri, quamvis ea sit purissima mens, ac limpidissima non potest.* Cujus veritatis egregiam rationem tradit Origenes; quia scilicet Deus est infinite supra

omnes

Quo pacto Moyses viderit Deũ. Lib. 2. Periarch. c. 4. n. 3.

Deum cognoscimus ex pulchritudine Operum suorum. Lib. 1. Periarch. c. 1. p. 50. n. 6. Dei essentia ab humana mẽte percipi non potest. Ibid. Tractat. de Oration. p. 236. n. 24.

(*a*) Tom. III. Histor. Ecclesiast. pag. 531.
(*b*) Tom. II. Histor. Ecclesiast. pag. 169.
(*c*) Joann. cap. 1. v. 16.

(*d*) Psalm. 72. vers. 1. & Psalm. 117. vers. 2.
(*e*) Thren. cap. 3. vers. 25.
(*f*) Joann. cap. 17. vers. 25.

III. SÆCULUM.

omnes substantias intellectuales, & ejus essentia separata est ab omni creatura. Ex his Origenis principiis inferendum est 1o. neminem corporeis oculis videre posse Deum, in quocumque perfectionis statu homo sit constitutus. 2o. Spirituales substantias posse eumdem cognoscere; & neminem posse ignorare illum invincibiliter. 3o. Impossibile esse animæ hominis, sicuti & cæteris spiritualibus substantiis, videre Deum in sua natura ac essentia, & sicuti est. Utique in cœlo *videbimus eum sicuti est*, ut ait Divus Joannes Apostolus, (*a*) sed hæc visio limitata erit, & humano captui habita proportione; qui cum finitus sit, nunquam poterit perfecte comprehendere Deum, utpote natura infinitum. Eaque de caussa Salvator ait in Evangelio: (*b*) Nemo novit Filium, nisi Pater; neque Patrem quis novit, nisi Filius. Quod quidem intelligi debet non de simplici cognitione, sed de cognitione comprehensionis, ut Scholæ loquuntur.

Providentia Divina. Lib. 2. *Periarch.* c. 1. n. 3. p. 78. Lib. 6. *contra Celsū.* pag. 686. n. 71. Homil. 3. *in Genes.* p. 66. n. 1.

VI. In Deo vivimus, movemur, & sumus: Deus omnipotenti sua virtute regit ac gubernat universa, & in officiis suis ordinata conservat. *Cura quidem & Providentia Dei pervadit omnia.* „ Et sicuti nos confite„ mur, inquit Origenes, Deum esse incorporeum, „ omnipotentem, & invisibilem: *Ita eum curare mor„ talia, & nihil absque ejus Providentia geri, neque „ in cœlo, neque in terris, certo & immobili dogmate „ confitemur.* Memento, quia nihil sine Providentia „ ejus geri diximus, non sine voluntate: *Multa enim sine voluntate ejus geruntur, nihil sine Providentia.* Non sine ingenti ratione hoc pacto seipsum exprimit Origenes, cum certum indubitatumque sit, omne malum fieri contra Dei voluntatem; qui nihilominus malum permittit, & quidem ob rationes, quæ nos latent.

Scientia Dei. Hom. 7. *in Gen.* p. 61. n. 8.

VII. Si Dei Providentia pervadit omnia, necessario inde sequitur, nihil eum latere, & præsens æque ac præteritum eumdem agnoscere. Deus reipsa *Novit omnia antequam fiant.* Nihilque fit, quod ipse antea probe non noverit esse futurum. Sed hæc præscientia, inquit Origenes, non est caussa eventus (quod de solo peccato intelligendum est. Tandem *Deo soli cognitum est propositum mentis.* Quando igitur Origenes alio loco ait: *Peccatum nescit Deus, & peccatores nescit Deus;* non docet, aliquid Deum latere; cum apertissime tradat oppositum; sed id unice significare intendit, quod Deus damnat peccatum & peccatorem, eumque indignum reputat intuitu oculorum suorum: subjungit enim eodem loco Origenes: Suos cognoscit Dominus, iniquos autem & impios nescit. *Hæc autem diximus, non blasphemum aliquid de Deo sentientes, neque ignorantiam adscribentes ei; sed ita intelligimus, quod hi, quorum actus Deo est indignus, indigni etiam Dei notitia dicantur.*

Tom. 3. *Comment. in Genes.* pag. 6. recent. Edition. tom. 2. n. 3.

Homil. 4. *in Genes.* p. 73. n. 6.

Veracitas Dei Comment. in Genes. p. 121. num. 7. tom. 2. recent. Edition.

VIII. Cum Deus sit ipsa veritas, *Mentiri fallique non potest. Quia impossibile est mentiri eum, qui repromisit, quidquid illud fuerit, promissio permanebit. Omnium enim Opifex*, inquit idem Origenes, *imperio naturam cedentem habet.* Sed hæc divina Omnipotentia non extenditur nisi super ea, quæ non repugnant, & non sunt contra rationem. *Certe Deum*, verba sunt Origenis, *omnia posse profitemur; sed quæ potest, nullo sua divinitatis, bonitatis, & sapientia detrimento.* „ Hæc enim potestas ejus divinitati contraria est, & „ illi omnipotentiæ, quam ut Deus habet. Neque „ etiam ad absurdissimum illud præsidium confugi„ mus, *omnia esse Deo* possibilia: Scimus enim, il„ lud *omnia* non complecti ea, quæ fieri posse repu„ gnant, & cogitari. Dicimus etiam, Deum turpia „ non posse.„ *Nam si quid turpe Deus facit, Deus non est.*

Dei Omnipotentia. Commentar. in *Exod.* pag. 121. tom. 2. recent. Edition. Lib. 3. *contra Celsū.* p. 493. & 494. n. 70. Lib. 5. *contra Celsū.* pag. 595. n. 23.

Deus Creator materiæ. Commentar. in *Genes.* p. 2. & 3.

IX. Deus universa quæ subsistunt molitus est. Ipse creavit materiam omnesque ejus qualitates, nullam præ manibus habens materiam ortu carentem, sicuti quidam Philosophi olim commenti sunt. Qua enim ratione, qualitates illas, (id quod ex eorum omnium, qui Providentiam esse defendunt, oratione sententiaque conjunctum est) quæ nullæ dum erant, ad universi ornatum, pro infinita potestate sapientiaque producit: eadem omnino naturam quamlibet, si qua forte indigeat procreare continuo voluntas ejus per sese poterit. Secus consequens esset, belle admodum id ac fortunate Deo cessisse, quod in naturam illam ortus expertem inciderit, quam nisi eo ipso quod ortu careret nactus esset, nihil unquam efficere potuisset; adeoque perpetuo molitoris, parentis, benigni, boni, ac cæteris omnibus, quæ magna cum ratione Deo tribuuntur, nominibus spoliatus perstitisset. Quo sane posito falso principio, adinvenire debuisset Deus vim materiæ tantam, quæ ad hujus propriæ, non majoris, minorisve mundi molitionem satis esset. Hinc invehenda nescio quæ, Deo tamen antiquior, Providentia necessario fuisset, quæ materiam ei subjecerit, dum id ea provideret in posterum, ne quas in se Deus habuisset artis suæ notiones, irritæ cessissent. Unde porro id habuit materia, ut omnis qualitatis capax esset, quam eidem imprimere Deus voluisset, nisi qualem eam habere ipse vellet, talem ante sibi, tantamque molitus erit? Tandem si daremus, ortu carere materiam, ecquid amplius Deus, quam quod fortuito casuque factum videmus, effecisset? Mundus, sive hoc, sive illo modo factus fuisset, æque fuisset perfectus; nec ullo modo cogeremur agnoscere Deum uti materiæ creatorem; quod quidem æque absurdum est ac dicere, mundum hunc tam eleganter, apteque constructum, absque sapientis artificis manu talem extitisse. Perperam igitur, concludit Origenes, quidam prætendunt comparationem artificum nostrorum, quorum nemo sine materia quicquam efficit; & perperam his Scripturarum verbis: Terra autem erat invisibilis & incomposita, *ἀόρατος καὶ ἀκατασκεύαστος*, naturam corpoream ortus omnis expertem esse opinantur.

III. SÆCULUM.

Deus Creator Spirituum. Lib. 3. *Periarch.* c. 9. p. 97. n. 1.

X. Æque certum est, Deum condidisse substantias rationabiles & intelligibiles. *In illo*, inquit Origenes, *quod mente percipitur initio, tantum numerum intelligibilium substantiarum, voluntate sua constituit Deus, quanto poterat sufficere ... quemadmodum & tantam materiam apparavit, quantam poterat exornare.* Cæterum Deus *Nullam aliam habuit creandi (rationabiles naturas) caussam, nisi propter seipsum, id-est bonitatem suam.* Quia ergo eorum quæ creanda erant, ipse (Deus) extitit caussa; in quo neque varietas aliqua, neque permutatio, neque impossibilitas inerat, æquales creavit omnes; hoc est, ut seipsum explicat Origenes omnes arbitrii facultate donavit. Verum alibi disseremus de hoc argumento, quod ab Origene satis prolixe pertractatur.

Alia Dei attributa. Lib. 9. *contra Celsū.* pag. 426. n. 59. Lib. 1. *Periarch.* c. 1. p. 50. n. 5. *Exhortat. ad Martyr.* tom 1. recent. Edition. p. 306. n. 46.

XI. Docet insuper idem Doctor, Deum esse rerum omnium principium, principio carere, nec totum esse, nec partem; esse incomprehensibilem & inæstimabilem, nulloque alio nomine appellari posse, quam quibus appellatur in Sacris litteris, uti sunt Sabaoth, Adonai, Saddai: *Nullo alio nomine summus Deus vocandus est, quam quibus famulus (Moyses) Propheta, & ipse Servator ... noster ipsum nominant, veluti Sabaoth, Adonai, Saddai ... Cæterum quod nomen in ... quavis ... lingua Deum significat, illud Deo tribui sine peccato potest.*

Lib. 5. *contra Celsū.* pag. 613. num. 45. Nomē præ cæteris nominibus Dei proprium. *Tractat. de Oration.* p. 236. n. 24.

XII. Docet tamen idem Auctor, nullum nomen aptius Deo convenire, quam quod ille sibimetipsi tribuit in Exodo, Moysi dicens, *Qui est* &c. Nomen igitur, inquit vetustus hic Pater, est compendiosa denominatio, quæ propriam rei nominatæ qualitatem exhibet. Cum autem in hominibus qualitates illæ propriæ quodam modo mutentur, recte mutantur etiam nomina. *In Deo vero, qui invariabilis, immutabilisque semper est, unum idemque semper est veluti nomen: Qui est.* Et aliis nominibus si appelletur, hujus significationem præseferre debent. Veteres, uti narrat Origenes, religiosi adeo erant quoad hunc articulum, ut mallent mori, quam vel Jovis, vel alio profano nomine Deum appellare: Dei nomen simpliciter eidem tribuebant, vel quamdam denominationem addebant, quæ Divinarum ejus perfectionum aliquam exprimeret. Tandem Origenes non veretur asserere, quod *Ille qui Dei conceptum iis aptat, quibus non convenit, assumit nomen Domini Dei in vanum.* Talis erat Majorum nostrorum Religio erga Sanctum Dei Nomen; a quo toto cœlo distat qui hodie viget communis mos aptandi nomen Dei profanis quibuslibet rebus.

Lib. 1. *contra Celsū.* pag. 343. n. 25.

Tract. de Oration. p. 237. n. 24.

CAPUT QUINTUM.

DE TRINITATE DIVINARUM PERSONARUM, ET EARUM CONSUBSTANTIALITATE.

I. ETsi plures Scriptores traduxerint Origenem veluti Hæresiarcham perniciosissimum, præcipue quoad Doctrinam de Trinitate; Fatendum nihilominus est, Scriptores innumeros, tum antiquitate, tum eruditione venerabiles magni hujus Viri partes suscepisse, ac orthodoxam ejus fidem eo in lumine collocasse, ut illius adversariis silentium imposuerint. Id sane præstiterunt Alexander Hierosolymitanus, Teoctistus Cæsariensis, Dionysius Alexandrinus, Firmillianus Cæsariensis, Gregorius Thaumaturgus, & Athenodorus, qui omnes Origenis coævi fuere. Insuper ipsius ætate Palæstina omnis, Arabia, Phœnicia, Achaja pro ipso dimi-

(*a*) Epist. 1. cap. 3. vers. 2.

(*b*) Matth. cap. 11. vers. 27.

III. SAECULUM.

dimicaverunt contra Demetrium Alexandrinum: & procedentibus annis ejusdem Apologiam concinnarunt celeberrimus Martyr Pamphilus, & Eusebius Cæsariensis nec non plures alii insignes spectabilesque viri, quorum meminit Photius in sua Bibliotheca; (a) inter quos recenseri debet Divus Athanasius, qui exhibet nobis Origenem veluti strenuum catholicæ fidei propugnatorem adversus oppositam hæresim Arianam, quæ deinceps exorta est. Non loquor hic de Rufino, cujus ardorem erga Origenis memoriam nemo ignorat; nec de innumeris loquor vetustissimis Monachis Origenis caussam tuentibus contra Theophilum Alexandrinum adversariorum Origenis facile principem. Hæc opinionum diversitas ac conflictus impedire non debet, quo minus ad veritatem inquirendam res ad examen revocemus. Operam nostram in hoc Doctore purgando jure ponere debemus, cum ille, uti superius innuimus, in Ecclesiæ sinu decesserit, & omni vitæ suæ tempore eidem fuerit subjectus. Si illius partes suscipimus circa Doctrinam de Trinitate, vel circa alia argumenta, de quibus erroris insimulatus fuerit, vestigiis insistimus quorumdam eruditorum elapsi sæculi, qui de consensu Summorum Pontificum, & piissimorum æque ac celeberrimorum virorum, orthodoxam illius fidem ostenderunt, nihil obstante anathemate, quo perculsus fuerat in quodam Concilio; de quo supra verba fecimus.

Lib. De cretorum Concilii Nicæni.

II. Origenem admisisse ac distinxisse tres Personas Divinas, in dubium revocare nemo poterit, qui animadvertat, 1°. illum pluribus in locis, ad designandas Divinas Personas, uti voce Trinitatis. Docet quippe Homilia 9. in Exodum, Ecclesiam omnem fundari in fide Trinitatis: *Trinitatis fides ... per quam sustinetur omnis Ecclesia*. Et in Psalmum 145. ait, cognitionem Sanctæ Trinitatis esse infinitam: *Sanctæ Trinitatis cognitio infinita*. Hinc docet pariter in suo *Periarchon*, in Baptismo invocandum esse Patrem, Filium, & Spiritum Sanctum; & neminem in hoc Sacramento percipere posse salutem, sine totius Trinitatis invocatione: *Qui regeneratur ... opus habet & Patre, & Filio, & Spiritu Sancto, non percepturus salutem, nisi sit integra Trinitas*. Et deinde loquens de Patre, Filio, & Spiritu Sancto ait, *Naturam Trinitatis* nihil compositionis habere, neque corpus esse, neque esse in corpore, sed esse omnino spiritualem: *Substantia Trinitatis ... ex toto incorporea*. Tandem differens semper de tribus Divinis Personis declarat apertissime hanc Trinitatem excedere omnem sensum intelligentiæ non solum temporalis, verumetiam æternalis: cætera vero quæ sunt extra Trinitatem, in sæculis & in temporibus metienda esse.

Trinitas Divinarũ Personarũ. Homil. 9. in Exod. n. 3. p. 161. In Psalm. 145. pag. 843. Lib. 1 Periarch. c. 3. n. 5. p. 62. cap. 5. n. 3. pag. 66.

Lib. 4. n. 27. p. 189.

Ibid. n. 28. pag. 190.

III. Non solum utitur Origenes voce Trinitatis, ut Personas Divinas designet; sed insuper aperte & distincte pronuntiat Patrem, & Filium, & Spiritum Sanctum. Id supra jam innuimus his ejusdem Scriptoris verbis: *Qui regeneratur .... opus habet & Patre, & Filio, & Spiritu Sancto*. Ait deinceps: *Supra omnem æternitatem intelligenda sunt ea, quæ de Patre, & Filio, & Spiritu Sancto dicuntur*. Pariter habet alio loco: *Denique cum confitearis, unum Deum, eademque confessione Patrem, & Filium, & Spiritum Sanctum asseras, unum Deum ..... quam inextricabile videtur hoc esse infidelibus? .... Credo*, loquitur semper Origenes, *propter fidem Patris, & Filii, & Spiritus Sancti*.

Lib. 1. Periarch. c. 3. n. 5. p. 62. Ibid. Lib. 4. n. 28. pag. 190. In Exod. Homil. 5. n. 3. p. 145. Homil. 5. in Levit. n. 4. p. 208.

IV. Adeo verum est, Origenem admittere in Deo tres Personas distinctas, quod nitidissime, & formaliter declarat, Filium esse alium a Patre, & Spiritum Sanctum esse alium a Patre & Filio: *Alius a Patre Filius, & non idem Filius, qui & Pater ... alius ..... & ipse (Spiritus Sanctus) a Patre & Filio*: ideoque admittendam esse distinctionem Personarum in Patre, & Filio, & Spiritu Sancto: *Est ergo hæc trium distinctio Personarum in Patre, & Filio, & Spiritu Sancto*. Quo tandem pacto dubitare quis poterit de Orthodoxa fide Origenis circa realem distinctionem Divinarum Personarum, cum illis diversa officia adscribat, & personales qualitates, ut capite sequenti videbimus? Quin immo docet, ut testantur Divus Hieronymus (b) & Justinianus Imperator (c), Filium minorem esse Patre, & Spiritum Sanctum minorem esse Patre & Filio; potentiam Patris majorem esse potentia cæterarum Personarum; & potentiam Filii majorem esse potentia Spiritus Sancti. Ex quibus omnibus saltem eruitur, Scriptorem hunc admisisse in Deo tres distinctas Personas; ideoque nunquam favisse hæresi Sabellii.

Hom. 12. in Numer. n. 1. p. 311.

V. Interim videamus, num pari jure purgari possit a suspicione hæresis Arianæ, Pater Petavius hanc illi exprobrat, sicuti & omnibus fere antiquis Patribus, qui floruerunt ante Concilium Nicænum. Verum, qui vel parum Origenem legerit, ejusque germanam mentem, ac vera principia sit assecutus, nullo negotio deprehendet, recentiorem hunc Scriptorem in errore versari. Quod quidem præstitit egregie Scriptor quidam Ecclesiæ Anglicanæ, cujus laborem commendavimus jam supra, solertiamque in purgandis antiquis Patribus quoad hunc articulum. Omittimus autem hic recitare innumera Origenis testimonia, quæ suis locis afferemus, quæque probe ostendunt, vetustum hunc Scriptorem agnovisse, Filium, & Spiritum Sanctum esse Patri consubstantiales: & quædam solummodo indigitare volumus minus peculiaria, quæ plene evincunt Orthodoxam fidem Origenis circa Consubstantialitatem trium Personarum in genere. Primo igitur docet noster hic Auctor, nullum esse discrimen naturæ & dignitatis in tribus Divinis Personis: *Nihil in Trinitate majus, minusve dicendum est*: & Apostolum agnoscere unam eamdemque virtutem in tribus divinis Personis, quando, expositis diversis Spiritus Sancti donis ait; idem autem Deus operatur omnia in omnibus (d): *Ex quo*, inquit Origenes, *manifestissime designatur, quod nulla est in Trinitate discretio*. Qui sane Origenis textus maximi ponderis esse debet, cum excriptus sit a quodam Capite, cui titulus: *De Spiritu Sancto*: in quo intendit idem Auctor manifestissime ostendere non solum subsistentiam Spiritus Sancti, ejusque personales qualitates; sed insuper, eum esse æqualem Patri ac Filio, tum natura, tum dignitate ac virtute. Hinc fit, ut non possimus supra recensitum testimonium suscipere veluti contra mentem & intentionem Auctoris prolatum. His igitur præjactis, necessario fluit, Origenem admisisse Consubstantialitatem trium Divinarum Personarum, quoniam nullum in illis admittit discrimen virtutis & dignitatis. In eodem Capite his verbis utitur: *in Unitate Trinitatis*: & inferius habet: *His igitur de Unitate Patris & Filii & Spiritus Sancti potestatis &c.* quod idem significat ac vocabulum Consubstantialitatis; cum Unitas hæc prædicetur de virtute, dignitate, & operatione trium Personarum, quemadmodum observavimus.

Consubstantialitas Divinarũ Personarum. Lib. 1. Periarch. c. 3. n. 7. p. 63. pag. 64.

num. 8. pag. 64.

VI. Cæterum protulimus supra ex Origenis verba, quæ illum perfecte purgant quoad articulum in controversia positum, suntque quæ modo sequuntur: *Cum confitearis unum Deum, eademque confessione Patrem, & Filium, & Spiritum Sanctum asseras, unum Deum ... quam difficile videtur hoc esse infidelibus*. Alibi vero tres divinas Personas similes esse dicit tribus puteis, quorum unus est fons; ibique aperte declarat, unam esse substantiam & naturam Trinitatis: *Una enim substantia est & natura Trinitatis*. Tandem ne ullus remaneat locus, suspicandi in illo errorem, tradit, varia officia Personarum Trinitatis nihil immutare in earum natura: *Nec putes Trinitatis naturam deserere, si nominum serventur officia. Denique, ut Unitatem Deitatis in Trinitate cognoscas, solus Christus in præsenti lectione* (in Evangelio) *nunc peccata dimittit: & tamen certum est, a Trinitate peccata dimitti*. Perspicuis adeo textibus addere possumus quæ habet idem Scriptor in Homilia 37. in Divum Lucam: *Laudemus Deum in Patre, & Filio, & Spiritu Sancto*. Et in suo Commentario in Divum Joannem ait, solum Filium, solumque Spiritum Sanctum percipere posse omnem splendorem totius gloriæ Dei Patris: *Non arbitror*, inquit ille, *percipere aliquem posse omnem splendorem totius gloriæ Dei, nisi Filium Dei. Si ei addas etiam ejus Spiritum, optime ... & absolutissime de Deo & dices & senties*.

Sequitur idem argumentũ. Homil. 3. in Exod. num. 3. pag. 145. Homil. 12. in Numer. num. 1. pag. 312.

In Isaiam. Tom. 1. Genebr. pag. 350.

Ibid. Homil. 37. in S. Lucam. T. 2. Genebr. Pag. 158. Comment. in S. Joann. Edition. Huet. T. 2. pag. 416.

VII. Judicet nunc Lector vel parum versatus, num clarius aut accuratius asserere quis possit Consubstantialitatem trium Divinarum Personarum, nisi propria Consubstantialitatis voce uti velit. Nonne unum idemque profertur, licet diversis formulis, cum dicitur, in tribus Divinis Personis omnia esse æqualia, unam non esse altera majorem, omnes habere eamdem virtutem & potentiam, easdemque operationes, nullam esse quoad hæc in Trinitate discretionem, haberi Unitatem Trinitatis, Unitatem in Patre, Filio, & Spiritu Sancto, has tres personas esse unum eumdemque Deum, Trinitatis unam eamdemque esse essentiam, unam eamdemque naturam; diversa officia, quæ tribus Divinis Personis seorsim adscribuntur, nihil officere naturali earumdem identitati, unam esse earum Divinitatem, Deum glorificari in Patre, Filio, & Spiritu Sancto, Filium & Spiritum Sanctum percipere plenitudinem & splendorem totius gloriæ Patris? Quid ultra

(a) Biblioth. Photh. Cod. 118.
(b) Epist. 94. ad Avitum.
(c) Epist. 41. ad Menam.
(d) I. ad Corinth. cap. 12. vers. 6.

III. SÆCULUM.

tra opus est, ut Origenem habeamus omni erroris labe purgatum circa hoc Mysterium?

Difficultas deprompta ex Origene. Lib. 1. Periarch. c. 3. n. 5. pag. 62.

VIII. Aliquis fortasse objiciet quæ numero quarto hujus capitis ex Origene exscripsimus: ibi enim ille docet 1°. Patris operationem pervenire in omnes tam justos quam peccatores, & rationales atque irrationales, & in omnia omnino quæ sunt, quia ipse est qui est. 2°. Filium, cum minor sit Patre, ad sola rationabilia pervenire, quia est secundus a Patre; *Minor vero Patre Filius ad sola rationabilia pervenit; est enim secundus a Patre.* 3°. Spiritum Sanctum, cum sit ipso Filio minor, ad solos Sanctos pertingere: *Adhuc etiam minor Spiritus Sanctus, ad solos sanctos pertingere*: ex quibus omnibus Origenes concludit: *Ita ex hoc major est potestas Patris, quam Filii & Spiritus Sancti; amplior item potestas Filii, quam Spiritus Sancti.* Quod quidem videtur impugnare directe fidem de Consubstantialitate trium Personarum. Si enim operatio & potestas Patris amplior est operatione & potestate Filii & Spiritus Sancti; si potestas Filii amplior est potestate Spiritus Sancti, consequens est, diversam naturam admittendam esse in Patre, & Filio, & Spiritu Sancto: quod absolute destruit Consubstantialitatem Trinitatis.

Elucidatur hæc difficultas.

IX. Huic autem difficultati reponi potest 1°. nonnisi contra naturalem æquitatem damnari posse Origenem propter superius recensita testimonia, cum plurima æque perspicua, & æque accurata in eodem occurrant testimonia, quæ Orthodoxam ejus doctrinam quoad hunc articulum plenissime manifestant. 2°. attente considerari debet, quo pacto Origenes proponat quæstiones in allatis textibus comprehensas: non utitur enim decretoriis verbis, quibus reipsa utitur in textibus antea a nobis recitatis; sed solum exponit quid opinative sentiat: ait enim *arbitror &c.* Hinc quæ ille profert, uti ejus opiniones considerari debent, & ad summum, uti peculiares Origenis sententiæ. 3°. insuper si perpendantur quæ in controversiam posita sunt Origenis verba, sensum apprime catholicum circa Mysterium Trinitatis præseferunt. Siquidem quod ibidem docet Origenes, ad hoc reducitur, quod Pater, est major Filio, & Filius est major Spiritu Sancto. Verum verba hæc orthodoxa sunt, si considerentur quoad subordinationem, quæ habetur inter tres Divinas Personas. Est quippe articulus fidei, Personam Patris esse superiorem persona Filii, quia Filius a Patre genitus est, ab eoque suum esse habet, suasque divinas perfectiones: idipsum dicendum est de Filio quoad Spiritum Sanctum, a quo Filio, sicuti & a Patre Spiritus Sanctus procedit. In hoc sensu Christus ipse in Evangelio ait; *Pater major me est.* Verum superest nunc videndum, num hæc vera Origenis mens. Quod quidem evidentissime eruitur ex simplici lectione illius Capitis, a quo objectio hæc exscripta est. Docet formaliter Origenes, Unitatem haberi in Trinitate: *In Unitate Trinitatis*; quod

Ibid. n. 4.

certe intelligi debet de natura trium Personarum, quæ juxta vetustum hunc Scriptorem eadem est. Perspicue declarat, Divinas Personas habere unam eamdemque virtutem: *Unam eamdemque virtutem Trinitatis.* Ait insu-

n. 7. p. 63.

per, nullam esse in hac Trinitate discretionem: *Nulla*

pag. 64.

est in Trinitate discretio. Quando igitur eodem loco ait, Patrem esse majorem Filio, & Spiritu Sancto; ejus virtutem esse majorem virtute Filii & Spiritus Sancti, hoc rationabiliter intelligi nequit, nisi habita ratione ad Ordinem Personarum, seu proprietatum personalium, per quas Pater, tamquam Principium, primus est in ordine, & Filio ac Spiritui Sancto, qui ab ipso procedunt, superior. Quia vero & esse, & perfectiones, quas illis Pater communicat, eædem sunt ac perfectiones Patris; hinc eorum natura eadem est cum natura Patris; ideoque virtus naturalis Patris, Virtus quam habet tamquam Deus, non est major virtute Filii, & Spiritus Sancti, si præcise tamquam Deus considerentur Filius & Spiritus Sanctus. Hæc est, ut mihi quidem non sine magno fundamento videtur, vera germanaque Origenis mens. Scribit utique ibidem noster Auctor, potestatem Patris ampliorem esse potestate Filii, & Filii potestatem ampliorem esse potestate Spiritus Sancti; sed hoc scribit semper in eodem sensu personalis subordinationis, ut cuilibet perlegenti integrum illud caput clarissime innotescet. Cæterum ille fatetur, eumdem esse Spiritum, eumdem Deum, qui operatur omnia in omnibus, juxta phrasim Apostoli: & alibi docet, quod si aliqua personalis differentia habeatur, hæc nullum infert præjudicium naturæ trium Personarum: *Nec putes*, inquit eruditus hic Pa-

In Isaiam. Tom. I. Genebr. p. 350.

ter, *Trinitatis naturam deserere, si nominum serventur officia.* At satis de hac materia locuti sumus quam fusius pertractare debemus, postquam protulerimus notabiliora Origenis loca circa proprietates personales uniuscujusque Personæ Sanctissimæ Trinitatis.

CAPUT SEXTUM.

DE ATTRIBUTIS RELATIVIS, SEU PROPRIETATIBUS PERSONALIBUS PATRIS, FILII, ET SPIRITUS SANCTI.

I. NOmine attributorum relativorum sive proprietatum personalium veniunt hoc loco perfectiones, & operationes, quæ proprie conveniunt, & tribuuntur cuilibet Trinitatis personæ, prout præcise tamquam persona consideratur. Hinc personalis Patris proprietas est, quod sit sine origine, sine Principio, ut docet noster Auctor. *Nihil ingenitum, idest innatum, præter solum Deum Patrem.* Divus Hieronymus vocem græcam ἀγέννητον, reddiderat latina voce *infectum*; quo fieret, ut Origenes Ariani erroris suspicionem non effugeret. Verum omni quæ Divo Hieronymo debetur veneratione teponimus, Sanctum hunc Doctorem nimium coarctasse significationem græcæ vocis, quæ hoc loco significat, Patrem esse solam Trinitatis Personam, quæ sit absque principio; cum Filius & Spiritus Sanctus propriam existentiam habeant a Patre tamquam a suo principio. Divum Hieronymum vere deceptum esse in hac versione ex eo eruitur, quod Origenes alibi expresse docet, Filium ipsum esse infectum, increatum ἀγέννητος, *infectus*, *increatus*. Hinc præferenda est Rufini versio, *Nihil ingenitum &c.* Quæ Patris de la Rue recentioris Origenis editoris est observatio. Huic textui addamus, nostrum Auctorem, cum de Deo Patre sermonem habet, sæpissime eum appellare *ingenitum ἀγέννητος*, & fere semper illum distinguere a cæteris duabus Personis hoc vocabulo, uti pluribus in locis videre est.

Solus Pater est sine principio. Lib. 1. Periarch. c. 2. n. 5. p. 53.

Lib. 5. contra Celsum. num. 17. pag. 643.

II. Ad relativas Patris perfectiones pertinet, quod origo sit & fons Filii, & Spiritus Sancti: *Origo & fons Filii vel Spiritus Sancti, Pater est.* Verum immediate post allata verba docet idem Scriptor, hoc fieri absque ulla dependentia, vel imperfectione in Filio & Spiritu Sancto: *Et nihil in his anterius, posteriusve intelligi potest.* Quod quidem semper probat eamdem naturam, eamdemque essentiam in Patre, Filio, & Spiritu Sancto. Cæterum propter hanc qualitatem Principii, quam Origenes Deo Patri tribuit, asserit idem Scriptor, Patrem esse majorem Filio, & Spiritu Sancto, quemadmodum in superiori capite observavimus; & Patrem existimari posse tamquam Dominum Filii: *Recte enim Pater existimari potest Filii Dominus.* Non quod Filius a Patre pendeat, tamquam famulus a Domino suo, sicuti superius scribit Origenes, sed simpliciter ratione superioritatis Patris erga Filium. Hinc ratione hujus ejusdem personalis superioritatis Pater est primarius conditor Universi, & Verbum, Filius Dei, artificis partes egit, cum in mundi creatione mandata Patris executioni mandaverit: *Diximus . . . Patrem esse primarium conditorem, eo quod Verbo suo Filio mandavit ut mundum faceret.*

Pater est origo ac fons Filii & Spiritus Sancti; Lib. 1. Periarch. c. 2. n. 1. p. 79.

Pater existimari potest Filii Dominus, Tract. de Oratione. num. 16. p. 224. recent. Edit. Tom. 1.

Pater est primarius Conditor Universi. Lib. 6. contra Celsum. num. 60. pag. 678.

III. Deus Pater ab omni æternitate est Pater Filii sui: „ Non enim Deus, cum prius non esset Pater, „ postea Pater esse cœpit, velut impeditus aliquibus „ ex caussis, quibus homines mortales impediri solent, „ ut non statim ex quo sunt, & Patres esse possint. „ Si enim semper perfectus est Deus, nec deest ei vir- „ tus qua Pater sit, & bonum est esse eum Patrem „ talis Filii, *quid differt . . . . & non statim, si ita dici potest, se Pater efficit Patrem?* Verum æterna hæc Filii generatio non impedit, quominus Pater sit semper in Filio, sicuti Filius est semper in Patre: *Semper est Pater in Filio, sicut Filius semper est in Patre*; quia Pater inseparabilis est a Filio, sicuti Filius a Patre: *quia non separo Filium a Patre, nec Patrem a Filio.* Habes modo notabiliora quæ in Origene deprehenduntur circa Personam Patris in particulari.

Deus est Pater ab omni æternitate. Lib. in Genes. p. 1. recent. Edit. T. II.

Pater est semper in Filio. Homil. 13 in Levit. n. 3. pag. 251.

Pater inseparabilis est a Filio. Homil. 13. in Levit. num. 4. pag. 256.

IV. Generatio Filii exæquari non debet generationi hominum, vel animantium: *Infandum est*, inquit Origenes, *& illicitum, Deum Patrem in generatione Unigeniti Filii sui . . . . exæquare alicui vel hominum, vel aliorum animantium generanti.* Sed necesse est aliquid exceptum esse Deoque dignum, cui nulla prorsus comparatio non in rebus solum, sed ne in cogitatione quidem, vel sensu inveniri potest, ut humana cogitatio possit apprehendere, quomodo ingenitus Deus Pater efficitur Unigeniti Filii. Non enim per adoptionem spiritus Filius fit extrinsecus; *sed natura Filius est.* Verum licet Origenes dicat, humanam cogitationem non posse apprehendere generationem Filii Dei; nihilominus ad faciliorem hujus mysterii intelligentiam profert aliqua exempla, quæ familiaria quam quod maxime sunt. Docet inter cætera, Filium procedere a Patre, tamquam splendorem a luce: *Est namque æterna ac sempiterna generatio, sicut splendor generatur ex luce*; ac ex Patris mente procedere, ac si esset quæ-

Generatio Filii. Lib. 1. Periarch. c. 2. p. 55. n. 4.

dam

III. SÆCULUM.

dam ejus voluntas: *Natus ex eo est, velut quædam voluntas ejus, ex mente procedens.* Sufficere enim debet voluntas Patris ad subsistendum hoc quod vult Pater: *ita ergo*, addit Origenes, *& Filii subsistentia generatur ab eo.*

num. 6.

V. Hæc autem idea Generationis Verbi toto cœlo distat a futili imaginatione quorumdam Hæreticorum, quorum Origenes meminit, qui docebant, in Generatione Verbi partem aliquam substantiæ Patris versam esse in ejus Filium: *Non enim dicimus*, verba sunt Origenis, *sicut hæretici putant, partem aliquam substantiæ Dei in Filium versam*: „ sed abscisso omni „ sensu corporeo ex invisibili & incorporeo Verbum „ & Sapientiam genitam dicimus absque ulla corpo„rali passione; „ *Veluti si voluntas procedat a mente. Nec absurdum videbitur, cum dicatur Filius charitatis, si hoc modo etiam voluntatis putetur.* „ Sed & „ Joannes indicat (a), quia Deus lux est, & Paulus „ designat (b), qua Filius splendor lucis æternæ sit. „ Sicut ergo lux nunquam sine splendore esse potuit, „ ita nec Filius quidem sine Patre intelligi potest, „ qui figura expressa substantiæ ejus, & Verbum, & „ sapientia dicitur. Quomodo ergo potest dici, quia „ fuit aliquando, quando non fuit Filius? „ Verum hoc respicit æternitatem Verbi, de qua capite sequenti sermonem habebimus.

Sequitur idem argumentū. Lib. 4. Periarch. num. 28. Pag. 196.

VI. Cæterum Filius Dei est Sapientia Patris, ejus Primogenitus, virtus, Verbum. Est via, veritas, & vita. Est imago Dei invisibilis, splendor gloriæ, & figura expressa substantiæ Dei, speculum immaculatum virtutis Dei, imago Bonitatis Dei; est sapientia ipsa, veritas ipsa, ipsamet justitia: per hanc sapientiam omnia condita sunt, sicuti per hanc justitiam omnia gubernantur. In quo Filius exequitur mandatum Patris cujus veluti minister fuit in mundi creatione. Verbum Dei *omnibus providet*: hinc explicari possunt quædam phrases superiori capite a nobis allatæ, quibus Origenes videtur coarctare operationem Filii Dei in Creaturas. Tandem inter personales proprietates Verbi recenseri debet, ejus Incarnatio propter salutem hominum, nativitas, passio, vera mors secundum naturam humanam: de quibus alibi fusius disseremus.

Vocabula, quæ Filii Dei propria sunt. Lib. 1. Periarch. c. 2. p. 53. n. 1. Ibid. p. 54. n. 4. p. 55. num. 5. Lib. 6. contra Celsū. num. 47. Pag. 669. Lib. 2. Periarch. c. 9. n. 7. p. 100. Lib. 1. Periarch. Præfat. n. 4. p. 48. Lib. 3. Periarch. c. 9. n. 7. p. 100.

VII. Ad Spiritum Sanctum quod attinet, ille appellatur Paracletus, hoc est Consolator, a græca voce *Paraclesis*, quæ significat consolationem. Est tertia Persona Sanctissimæ Trinitatis .... *Tertiam Personam a Patre & Filio*, inquit Origenes. Divinus iste Spiritus honore & dignitate sociatur Patri ac Filio, juxta Doctrinam Apostolorum: *Honore ac dignitate Patri ac Filio sociatum tradiderunt Spiritum Sanctum*: quod sane ostendit ejus Consubstantialitatem cum Patre & Filio. Sanctos utriusque Testamenti Prophetas & Apostolos ipse inspiravit: per eum Sacri libri conscripti sunt. Sic ubi Spiritus nominatur in sacris litteris sine adjectione, quæ significet qualis sit Spiritus, de Spiritu Sancto debet intelligi. De Spiritu Sancto debet intelligi quod in Genesi legimus, de Spiritu, qui initio mundi Creationis ferebatur super aquas. *Spiritus .... Dei, qui super aquas ferebatur .... puto quod non sit alius, quam Spiritus Sanctus; secundum quod ego intelligere possum.* Observandum hoc loco venit, Origenem opinari solummodo quoad hunc articulum, de quo omnes, qui ante ipsum floruerunt Patres minime conveniebant, sicuti in primo hujus Operis volumine jam innuimus. Spiritus Sanctus revelat Deum cui vult. Impium pariter & stultum est, Spiritum Sanctum confiteri, & ignorantiam ei adscribere; cum sit ejusdem naturæ cum Patre & Filio.

Proprietates personales Spiritus Sancti. Lib. 2. Periarch. c. 7. n. 4. pag. 93. Homil. 24. in S. Lucam. T. 2. Genebr. c. 7 n. 4. p. 93. Lib. 1. Periarch. Præfat. n. 4. pag. 48. Ibid. Ibid. n. 8. Ibid. c. 3. n. 4. p. 61. Ibid. n. 3. Ibid. n. 4. Ibid. p. 62.

VIII. De Spiritu Sancto intelligendum est quod legimus in Psalmis (c): Emittes Spiritum tuum, & creabuntur, & renovabis faciem terræ; creando novos homines, qui per gratiam Spiritus deponentes veterem hominem cum actibus suis, in novitate vitæ ambulent. Ipse sanctificat justos omnes; & inter ejus personales proprietates hæc est, quod scilicet solis Sanctis seipsum communicet: *Spiritus Sancti .... participationem a Sanctis tantummodo haberi invenimus ....* Ne quis sane existimet, prosequitur idem Auctor, nos ex eo quod diximus, Spiritum Sanctum solis Sanctis præstari, Patris vero & Filii beneficia vel operationes pervenire ad bonos & malos, justos & injustos, prætulisse per hoc Patri & Filio Spiritum Sanctum, vel majorem ejus per hoc asserere dignitatem: *Proprietatem namque gratiæ ejus, operisque ejus descripsimus.* Cum ergo primo omnia ut sint, habeant ex Deo Patre; secundo ut rationabilia sint, habeant ex Verbo; *Tertio ut sint Sancta, habent ex Spiritu Sancto.*

Ibid. n. 7. pag. 63. Ibid. Ibid. n. 8. pag. 64.

IX. Spiritus Sanctus in columbæ specie in Jesum a Joanne baptizatum delapsus est: quod sane in dubium revocari nequit: & mirum est, Judæos huic veritati fidem denegare, cum multa & incredibiliora credant ipsi. Licet autem justi omnes participationem Spiritus Sancti habuerint; notandum nihilominus est, prout egregie animadvertit idem Origenes, quod præcipuus Spiritus Sancti adventus ad homines post ascensionem Christi in cœlos magis quam ante adventum ejus declaratus est: antea namque solis Prophetis, & paucis donum Spiritus Sancti præbebatur; post adventum vero Salvatoris, innumeræ credentium multitudines donorum Spiritus Sancti participes fuerunt; unusquisque vero juxta propriam mensuram. Per impositionem manuum Apostolicarum dabatur Spiritus Sanctus; & Origenis ætate aliqua supererant vestigia ejusdem Spiritus. *Quin etiamnum apud Christianos nonnulla supersunt illius Spiritus Sancti vestigia.* Nam Christiani dæmonia ejiciebant, morbos curabant, & futura prævidebant.

III. SÆCULUM.

Lib. 1. contra Celsū. num. 42. Pag. 339. Lib. 2. Periarch. c. 7. n. 2. & 3. p. 92. & 93. Lib. 1. Periarch. c. 3. n. 2. p. 61. Lib. 1. contra Celsū. num. 46. Pag. 361.

X. Tradit insuper Origenes, in solum Jesum Christum requievisse Spiritum Sanctum septemplici sua virtute: *Vide*, inquit ille, *quia supra nullum alium Spiritus Dei requievisse septemplici hac virtute describitur.* Docet pariter, præsentiam Sancti hujus Spiritus purgare nostra crimina, & peccatorum remissionem nobis tribuere: *Purgat namque omnes sordes præsentia Sancti Spiritus, remissionem tribuens peccatorum.* Tandem Spiritum Sanctum a Patre missum fuisse, ut una cum Filio humanam salutem operaretur: *Pater, etiam ut princeps, Filium mittens, una Spiritum quoque mittit.* Verum de hoc satis.

Homil. 6. in Numer. n. 6. pag. 287. Homil. 9. in Levit. n. 2. pag. 189. In S. Joann. T. 1. p. 58. rec. Edition.

CAPUT SEPTIMUM.

DE CONSUBSTANTIALITATE VERBI, ET DE DIVINITATE SPIRITUS SANCTI.

I. ETsi evidentissime constet ex dictis capite quinto hujus Sectionis, Verbum, & Spiritum Sanctum participes esse, juxta Originem, omnium perfectionum Patris; utrumque esse unum solumque Deum cum Patre; & perfecte esse Patri consubstantiales; nihilominus requirit argumenti gravitas, ut peculiarius de re hac nunc disseramus, & fusiori calamo duas veritates hoc capite comprehensas pertractemus, ut efficacius persuadere possint. Antequam vero ad Verbi Consubstantialitatem pertractandam, quæ hujus capitis primarium objectum est, accedamus, pergratum fore lectori confidimus, si eum gradatim ad hanc essentialem veritatem perducamus ope quarumdam illationum, quæ inferri commode possunt ex quibusdam Origenis textibus, in quibus vetustus iste Pater eas tribuit Filio Dei perfectiones, quæ soli Deo possunt convenire. Sic, exempli caussa, docet Origenes, per Verbum, omnia tam visibilia quam invisibilia condita esse; illud esse Patri coæternum; per Filium Patrem esse omnipotentem; & ipsum Filium omnipotentem esse eodem modo ac Pater omnipotens est. *Cum omnipotens dicitur Pater*, scribit Origenes, *etiam nullus debet offendi, quod etiam Filius Dei omnipotens dicitur.* Si enim, addit Origenes ibidem, omnia quæ Patris sunt, Christi sunt; inter omnia vero quæ sunt, Pater est etiam Omnipotens: *Sine dubio etiam ..... Filius debet esse Omnipotens.*

Divinitas Verbi. Lib. 2. Periarch. c. 6. n. 3. p. 90. Lib. 1. Periarch. n. 2. & 3. p. 54. Ibid. c. 2. n. 10. p. 58.

II. *Versatur (Christus) & cum iis ubique qui ipsi adhærent, necnon ubique cum eis qui ipsum nesciunt.* Loquitur autem hoc loco Origenes de immensitate proprie dicta; probat enim hanc veritatem his Jeremiæ (d) verbis: *Numquid non cœlum & terram ego impleo? dicit Dominus.* Verbum nulli mutationi obnoxium est; & licet carnem sumpserit, & cum hominibus conversatum sit; tamen divina ejus natura nullam passa est mutationem, quidquid in oppositum senserint hostes Christiani nominis, & inter hos Celsus, quem Origenes quoad hunc articulum in particulari fuse refellit. Verbum nullum habuit initium: nec æternitatem ei denegare possumus, nisi negemus, Patrem semper fuisse Patrem. Verbum est invisibile, quia invisibilis Dei imago est: incomprehensibile est, sicuti & Pater; nec Patrem quis comprehendere digne potest, nisi Verbum: Uno verbo, Filium Dei Christiani adorant: *Quem Christiani adorant & admirantur Jesum.* ὁ ὑπὸ χριστιανῶν προσκυνούμενος Ἰησοῦς .... Quæ omnia quidem Origenis testimonia Divinitatem Filii Dei apprime probant. De nullo enim dici potest, solo vero Deo excepto, quod omnia condiderit, quod Patri sit coæternus,

Sequitur idem argumentū. Lib. 5. contra Celsū. num. 12. Pag. 586. Lib. 4. contra Celsū. num. 15. pag. 510. & 511. Lib. 1. Periarch. c. 2. n. 3. p. 54. Lib. 2. Periarch. c. 6. n. 2. p. 90. Lib. 6. contra Celsū. num. 69. pag. 685. Ibid. n. 17. pag. 643. Lib. 1. contra Celsū. num. 91. pag. 367.

(a) Epist. 1. cap. 1. vers. 5.
(b) Ad Hebræos cap. 1. vers. 3.

(c) Psalm. 103. vers. 30.
(d) Cap. 23. vers. 24.

III. SÆCULUM.

nus, nullum habuerit initium, sit omnipotens, ubique versetur per suam immensitatem; quod immutabilis, invisibilis incomprehensibilis. Et quando Origenes subjungit, quod Christiani adorant Filium Dei, hæc sola phrasi ostendit evidenter, Christianos fateri Filium Dei Verum Deum cum Patre.

III. Inutile itaque ducimus clarissimis his testimoniis addere, quod Origenes innumeris in locis nomen Dei tribuit Verbo; & quidem tribuit una simul cum Patre, & distinguit solummodo ordinem Personarum; insuper quod agnoscit, & tuetur Divinitatem Filii adversus Ethnicorum infidelitatem, qui eamdem impugnabant. Omnia hæc idipsum probant, quod superius allata testimonia. Unum igitur superest; præmunire scilicet Lectorem contra quasdam Origenis phrases, quibus abuti is posset, ac quandoque inferre, Filium non esse verum Deum, ut Pater est verus Deus. Ait quippe vetustus hic Doctor, exempli caussa, Filium esse secundum Deum: *Secundum Deum τὸν δεύτερον Θεὸν*; verum seipsum explicat in suo Opere contra Celsum his verbis: *Et quamvis illum appellemus secundum Deum; sciant, secundi Dei nomine nihil nos intelligere aliud, quam virtutem virtutes omnes complectentem, & rationem in se continentem quidquid rationis est in rebus.*

Elucidantur quædã difficultas circa Divinitatem Filii Dei. Lib. 5. contra Celsũ. num. 39. pag. 608.

IV. Nec quidquam morari nos debet, quod Origenes scribat, Filium Dei esse Divinæ Bonitatis imaginem, non autem bonitatem ipsam; non esse simpliciter bonum, sicut Pater bonus est; & licet Deus sit, non tamen esse illum, de quo is (Filius Dei) ait in Evangelio: *Ut cognoscant te solum verum Deum* (a); (cujus textus verba ex originali habemus) Omnia hæc Orthodoxum sensum habent in ore Origenis, qui docet, quod non debet velut blasphemiæ aliquod genus putari in eo quod Christus de Patre dixit: *Nemo bonus, nisi unus Deus Pater* (b): quia illis verbis principalis Bonitas in Deo sentienda est Patre, ex quo vel Filius natus, vel Spiritus Sanctus procedens, sine dubio bonitatis ejus naturam in se refert, quæ est in eo fonte, de quo vel natus est Filius, vel procedit Spiritus Sanctus: quod sane nequaquam destruit bonitatem Filii & Spiritus Sancti. Eodem pacto interpretari debet mens Origenis circa hæc Evangelii verba: *Ut cognoscant te solum verum Deum*, nisi Auctorem hunc sibimetipsi contrarium asserere velimus; aperte enim declarat eodem Capite secundo, Filium Dei esse Sapientiam Patris substantialiter subsistentem: declarat insuper, Divum Joannem propria definitione definire, Verbum esse Deum: *Joannes propria definitione Deum esse definiens Verbum, dicens: Et Deus erat Verbum &c.* necnon, Verbum esse Dei Filium natura, non per adoptionem: *Non per adoptionem, sed natura Filius est*. Dicet fortasse aliquis, postrema hæc testimonia haud integræ fidei esse, cum habeantur ex versione Rufini, qui magnus Origenis Apologista fuit. Verum ex hoc sequeretur, quod Rufinus voluerit omnibus omnino illudere super hoc articulo, eumque fuisse emendatorem potius, quam interpretem Origenis. Cæterum ex afferendis inferius indubiis Origenis testimoniis satis superque constabit, Rufinum nihil in Origenem contulisse, quando mentem ejus circa veritatem in controversia positam, uti catholicam exponit.

num. 2. pag. 53.

num. 3. pag. 54.

V. Origenes enim in suo Opere contra Celsum, cujus originalis textus Dei providentia ad nos usque pervenit, aperte declarat, Salvatorem esse *Proprie dictum Dei Filium, Deum Verbum, Dei potentiam, Dei sapientiam*: & Jesum Christum esse ipsum Verbum, ipsam sapientiam, ipsam veritatem, ipsam justitiam: *Sapientia ipsa, veritas ipsa, ipsamet justitia*. Declarat insuper, suam sententiam non esse, solum rerum omnium Deum ac Patrem magnum esse: Suæ enim magnitudinis, subdit ille, participem fecit Unigenitum & Primogenitum omnis creaturæ; *Ut qui imago est invisibilis Dei, is etiam magnitudine Patris imaginem referret*. „ Fieri enim non poterat, prosequitur Origenes, ut pulchra imago esset, & Deo invisibili responderet, quæ magnitudinis imaginem non præberet . . . . . Esto vero sit Deus contemplatu difficilis: *At non solus: Nam ejus Unigenitus, Deus Verbum, est etiam contemplatu difficilis* . . . . Non igitur Deus, quia contemplatu difficilis erat, idcirco misit Filium: *Quasi is esset Deus contemplatu facilis* „. Insistamus tantisper postremo huic testimonio, quo Divinitas Verbi, ejusque cum Patre Consubstantialitas perfecte comprobata remanent. Ille est vere æqualis Patri, & vero Deo consubstantialis, qui ejusdem est vera imago, qui ejus magnitudinem refert, qui per communicationem Patris, eamdem magnitudinem participat, qui contemplatu difficilis est æque ac verus Deus, ac Deus Pater: sed omnibus his qualitatibus insignitum est Dei Verbum, ut docet Origenes: ergo est Patri consubstantiale.

Divinitas & Consubstantialitas Verbi. Lib. 1. Contra Celsũ. num. 66. pag. 381. Lib. 6. contra Celsũ. num. 47. pag. 669. Ibid. n. 69. pag. 684.

pag. 685.

VI. Tradit idem Auctor in eodem suo Opere contra Celsum, quod nemo potest digne cognoscere Patrem, nisi Filius; & nemo Filium, nisi Pater: *Neque ullus . . . . primogenitum digne potest cognoscere, ut Pater, qui eum genuit; neque Patrem ut animatum Verbum, quod sapientia & veritas ejus est*. Quod sane ostendit unam eamdemque naturam in Patre & Filio. Verum primariam hanc veritatem magis magisque confirmat, quando occasione cujusdam objectionis deprompte ex Celso, qui ajebat, Christianos colere non solum Deum, sed etiam ejus ministrum, hoc est ejus Filium; hæc habet Origenes: *Ad hoc etiam respondendum, si Celso perspectum fuisset istud: Ego & Pater unum sumus; & hoc aliud, quod Filius Dei inter precandum dixit: Sicut ego & tu unum sumus; non sibi eum inducturum fuisse in animum, alium a nobis quam summum Deum coli: Nam Pater, inquit, in me, & ego in Patre, οὐκ ἂν ᾤετο ἡμᾶς καὶ ἄλλον θεραπεύειν παρὰ τὸν ἐπὶ πᾶσι θεὸν· ὁ γὰρ πατὴρ, φησὶν, ἐν ἐμοὶ, κἀγὼ ἐν τῷ πατρί*. Sane Niceni Concilii Patres majori præcisione Verbi Consubstantialitatem asserere non poterant. Origenes ait hoc loco, quod Christiani colunt & adorant Filium Dei: quia illum, alium non credunt quam summum Deum; ait insuper, quod Christiani colentes Verbum una cum Patre, colunt & adorant unum solum verum Deum. Quid ultra desiderari potest?

Sequitur idem argumentũ. Lib. 8. contra Celsũ. num. 17. pag. 641.

Lib. 8. contra Celsũ. num. 12. pag. 750.

VII. Non me fugit, Origenem illico subjungere, Patrem & Filium esse duas hypostases: quin immo idem Auctor assimilat unitatem & identitatem Patris & Filii illi unioni, quæ erat inter primos Ecclesiæ fideles, uti legimus in Actis Apostolorum (c): erat omnium credentium cor unum, & anima una. Scribit insuper paucis interjectis, Patrem & Filium esse duas res quoad hypostasim; unam vero quoad concordiam & identitatem voluntatis: *Qui duæ res sunt quoad hypostasim, una vero consensione, concordia & voluntatis identitate*. At, inquiunt Origenis adversarii, vetustus iste Pater nomine hypostasis, ὑπόστασις, id intelligit, quod nos nomine naturæ, substantiæ, οὐσία; ergo credit, diversam esse Patris naturam a natura Filii. Verum probare debent adversarii id quod tamquam certum hoc loco ponunt circa significationem vocis ὑπόστασις in Origene: licet enim duæ istæ græcæ voces unam eamdemque habeant significationem in pluribus Scriptoribus Ecclesiasticis; id tamen locum habere in Origene non ita de facili ostendi potest. Ὑπόστασις penes ipsum non aliud significat, quam id, quod latine dicitur *subsistentia, vel res aliqua individua, per se subsistens*. Idque probatur 1°. quia Origenes semper in hoc sensu, quando de Trinitate loquitur, utitur voce Hypostasis, & nusquam aliter ab ipso accepta legitur, quando agit de hoc Mysterio: *Non memini*, inquit eruditus Bullus in hunc locum, *me usquam vocem ὑπόστασις, aliter ab ipso (Origene) ubi de Trinitate loquitur, acceptam legisse*. 2°. Origenes illud præ oculis habet citato loco, vitare scilicet opinionem quorundam hæreticorum, qui negabant, Patrem & Filium esse duas hypostases. „ Quod si quis, inquit Origenes immediate post allatum numero præcedenti testimonium, ex his verebitur ne ad illos transfugiamus, qui Patrem & Filium duas hypostases esse negant, advertat animum ad illud: Erat omnium credentium cor unum & anima una, ut intelligat quid sibi velit hoc: Ego & Pater unum sumus. „ Ex quibus clare dignoscitur, Originem hoc loco refutare Noetianos, qui opinabantur, Patrem & Filium esse unam eamdemque Personam, uti superius jam vidimus. Quando igitur Origenes hoc loco docet, contra hos Hæreticos, Patrem & Filium esse duas hypostases, hoc significat, Patrem & Filium esse duas Personas, non autem duas naturas aut duas substantias, quia Noetiani unam tantummodo Personam admittebant. 3°. quod hæc vox ὑπόστασις in Origene significet personam ex eo eruitur, quod nullus ferme ex Patribus ante Nicænum Concilium aliter hanc vocem intellexerit & adhibuerit circa Trinitatis mysterium; ut videre est in Tertulliano, S. Hippolyto, S. Dionysio Alexandrino Origenis discipulo &c. Perperam autem quis urgeret hæc verba ejusdem Doctoris: *una vero consensione, & concordia, & voluntatis identitate*; ac si identitas Patris & Filii consisteret in sola identitate voluntatis: nam, uti constat ex superius dictis, Origenes tribuit Patri & Fi-

Sequitur idem argumentũ. Ibid. & pag. 751.

(a) Joann. cap. 17. v. 3.
(b) Marc. cap. 10. vers. 18.

(c) Cap. 4. vers. 32.

& Filio eamdem naturam, easdemque perfectiones, quæ sunt verum fundamentum hujus identitatis, quæ est in Patre & Filio, uti ex dicendis inferius iterum constabit.

Sequitur idem argumentum. Ibid. & pag. 750.

VIII. Ex præallegatis jam numero sexto Scripturarum oraculis, hæc infert Origenes, ac docet de identitate Patris & Verbi: *Unum igitur Deum .... Patrem & Filium colimus*: ἕνα ἓν Θεὸν τὸν πατέρα ϗ τὸν υἱὸν θεραπεύομεν .... *neque hominem nuperrime exortum, & qui antea non erat, summa veneratione prosequimur*. „ Credimus enim dicenti, (prosequitur „ idem Scriptor) Antequam Abraham fieret, ego „ sum: &: Ego sum veritas .... *Colimus igitur Pa-* „ *trem veritatis, & Filium veritatem*; quæ duæ res „ sunt quoad hypostasim, una vero consensione, & „ concordia, & voluntatis identitate: *Ita ut, qui vidit Filium, qui est splendor gloriæ & figura substantiæ Dei, is in illo, qui Dei imago est, viderit & Patrem*. Dicat nunc qui legit, num hic Origenis locus intelligi possit de simplici identitate voluntatis; & num ex hac identitae voluntatis inferri precise possit, quod Christiani colunt & adorant unum solum Deum in Patre & in Filio, & quod qui vident Filium, qui est imago Patris, in illo vident & Patrem? Minime gentium: ut hæc inferri possint, agnosci debet Filius uti ejusdem cum Patre naturæ, ideoque ut Patri consubstantialis.

pag. 751.

IX. Præter hæc testimonia quæ ex Opere Origenis contra Celsum exscripsimus, alia in eodem Scriptore, & quidem æque indubia occurrunt, quæ eamdem veritatem pari præcisione confirmant. Hinc in suo Commentario in S. Matthæum, hæc verba Christi Domini: qui me recipit, recipit eum qui misit me: sic explicat. *Cum a Filio Pater non separetur, apud eum est qui Filium susceperit, unde dictum est: Quicumque me receperit, recipit eum qui me misit*. Alio loco habet: *Quando Filius in Patre est, antequam seipsum exinaniret, veluti locus ipsius est Deus*. Et alibi, *Non arbitror*, inquit, *percipere aliquem posse omnem splendorem totius gloriæ Dei, nisi Filium Dei*, cui deinceps adjungit Spiritum Sanctum, quemadmodum vidimus capite quinto hujus Sectionis.

In S. Matthæum. Tom. II. pag. 325. Edition. Huet.

In S. Joannem. T. II pag. 106. ejusd. Edition.

Ib. p. 416.

X. Super Epistola ad Romanos aperte declarat Origenes, unum eumdemque honorem deferendum esse Patri & Filio; idque confirmat auctoritate ejusdem Salvatoris, qui docet, idipsum: *Unum namque utrique honorem deferendum, idest Deo Patri & Filio, divinus docet sermo, cum dicit: Ut honorificent Filium, sicut honorificant Patrem* (a). Hinc perspicue alio loco scribit, laudandos esse in commune Patrem & Filium, quia Salvator est Filius Creatoris: *Quia igitur Salvator Creatoris est Filius, in commune Patrem Filiumque laudemus*. Hæc, ut mihi videtur, satis superque ostendunt Orthodoxam fidem Origenis circa Consubstantialitatem Verbi: & absque eo quod insistamus duobus his postremis Origenis textibus, de quorum autentia aliquis fortasse contenderet, ob supra recensitam rationem; ad illos textus superiori numero allatos revertamur, qui expresse nobis favent, & in dubium revocari nequeunt. Habet ibidem Origenes, Filium a Patre esse inseparabilem; Deum esse veluti locum Verbi ante suam Incarnationem; Verbum una cum Spiritu Sancto, percipere omnem splendorem totius gloriæ Dei. Num sapiunt Arianam hæresim hæ loquendi formulæ? Nonne catholicum sensum apprime præseferunt circa Verbi Consubstantialitatem? Sane Patres Nicæni Concilii nihil ultra dixerunt, si vocem Consubstantialis excipias, quantum ad applicationem quæ facta fuit Mysterio Sanctissimæ Trinitatis.

Lib. 8. in Epist. ad Rom. pag. 382. T. II. Geneb.

Homil. 18. in S. Lucam. T. II. Geneb. pag. 146.

XI. Igitur non sine ingenti ratione S. Athanasius nobis perhibet Origenem veluti strenuum propugnatorem Divinitatis Filii Dei, ejusque utitur auctoritate adversus Arianos, qui primarium hanc Religionis veritatem impugnabant. „ Quod autem Verbum ab æter- „ nitate sit cum Patre, inquit Magnus iste Ecclesiæ „ Doctor (b), nec alterius quam Patris substantiæ „ vel hypostasis proprius sit, ut declaravit Synodus, „ liceat vos iterum a laborioso Origene audire .... „ qui propriam mentem his verbis exponit: Si Ver- „ bum est imago Dei invisibilis, invisibilis quoque „ est ipsa imago. Quin etiam addere ausim, cum sit „ similitudo Patris, non posse fieri ut aliquando non „ fuerit. Quando enim Deus, quem Joannes lucem „ appellat, propriæ gloriæ splendore caruit, ut quis „ audeat principium existendi Filio tribuere, quasi sci- „ licet antea non fuisset? .... Intelligit enim qui di- „ cere audet, Fuit aliquando cum non esset Filius, „ idem esse ac si diceret, Sapientia aliquando non „ erat, Verbum non erat, vita non erat. Idem (Ori- „ genes) rursus alibi ita loquitur: Verum nefas est, „ nec periculo vacat propter nostram infirmitatem „ Deum, quantum in nobis est, Unigenito privare „ Verbo, quod semper cum illo fuit, & illa erat Sa- „ pientia, qua delectabatur. „ Hæc Origenis testimonia, de quorum autentia nemo contendere potest; hæc inquam Origenis testimonia his conjuncta, quæ antea protulimus, peroptime ostendunt orthodoxam ejus fidem circa Divinitatem Filii Dei: postquam vero S. Athanasius auctoritate hujusce Patris usus est contra Arianos sui ævi; confidentissime hanc proferre possumus contra eos, qui illum repræsentare nobis vellent veluti Scriptorem, qui doctrinæ detestabilis hujus Sectæ occasionem præbuerit. Facile nobis esset vetusti hujus Patris apologiam longius protrahere; at ne fastidium lectoribus afferamus, contenti sumus allatis usque modo & ex ejus operibus exscriptis testimoniis: alia nunc perpendemus, quæ materiam ministrarunt atrocissimis suspicionibus, quibus nonnulli orthodoxam ejus fidem circa Divinitatem Verbi maculare studuerunt.

Prima objectio deprompta ex D. Hieronymo. Epist. 59. ad Avitũ.

XII. Divus Hieronymus, exempli caussa, damnat hanc Origenis phrasim: Deum Patrem per naturam invisibilem, etiam a Filio non videri: Hæc utique scripsit Origenes; non scripsit autem in eo sensu, quem interpretatus est Divus Hieronymus, quasi voluerit hisce verbis Origenes Verbi Consubstantialitatem lædere. Superius enim observavimus, hoc loco, sicuti & multis aliis, quæ afferri possent, sermonem esse de visione oculata, qua Deus nec a proprio Filio videri potest, cum sit natura sua invisibilis. Nec validissima deerat Origeni ratio sic loquendi, cum pugnaret contra Valentinianos, ac Antropomorphitas, qui Corpus Deo tribuebant: hinc cum illis ostenderet, Deum esse natura sua invisibilem, & nec oculis Filii sui jam incarnati videri posse; peremptorie jam demonstratum erat, Deum esse purissimum Spiritum, cujuslibet compositionis expertem, & hominum sensibus omnino impervium. In hoc autem sensu Origenem locutum fuisse, egregie ex eo deducitur, quod formaliter alibi docet; quod scilicet nullus primogenitum Dei digne potest cognoscere, ut Pater qui eum genuit; neque Patrem, ut animatum Verbum, quod sapientia & veritas ejus est. Protulimus jam supra hoc Origenis testimonium, excerptum ex libro sexto contra Celsum.

Lib. 6. contra Celsũ. num. 17. Pag. 643.

Secunda objectio. Ibid. Epist. ad Avitũ

XIII. Divus Hieronymus exprobat insuper Origeni quod dixerit: *Filium comparatum Patri non esse veritatem, sed comparatum ad nos esse imaginariam veritatem*. Hanc autem difficultatem exsufflabimus in memoriam revocantes hujus Patris testimonia superius allata, in quibus aperte declarat, Filium Dei esse *ipsissimam*, *αὐτοαλήθειαν*, *veritatem*. Cæterum in catholico sensu asserere poterat Origenes, quemadmodum hodie asserere nos pariter possumus, Filium, tamquam imaginem Patris, non esse veritatem, hoc est, non esse Patrem, cujus est solummodo imago & similitudo. Verum imago hæc perfecte suo originali concors est, cum omnem ejus magnitudinem, omnesque perfectiones referat; ac per Patris communicationem percipiat omnem splendorem totius gloriæ Dei. Quæ quidem omnia jam vidimus in supra recitatis Origenis testimoniis.

Tertia objectio.

XIV. Tandem si Divo Hieronymo credimus, Origenes dixit, Deum Patrem esse lumen incomprehensibile; Christum collatione Patris, splendorem esse perparvum. Non constat mihi, undenam verba hæc Divus Hieronymus eruerit; nisi dicere velimus esse veluti quamdam illationem quorumdam Origenis textuum, in quibus habet, nullas esse in Patre tenebras, & Filium in tenebris lucere. At perspicuum est, haud recte hanc illationem ex Origine deductam esse; cum nemo inficiari possit, Origenem ibidem alludere ad hæc verba Divi Joannis: *In tenebris lucet*: quod sane dictum est de Filio Dei incarnato; non vero de Filio Dei præcise considerato secundum divinam suam essentiam. Sicuti enim dicere possumus, solum Patrem esse immortalem, quia Filius ob amorem erga homines, humana carne assumpta, passus & mortuus est; ita dicere possumus, in solo Patre nullas esse tenebras, quia Filius tenebras nostras in se ipsum recepit. Nec de meo penu hæc protuli; sed potius ex Origene delibavi, qui in suo Commentario in S. Joannem sic scribit: *Qua ratione solus Pater habet immortalitatem, quia Dominus noster nostrum nomine mortem ob amorem erga genus humanum pertulerit; hac Pater solus habet, ut in ipso nulla sint tenebræ; cum Christus .... tenebras nostras in se ipsum receperit*; ex qui-

Tom. IV. in S. Joann. Edition. Huet. pag. 73.

(a) Joann. cap. 14. vers. 28.

(b) S. Athanas. lib. de duobus Decretis Nicænis. Tom. I. pag. 232.

III. SÆCULUM.

quibus manifestum est, Originem loqui solummodo de Incarnatione.

XV. Solutis jam difficultatibus Divi Hieronymi contra Orthodoxam Origenis fidem; operæ pretium erit diluere quædam objecta, quæ contra eumdem Patrem recentiores nonnulli instaurant. Ariani erroris insimulant primo loco id quod scribit Origenes libro octavo contra Celsum; quosdam scilicet sua ætate fuisse, qui diversam ab aliis sententiam sequentes temere affirmabant, Salvatorem esse universorum Dominum, summum Deum; „ At nos, subjungit Origenes e vestigio, nihil simile, qui credimus Christo dicenti (a): Pater qui misit me, major me est. „ Verum si horum verborum contextus attente perpendatur, illico corruit hæc difficultas. Loquitur enim ibidem Origenes, non contra Catholicorum omnium mentem, qui unam eamdemque naturam in Patre ac Filio agnoscunt; sed contra quosdam Hæreticos, qui nolebant duas has Personas distinguere, quemadmodum sæpe diximus. Hac sane de caussa Origenes ait, Salvatorem non esse Dominum Universorum, quia fideles illius ævi agnoscebant Filium diversum a Patre ratione Personalitatis. Quam explicationem ideo sequi debemus, quia apud veteres in more positum erat, ut appellarent Patrem, Dominum Universorum, ὁ πᾶσι Θεὸς, *Universorum Deus*, vel summum Deum, uti vidimus jam in vetustis illis Patribus, qui ante Origenem floruerunt, & præcipue in Divo Justino, qui per hanc denominationem distinguit Patrem a Filio. Itaque cum Persona Patris non sit Persona Filii, nemini mirum videri debet, quod Origenes ad hanc distinctionem melius indigitandam, adversarios revocet ad hæc Christi verba: Pater major me est. Quæ verba in quo sensu ab Origene sint usurpata, supra jam diximus.

Quarta objectio. Lib. 8. contra Celsum. num. 14. Pag. 752.

XVI. Recentiores Origenis adversarii objiciunt nobis alia duo ejusdem loca, in quibus ille videtur docere, non debere nos supplicare proprie Filio, sicuti Patri; sed preces nostras ad Deum dirigendas esse per Salvatorem, qui est magnus noster Pontifex, & vivum Patris Verbum, cui primum supplicamus, ut vota nostra Deo Patri offerat. At verba hæc, nonne orthodoxa apprime sunt? Nonne fidei articulus est, Verbum incarnatum esse mediatorem nostrum apud Deum? esse nostrum Pontificem, propitiationem pro peccatis nostris? ut post sacros Scriptores inquit Origenes; adeoque nonne verum est, Verbum, utpote mediatorem nostrum, vota nostra, nostrasque preces summo Deo offerre? Quo sane posito, nonne pronuntiari potest in sensu catholico, quod nos non oramus Filium, sicuti Patrem, cum per Filium oremus Patrem, & primum supplicemus Filio, ut vota nostra Deo offerat? *Huic (Filio) primum supplicamus*, inquit Origenes, *rogantes, ut cum sit propitiatio pro peccatis nostris, & Pontifex magnus, vota, victimas, precesque nostras summo Deo offerat*. Nec reponant adversarii, quod in primo objectionis membro agitur de Verbo præcise uti Verbo, non uti Mediatore; nam si hoc verum esset, respondere semper possumus, nos proprie orare Patrem, quia est principium Verbi, adeoque ad Patrem, tamquam ad originem referri preces, quas Filio offerimus. Cæterum, quæ modo exscribimus Origenis verba, ab omni eum liberant suspicione quoad hunc articulum: „ Si Enoch, inquit ille, Moyses, Aaron, & Samuel invocabant Dominum .... sine dubio invocabant Dominum Jesum Christum; si autem invocare nomen Domini, est adorare Deum, quando invocatur nomen Jesu Christi, adoratur Jesus Christus. *Sicut offerimus Deo Patri .... orationes, ita & Domino Jesu Christo .... Unum namque utrique honorem deferendum .... divinus docet sermo cum dicit: Ut honorificent Filium, sicut honorificant Patrem*. Tandem noster hic Auctor hortatur nos alio loco, ut precemur Dominum nostrum Jesum Christum una cum Patre suo: *Jesum Christum Dominum nostrum cum Patre suo precemur*. Verum ab hoc argumento ad Divinitatem Spiritus Sancti transiliamus.

Quinta objectio. Lib. 5. contra Celsum. num. 11. Pag. 586. & Lib. 8. num. 13. Pag. 751.

Ibid.

XVII. Origines satis superque fidem suam prodit circa Divinitatem Spiritus Sancti cum ait, nullo Sacrarum Scripturarum oraculo demonstrari posse, Spiritum Sanctum esse Creaturam; ne eo quidem modo, quo de Sapientia refert Salomon: necnon tantæ esse auctoritatis & dignitatis substantiam Spiritus Sancti, ut salutaris baptismus non aliter nisi excellentissimæ omnium Trinitatis auctoritate, idest Patris, & Filii, & Spiritus Sancti cognominatione compleatur; & eum, qui in Spiritum Sanctum blasphemaverit, veniam non habere neque in præsenti sæculo, neque in futuro; cum tamen qui dixerit verbum in Filium hominis sperare veniam possit: insuper eum semper fuisse Spiritum Sanctum; omnes Creaturas ex eodem habere ut sint sanctæ; eum in honore & dignitate esse Patri sociatum; Patri & Filio coæternum; Sanctum natura sua, ejusque sanctitatem nullum initium habere. „ Puto ergo, inquit ille, quod Sanctus Spiritus ita sanctus sit, ut non sit sanctificatus. Non enim ei extrinsecus & aliunde accessit sanctificatio, quæ ante non fuerat, sed semper fuit Sanctus, nec initium sanctitas ejus accepit. Similique modo, addit idem Auctor, de Patre & Filio intelligendum est. Sola enim Trinitatis substantia est, quæ non extrinsecus accepta sanctificatione, sed sui natura sit sancta. „ Sicuti vero solus Deus dici potest Sanctus in hoc sensu, quemadmodum paucis interjectis tradit idem Origenes; igitur vetustus hic Doctor credidit Spiritum Sanctum verum Deum, & Consubstantialem Patri & Filio.

Divinitas Spiritus S. Lib. 1. Periarch. c. 3. n. 3. p. 61. num. 2.

num. 4. pag. 63 num. 7. 8. pag. 63. 64.

Præfat. in Lib. Periarch. n. 4. Pag. 48. Lib. 1. in Genes. Tom. II. Recent. Edition. Pag. 9. Homil. 11. in Numeri num. 8. Pag. 310.

XVIII. Sic Sanctus Basilius perhibet nobis vetustum hunc Scriptorem veluti testem Traditionis & Doctrinæ Ecclesiæ quoad hunc articulum: & licet agnoscat, nostrum hunc Auctorem habuisse aliquas erroneas opiniones circa Personam Spiritus Sancti; fatetur nihilominus, ex Traditione veras sententias eumdem hausisse, & docuisse evidenter in suo Commentario in S. Joannem, adorandum esse Spiritum Sanctum: *Qui quidem (Origenes) in sexto, ni fallor, libro enarrationum in Evangelium Joannis, etiam adorandum Spiritum evidenter pronuntiat*. „ Ad hunc modum, (subjungit idem S. Basilius recitatis jam aliis testimoniis Origenis, in quibus de Divinitate Spiritus Sancti expresse loquitur) opinor, Traditionis vis sæpe compulit homines etiam suis ipsorum dogmatibus contradicere. „

Lib. de Spiritu S. cap. 29.

XIX. Ex quo S. Basilii testimonio eruitur, Origenem prolapsum esse in quosdam errores circa Spiritus Sancti Personam: Verum, quicunque tandem sint errores isti, numquam credam, hos respicere Divinitatem tertiæ hujus Personæ Sanctissimæ Trinitatis. Idque ut manifeste ostendam, vel unum sufficiat recitare Origenis textum, quem exscribam ex Homilia 18. in Jeremiam editionis Domini Huet; ibi enim habet, quod nisi hosce tres fontes sitiverimus, (loquitur de tribus Trinitatis Personis) nullum aquarum fontem inveniemus. „ Unicum aquarum fontem Deum, inquit ille, sitire videbantur Judæi: sed quia Christum, & Spiritum Sanctum minime sitiebant, neque de Deo bibere potuerunt. Videbantur hæretici sitire Christum Jesum, sed quia non sitiverunt Patrem legis ac Prophetarum Deum, idcirco nec de Jesu Christo bibunt. Qui autem unum colunt Deum, sed contemnunt prophetias, ii non sitiverunt Spiritum Sanctum, qui loquebatur in Prophetis. „ Aperte ex his constat, Origenem vere credidisse, neminem posse cognoscere ac possidere Patrem, quin simul cognoscat ac possideat Filium; nec posse hunc inquirere, quin inquirat & alium; quod quidem ostendit relationem essentialem inter tres Trinitatis Personas, adeoque Divinitatem Spiritus Sancti, ejusque cum Patre & Filio Consubstantialitatem. Postremus hic Origenis textus, cum autentiam summam præseferat, evidentissime testatur orthodoxam vetusti hujus Patris fidem circa Divinitatem Spiritus Sancti.

CAPUT OCTAVUM.

DE INCARNATIONE VERBI.

ORigenes eadem, si non majori, præcisione loquitur de Mysterio Incarnationis, qua locutus est de Sanctissima Trinitate. Innumeri occurrunt in ejus Scriptis præclarissimi textus, qui cum Catholica Ecclesia eum sensisse perhibent circa Veritatem Incarnationis Verbi, distinctionem duarum naturarum in Christo, Unitatem ejus Personæ, duas easque diversas ejus Operationes, motivum Incarnationis, ejus dignitatem Pontificis, Mediatoris &c. Quia argumenta hæc omnia primas tenent in re Theologica; hinc summa diligentia ea omnia exscribere ex Origene in animo est, quæ notabiliora sunt quoad propositas veritates. Quibus addemus quædam puncta historica, quæ huic Mysterio relativa sunt; necnon quasdam peculiares Origenis opiniones, quæ respiciunt aliquas ejusdem Mysterii circumstantias. At primum proferemus Origenis Doctrinam quoad Dogma: & ut aliquis in hoc Capite servetur ordo, initium ducimus a Prophetiis, quæ, ut Origenes credidit, non secus ac cæteri

(a) Joann. cap. 14. vers. 28.

III. Saeculum.

Ecclesiæ Patres, clare & accurate prænuntiant Incarnationem Verbi.

ARTICULUS PRIMUS.

Vaticinia de Incarnatione Verbi.

I. IN immensum abiret oratio, si sermonem habere vellemus de omnibus Vaticiniis, quæ Origenes accommodat Mysterio Incarnationis. Verum ne Lectoris patientia abutamur, notabiliora solummodo afferemus Prophetarum oracula, eaque præcipue, quæ Ecclesia semper respexit veluti apertas prædictiones primi Adventus Filii Dei. Inter hæc, exempli caussa, locum habere potest Jacobeum Oraculum; non cessaturos scilicet Principes ex Juda, neque Duces de femoribus ejus, donec veniat qui venturus est &c. Manifestissime enim, inquit Origenes, ex ipsa historia apparet, ex his quæ hodie pervidentur, quia ex temporibus Christi ultra Reges apud Judæos non exstiterunt. Sed & illæ omnes ambitiones Judaicæ, in quibus jactantiæ quamplurimum gerebant, & in quibus exultabant, vel de templi decore, vel de altaris insignibus, atque omnibus illis sacerdotalibus infulis, indumentisque Pontificum, simul universa destructa sunt. Completa enim est Prophetia quæ dicebat: (a) Per dies multos sedebunt Filii Israel sine Rege, sine Principe: non erit hostia, nec altare, nec sacerdotium, nec responsa. Sed hæc omnia nostris oculis videmus, hæc omnia permanent adhuc post Salvatoris adventum: Constat ergo, quia venit ille, cui repositum est, in quo expectatio gentium est. Quod manifeste videtur impletum de multitudine eorum, qui per Christum Deo ex diversis gentibus crediderunt. Eamdem hanc Prophetiam pluribus in locis suorum Operum urget Origenes; quæ quidem maximi momenti est contra Judæos.

Primum Vaticiniũ. *Genes.* cap. 49. v. 10.

Lib. 4. *Periarch.* n. 3. Pag. 158. & 159.

Lib. 1. *contra Celsũ*, num. 53. pag. 368. & 369. *Homil.* 17. *in Genes.* n. 6. pag. 108. recent. Edition. & alibi.

II. Secundum notabile Vaticinium circa Incarnationem eruitur ex his Prophetæ Balaami verbis: Orietur stella ex Jacob, & exurget virga, sive (homo) de Israel, uti legebat Origenes ἄνθρωπος ἐξ Ἰσραήλ: quod sane juxta eumdem intelligi debet de nativitate Jesu Christi, & de stella quæ in Oriente apparuit Magis, qua duce venerunt adorare Dominum. Cæterum Origenes in hoc Oraculo prænuntiari observat 1°. Divinitatem Salvatoris, quæ per Stellam designatur: *De Deitate quidem ejus dicit: Orietur stella ex Jacob:* 2°. ejus Humanitatem, quæ designatur sequentibus verbis: & exurget homo ex Israel: *De humana vero natura: Et exurget homo ex Israel*, 3°. quando Balaam subjungit de hoc homine, qui exurget ex Israel: *& vastabit Principes Moab*: hoc interpretari debet de victoria, quam Salvator reportavit in dæmones: per quam victoriam prædatus est omnes filios Seth, ex quo omne humanum in hoc mundo ducitur genus: *Nam de Cain qui nati fuerant, diluvio perierunt: filii ergo sunt Seth, omnes homines qui in hoc mundo sunt.*

Secundum Vaticiniũ. cap. 24. *Num.* v. 17. Lib. 1. *contra Celsũ*. n. 59. pag. 374. & *Hom.* 18. *in Numer.* num. 4. pag. 342.

Ibid.

III. Tertium Vaticinium circa Incarnationem desumitur ex psalmo secundo, in quo David ait: Astiterunt Reges terræ, & Principes convenerunt in unum adversus Dominum, & adversus Christum ejus: quod quidem de Salvatore evidentissime dictum est; quippe contra eum insurrexerunt Principes terræ, uti pluribus in locis Origenes docet. Nihilominus Salvator fortior Principibus omnibus visus est; cui Deus, ut Prophetæ, ante multa sæcula dixit: Postula a me, & dabo tibi gentes hæreditatem tuam; & possessionem tuam terminos terræ.

Tertium Vaticiniũ. *Ps.* 2. v. 2.

Lib. 5. *contra Celsũ*. num. 32. pag. 601. & alibi.

IV. Quartum vaticinium habetur in Psalmo 21. cujus primus versiculus complectitur verba, Jesu Christi crucifixi: *Deus, Deus meus ... quare me dereliquisti? Hæc est Domini Jesu Christi crucifixi vox*, inquit Origenes, qui demonstrat, omnia quæ sequuntur in eodem Psalmo, interpretari debere de Salvatore. Verum, ne nimii simus, lectori examinandam relinquimus totam, quam hujusce Psalmi Origenes adornavit interpretationem; in qua, quidquid peroptat, deprehendet a pagina 620. usque ad paginam 623. tomi secundi recentioris editionis.

Quartum Vaticiniũ. *Psalm.* 21. vers. 1. &c.

In Ps. 21. pag. 619.

V. Quintum vaticinium extat in Psalmo 44. in quo Psaltes in persona Salvatoris hæc habet: Lingua mea calamus scribæ velociter scribentis: & deinde ad Messiam sermonem convertens ait: Speciosus forma præ filiis hominum; diffusa est gratia in labiis tuis, &c. quod perfectissime impletum est in Persona Jesu Christi, cujus doctrina brevi tempore, hoc est, ut semetipsum explicat Origenes, anno & aliquot mensibus, universus orbis repletus est. *Judicium autem effusa gratia in labiis ejus*, inquit ille, *hoc est quod brevi tempore peracto; anno enim & aliquot mensibus docuit, universus tamen orbis doctrina & fide pietatis ejus impletus est.* Vide interpretationem integri hujus Psalmi pag. 710. & seqq. Tom. 2. recent. Editionis. Verum non debet admitti quod hic docet Origenes, Christum scilicet anno & aliquot mensibus docuisse: error quippe est; quem S. Irenæus adscribit Valentinianis, (b) & in quem prolapsi sunt, ante Origenem, S. Clemens Alexandrinus, & Tertullianus; ut observat Pater de la Rue in suis annotationibus in hunc locum.

Quintum Vaticiniũ. *Psalm.* 44. vers. 2. & 3.

III. Saeculum. Lib. 4. *Periarch.* n. 5. pag. 160.

VI. Sextum Vaticinium desumptum est ex Psalmo 108. in quo Origenes prænuntiatam dicit Judæ proditionem: *In libro Psalmorum*, inquit ille, *centesimus octavus totus ... vaticinium de Juda continet*. „ Ibi „ prædicitur, prosequitur idem Doctor, Judam ex Apo„ stolorum numero fuisse suapte culpa exclusum; „ alium autem in ejus locum fuisse subrogatum sic „ prænuntiatur: „ *Et Episcopatum ejus accipiat alter.* Obiter hic animadvertamus, totum hunc Psalmum, juxta Origenem, esse vaticinium de Juda.

Sextum Vaticiniũ. *Psal.* 108. Lib. 2. *contra Cels.* num. 11. pag. 396.

VII. Septimum Vaticinium continetur his Isaiæ verbis: Venite ascendamus ad montem Domini & ad domum Dei Jacob, & annuntiabit nobis viam suam, & ambulabimus in ea: de Sion enim exibit lex, & verbum Domini de Jerusalem. Quo sane Oraculo Propheta prænuntiat conversionem gentium, quæ accedent ad Dei domum, quæ est Ecclesia Dei viventis, columna & firmamentum veritatis. Quæ prophetia in postremis diebus impleta est: „ nam nos gentes om„ nes, inquit Origenes, ad illum accedimus montem, „ ad illum agminatim venimus, & nos invicem ad „ Religionem a Jesu constitutam cohortamur ... Sci„ scitantibus autem unde veniamus, & quisnam sit „ Dux noster, respondemus, nos Jesu Imperii accer„ sitos venire conflatum in vomeres gladios ... & „ convertimus in falces lanceas, quibus olim, irati „ feriebamus. *Nec enim jam contra gentem ullam arma capimus, nec bellum gerere discimus, facti filii pacis per Jesum, quem sequimur Ducem.* Ex postremis his verbis eruitur quinam sit verus Spiritus Religionis Christianæ.

Septimum Vaticiniũ. *Isaia* c. 2. vers. 2. & alibi.

Lib. 5. *contra Celsum* num. 33. pag. 602.

VIII. Octavum Vaticinium depromptum est ex alio ejusdem Prophetæ Isaiæ loco, ubi Dominus loquens ad Achaz ait illi: Pete tibi signum a Domino Deo tuo in profundum, sive in excelsum. Et dixit Achaz: non petam, & non tentabo Dominum: & dixit: Audite ergo domus David ... Dabit Dominus ipse vobis signum: Ecce Virgo concipiet & pariet filium, & vocabitur nomen ejus Emmanuel &c. Quod sane Oraculum perfecte impletum est in nativitate Salvatoris, qui natus est de Virgine, & est noster verus Emmanuel, hoc est, nobiscum Deus. Origenes reprehendit Celsum, quod Vaticinium hoc malo animo prætermiserit; ostenditque eodem tempore contra Judæos, qui negabant scriptum esse *Ecce Virgo*, sed *ecce Adolescentula*; ostendit, inquam, vocem *Alma*, quam septuaginta Interpretes per *Virginem* ἡ παρθένος, verterunt, in Deuteronomio (c) reperiri, ut Virginem significet. *Ecquod autem signum est*, inquit ille, *parere puellam non Virginem?* „ Et utri mulieri magis convenuit ge„ nuisse Emmanuel aut nobiscum Deum, ei, quæ vi„ rum experta solito fœminarum more conceperit; „ an illi, quæ pura & intacta Virgo concepit? *Certe hanc magis decet.*

Octavum Vaticiniũ. *Isaia* c. 7. vers. 10. 11. 12. 13. 14.

Lib. 5. *contra Celsum*. n. 34. & 35. pag. 352. & 353.

num. 35. pag. 353.

IX. Nonum Vaticinium legitur capite 53. Isaiæ, in quo Propheta loquitur de nativitate Messiæ, de ignominia ejusdem passionis ac mortis, de ejus benignitate ac voluntaria oblatione, de ejus gloria, elevatione, ac multitudine eorum, qui in eum erant credituri. Origenes narrat, quod cum olim disputaret adversus illos ex Judæis, qui Sapientes vocantur, & uteretur illis vaticiniis; unus ex eis reposuit, illa intelligenda esse de uno eoque integro populo disperso & percusso, ut occasione dispersionis Judæorum inter plurimas gentes multi proselyti fierent. Verum Origenes illi Judæo hujus interpretationis falsitatem ostendit. „ Rogabam (verba sunt Origenis) quis ille esset „ qui dicebat: Iste peccata nostra fert, & pro nobis „ dolet; & istud: Ipse autem vulneratus est propter „ peccata nostra, & infirmatus est propter iniquitates „ nostras: & hoc aliud: Livore ejus sanati sumus. „ Clarum est enim, eos, qui apud Prophetam hæc lo„ quuntur, esse homines sive ex populo Judaico, sive „ ex Gentibus, qui peccatis dudum obnoxii Salvato„ ris passione salvati sunt. Sed, addit Origenes, illos „ (Judæos) maxime premere visum est illud: Propter „ ini-

Nonum Vaticiniũ. *Isaia* c. 53.

Lib. 1. *contra Celsũ*. num. 55. pag. 370.

(a) Osee, cap. 3. vers. 4.
(b) Lib. 1. advers. Hæres. cap. 3. num. 3.

(c) Cap. 22. vers. 23. & 25.

III. Sæculum.

non simus mentibus cæci. Nam sicut Sol & Luna corporalibus oculis cæcos quamvis illustrent, illi tamen recipere lumen non possunt: ita & Christus lucem suam præstat mentibus nostris: sed ita demum nos illuminabit, si nequaquam cæcitas mentis impediat.

Antiquitas Ecclesiæ. Homil. 2. in Cant. tom. 1. Geneb. p. 331.

III. Ecclesia, juxta Origenem, eadem qua mundus gloriatur vetustate. Fundamenta Congregationis Ecclesiæ statim ab initio sunt posita, unde & Apostolus dicit, (a) ædificari Ecclesiam non solum super Apostolorum fundamentum, sed etiam Prophetarum. *Inter Prophetas autem numeratur & Adam*, quia magnum mysterium prophetavit in Christo & in Ecclesia dicens (b): Propter hoc relinquet homo patrem suum, & matrem suam, & adhærebit uxori suæ, & erunt ambo in carne una: evidenter enim de his dictis ejus dicit Apostolus, (c) quia mysterium hoc magnum sit, *ego autem dico in Christo & in Ecclesia*. Ad Ecclesiam igitur spectabat Adam, juxta Origenem; ideoque Ecclesia tunc temporis in Adam subsistebat. Cujus veritatis alteram profert rationem Origenes, quam eruit ex Apostolo dicente (d): Christus dilexit Ecclesiam, & semetipsum tradidit pro ea, ut illam sanctificaret, mundans lavacro aquæ in verbo vitæ. Non utique, inquit Origenes, ostendit eam prius non fuisse, quomodo enim dilexisset eam, quæ non erat? Sed eam sine dubio dilexit quæ erat: *Erat autem in omnibus Sanctis, qui ab initio sæculi fuerunt facti.*

IV. Si ante Incarnationem Sancti & Justi ad Ecclesiam Christi spectabant, non inde inferri potest, solis justis ac Sanctis hanc Ecclesiæ societatem constare, quoniam peccatores sunt Ecclesiæ membra, & ii etiam, qui cum corde increduli sint, exterius tamen tamquam fideles seipsos ostendunt. „ Sicut ergo, inquit Origenes, in Evangelio permittuntur zizania simul cum „ tritico crescere; *Eodem modo etiam hic .... in Ecclesia sunt quidam Jebusæi, isti qui ignobilem & degenerem vitam ducunt, qui & fide, & actibus, & omni conversatione sua perversi sunt*. Neque enim, „ illico subjungit, possibile est ad liquidum purgari „ Ecclesiam dum in terris est, ita ut neque impius „ in ea quispiam, neque peccator residere videatur, „ sed sint in ea omnes sancti & beati, & in quibus „ nulla prorsus peccati macula deprehendatur. Sed „ sicut dicitur de zizaniis, Ne forte eradicantes ziza„ nia simul cum illis eradicetis & triticum, ita etiam „ super iis dici potest, in quibus vel dubia, vel oc„ culta peccata sunt. Neque enim dicimus de iis, qui „ manifeste & evidenter criminosi sunt, ut non de „ Ecclesia expellantur .... *Sed ubi peccatum non est evidens, ejicere de Ecclesia neminem possumus, ne forte eradicantes zizania, eradicemus simul cum ipsis etiam triticum.* Constat ex his, Ecclesiam semper retinuisse patienter in suo sinu peccatores occultos, sollicitam vero fuisse, ut de suo sinu ejiceret publicos ac manifestos peccatores, qui corruptis moribus scandalo esse poterant justis ac sanctis. Quæ quidem omnia aperte ostendunt, malos cum bonis in Ecclesia immixtos esse usque ad futurum judicium Dei, qui separabit zizaniam de medio tritici, & purgabit Ecclesiam suam, quæ efficietur Societas omnino sancta, & ab omni peccati macula prorsus immunis.

Ecclesia ex bonis æque ac malis constat hominibus. Homil. 1. in Josue. t. 2. recent. Edition. p. 447. n. 1.

V. *Nemo semetipsum decipiat* .... habet alio loco Origenes, *extra Ecclesiam nemo salvatur*. En eversum systema a Jureu excogitatum; Origenes enim nomine Ecclesiæ intelligit solam Romanam Societatem, quæ diversis Sectis circumdatur, sicuti lilium circumdatur spinis; in hoc quippe sensu ille interpretatur hæc verba Cantici Canticorum, *sicut lilium inter spinas &c.* „ Quod quidem, inquit ille, accipimus de Ecclesia „ gentium dici; quod vel e medio infidelium, & „ non credentium, quasi ex spinis emerserit, vel pro „ hæreticorum circumstrepentium se morsibus in me„ dio spinarum posita dicatur. „ Cæterum in Ecclesia una habetur fides, sicuti & unum Baptisma. Sed Hæretici ab Ecclesiæ fide recedunt: ergo non sunt in ejus sinu, ideoque in damnationis statu versantur. Quod si quis adhuc dubius hæreret, sufficiat recitare hæc Origenis verba, quæ aperte declarant, hæreticos, sicuti & fornicarios, cæterosque impudicos non ingressuros regnum Dei: *Sicut hi, qui fornicationibus & immunditiis maculati sunt, regnum Dei non possidebunt; ita & hi, qui in hæresim declinaverint*. Hunc Origenis textum habemus ex Pamphilo in Apologia, quam pro vetusto hoc Patre concinnavit.

Extra Ecclesiã nemo salvatur. Hom. 3. in Josue. p. 404. n. 5.

Homil. 3. in Cantic. tom. 1. Geneb. p. 335.

Homil. 3. in Genes. tom. 1. recent. Edition. p. 63. n. 3.

Tom. 1. Geneb. pag. 481.

VI. Singulare Ecclesiæ privilegium est posse remittere peccata: *Ablatione peccatorum circumclusa in sola Ecclesia*, inquit Origenes. Quam remissionem peccatorum nullus accipere potest, inquit alio loco idem Pater, nisi detulerit integram, probam, & sanctam fidem, per quam mercari possit arietem: cujus natura hæc est, ut peccata credentis abstergat. Ab hac igitur gratia quæ peccata abstergit exclusi sunt Hæretici, quoniam non habent probam & integram fidem, sine qua nemo ad hanc gratiam potest pervenire. Idipsum de Schismaticis pari jure dicendum est, quoniam errant circa articulum Ecclesiæ. Sacrificia, quæ in hæresi, aut Schismate offerunt, sunt sacrificia profana: „ Audiant hæc, inquit Origenes, qui scin„ dunt Ecclesiam, & peregrinas ac pravas inducen„ tes doctrinas putant se sacras carnes extra templum „ Dei, & extra aulam dominicam posse comedere: *Profana sunt eorum sacrificia*. Quæ omnia evidenter ostendunt, extra Ecclesiam, neminem sperare posse æternam salutem; necnon necessitatem inviolate adhærendi sanctæ Ecclesiæ fidelium omnium matri.

Sola Ecclesia remittit peccata. In S. Joan tom. 2. Huet. pag. 147.

Hæretici remissionis peccatorum participes esse nõ possunt. Homil. 3. in Levit. tom. 1. recent. Edition. pag. 199. n. 8.

Hæretici ac Schismatici nõ nisi profana sacrificia offerre possunt. Hom. 4. in Levit. pag. 203. n. 8.

VII. Origenes duas proprietates tribuit Ecclesiæ quas nos hodiedum etiam eidem tribuimus; Visibilitatem scilicet, & Indefectibilitatem. 1o. enim vetat attendere eis, qui dicunt, ut in Evangelio notatum est, Ecce hic est Christus, non autem ostendunt eum in Ecclesia. *Propterea non debemus attendere eis, qui dicunt: Ecce hic Christus; non autem ostendunt eum in Ecclesia, quæ plena est fulgore ab Oriente usque ad Occidentem, quæ plena est lumine vero*; quæ est columna & firmamentum veritatis, & in qua perfecte ille est, qui ait: Ego vobiscum sum usque ad consummationem sæculi: quæ quidem verba perspicuam visibilitatem indigitant. 2o. aperte declarat, quod *Ex quo constituta est Ecclesia in nomine Christi, ad consummationem usque sæculi perseverat.*

Visibilitas Ecclesiæ. Tract. 30. in S. Matth. tom. 2. Geneb. p. 93.

Ejusdem Indefectibilitas. In S. Matth. t. 3. Huet. Pag. 443.

VIII. Præter Ecclesiæ proprietates, Origenes exponit insuper ejusdem notas ac characteres, qui sunt, Unitas, Sanctitas, Catholicitas, & Apostolicitas. Unam esse Ecclesiam tradidit Origenes in omnibus ferme hujusce capitis articulis, in quibus semper veritatem hanc præsupponit. Nitidius autem mentem suam aperit, quando, occasione trium tabernaculorum, quæ Petrus Transfigurationis in monte Thabor testis oculatus optabat facere, ait, Legi, & Prophetis, & Evangelio non tria, sed *Unum est tabernaculum, quæ est Ecclesia Dei*. Ecclesiam esse sanctam in dubium revocare nemo potest, qui animadvertat, Originem appellare eam, *Corpus a Dei Filio animatum*. Tradit insuper idem Presbyter, quod Dei Filius vitam & motum huic corpori impertit, ac singula Ecclesiæ membra movet: Ecclesia, prout ipse scribit, est scabellum pedum Dei; est veluti paradisus terrestris, in quo ab ipso Deo reponuntur fideles, ut propriam sanctificationem ibidem operentur: ait tandem, Ecclesiam a Christo sanctificatam fuisse, & mundatam lavacro aquæ in verbo vitæ &c. Nullibi autem clarius prodidit Origenes quid sentiret de sanctitate Ecclesiæ, quam cum ait: *Ecquis enim nostrum non fateatur, eos, qui in Ecclesia deteriores sunt, & in meliorum comparatione pejores, præstantiores esse multis eorum, qui in popularibus cœtibus vivunt.*

Ejusdem Unitas. Homil. 6. in Levit. tom. 2. recent. Edition. pag. 216 n. 2.

Ecclesia est Sancta. Lib. 6. contra Celsũ. pag. 670. n. 48.

Tractat. de Oratione. tom. 1. recent. Edition. p. 98.

in Genes. tom. 2. recent. Edition. p. 28.

Homil. 9. in Cantic. tom. 1. Geneb. p. 331.

Lib. 3. contra Celsũ. pag. 466. n. 29.

IX. Catholicitatis nota ac character Ecclesiam semper distinxit ab aliis Sectis ab ejus communione divisis. Origenis ævo sedem fixerat Religio Christiana tum in magna Britannia, tum in Mauritania. *Nunc vero*, inquit Origenes, *propter Ecclesias, quæ mundi limites tenent, universa terra cum lætitia clamat ad Dominum Israel*. „ Ecquis non admirabitur, ait ille „ in suo Opere contra Celsum, Jesu Christi Evange„ lium, ut ipse prædixerat, omnibus Græcis, Barba„ ris, sapientibus & insipientibus ubique terrarum „ fuisse prædicatum? Omnem enim humanam naturam „ subegit verbum cum virtute prædicatum: *Nec ullum videre est hominum genus, quod Jesu doctrinam admittere recusaverit*. Hinc alio loco confidentissime declarat, fulgere Ecclesiam ab Oriente ad Occidentem: *Plena est fulgere ab Oriente usque ad Occidentem*. Nihilominus aliqua contradictione circa hunc articulum videtur notari posse Origenes; in suo enim Tractatu 28. in S. Matthæum fatetur, apud aliquas Nationes Christi Evangelium sua ætate nondum prædicatum fuisse; inter quas designat Æthiopes trans Nilum, Seras, qui Indiæ partem trans Gangem incolebant, necnon partem aliquam Britannorum & Germanorum versus Oceanum, aliquos insuper ex Dacis, Sarmatis, & Scythis.

Ecclesia est Catholica. Hom. in Ezech. tom. 1. Geneb. p. 398.

Lib. 2. contra Celsũ. pag. 400. n. 13.

Tract. 30. in S. Matth. tom. 2. Geneb. p. 93.

Tom. 2. Geneb. p. 88.

X. Tandem Jesu Christi Ecclesia est Apostolica, juxta Origenem, quia super Apostolos ædificata est. Non vult autem vetustus hic Pater, quod arbitremur, super unum solummodo Petrum Ecclesiam ædificari. *Si vero*, inquit ille, *super illum unum solummodo Petrum*

Ecclesia est Apostolica. Hom. 9. in Cant. tom. 1. Geneb. p. 314.

(a) Ad Ephes. cap. 2. vers. 20.
(b) Genes. cap. 2. v. 24.
(c) Ad Ephes. cap. 5. vers. 22.
(d) Ibid. vers. 25. & 26.

III. SAECULUM.

Ecclesia in uno tantum Petro aedificata non est. *In S. Matth.* p. 275. tom. 1. *Huet.*

trum totam Ecclesiam a Deo adificari arbitraris, quid de Joanne tonitri filio, & unoquoque Apostolorum dixeris? „ Alioquin an audebimus dicere, portas inferi „ speciatim adversus Petrum non prævalituras; prævalituras autem adversus reliquos Apostolos & perfectos? Nonne vero & omnibus, & in his singulis „ fit istud quod supra dictum est: Portæ inferi non „ prævalebunt adversus eam: & illud quoque: Super „ hanc petram ædificabo Ecclesiam meam? *An etiam* „ *soli Petro dantur a Domino claves regni cælorum?* „ Quod si & id aliis commune est; quomodo & „ non ea quæ præcedunt communia sunt? „ Perperam autem hoc textu abuterentur Hæretici adversus Primatum Divi Petri, ejusque successorum; Origenes quippe credit, Divum Petrum Primatum tenuisse inter omnes Apostolos, utpote cæteris honorabiliorem: *Quia cæteris honorabilior*; cumque vocat petram solidissimam, super quam Christus fundavit Ecclesiam: „ Vide, (verba sunt Origenis) magno illi Ecclesiæ „ fundamento, & petræ solidissimæ, super quam Chri„stus fundavit Ecclesiam, quid dicatur a Domino: „ *Modicæ*, inquit, *fidei, quare dubitasti?* „ Hæc sentiebat Origenes de Ecclesia: a quo sane immensum discriminantur Sectarii nostrorum temporum. Ex quibus omnibus in aperto est, Magnum hunc Virum, etsi in aliquos errores prolapsum, nihilominus diversum omnino fuisse ab Hæreticis, quorum vera nota est, verusque character, contemnere auctoritatem Traditionis & Ecclesiæ. Humilitas hæc, & observantia in Ecclesiam, inquit Tillemontius (*a*) in Operibus Origenis universim deprehenditur: & in hoc dicere possumus, eum omnino differre a Tertulliano.

Primatus D. Petri. *In S. Joan.* t. 2. *Huet.* pag. 382.

Homil. 5. *in Exod.* tom. 2. recent. Edition. pag. 145. n. 4.

XI. Quoad varios Ecclesiasticos ordines, hæc habet Origenes: *Christum autem Ecclesiæ caput esse non ego, sed Apostolus intellexit . . . . Sacerdotes autem possunt dici Ecclesiæ oculus . . . . Diaconi autem, cæterique Ministri, manus ... Populum autem esse pedes Ecclesiæ*. Occurrunt hoc loco, inquit Abbas Fleuryus (*b*) alii Ministri præter Diaconos, Lectores scilicet, Ostiarii, aliique hujusce generis, uti in Latina Ecclesia. Videtur utique Origenes simul hoc loco confundere Episcopos & Presbyteros hac voce *Sacerdotes*; sed alibi perspicue eos distinguit; cum expresse in illo habeantur voces, Episcopus, Presbyter, Diaconus, & sic cæteræ Ecclesiasticæ dignitates. Insuper illius ævo Virgines & Viduæ distinguebantur a laicis, ut eruitur ex uno suorum Commentariorum in Epistolam ad Romanos. Videbimus alibi quænam sint utrorumque obligationes, & quænam quoad ipsos fuerit olim Ecclesiæ Disciplina.

Varii Ordines in Ecclesia. Tract. 5. in *S. Matth.* tom. 1. *Geneb.* p. 37.

Hom. 2. *in Jeremiam.* t. 1. *Geneb.* Lib. 8. in Epist. *ad Romanos.* tom 2. *Genèb.* p. 388.

CAPUT QUARTUM.

DE DIVINIS PERFECTIONIBUS ABSOLUTIS.

I. Nihil occurrit in Origene circa Deum, Divinasque Perfectiones absolutas, quod perfecte orthodoxum non sit. Unus est Deus, ut ipse tradit; cui veritati insistit quibusdam in locis suorum Operum; quia quidam veteres hæretici eamdem impugnaverant, dicentes, Deum veteris Testamenti diversum fuisse a Deo Testamenti novi. Ille e contra docet, esse articulum fidei, quem manifeste tenemus ex Doctrina Apostolorum, quod *Unus est Deus, qui omnia creavit*. Quem ipse appellat Deum omnium Justorum, ab Adamo scilicet, Abele, cæterisque Patriarchis, usque ad Apostolos & Sanctos novi Testamenti: *Omnium Justorum Deus: Deus est & veteris & novi Testamenti*. Postea probat Origenes hanc veritatem pluribus Sacrarum Scripturarum testimoniis: deinde respondet objectionibus Hæreticorum, qui dicebant, neminem unquam vidisse Deum in Evangelio designatum: (*c*) *Deum nemo vidit unquam*; cum tamen, ajebant ipsi, Deus veteris Testamenti manifestus apparuerit Moysi, & antea Patriarchis. Verum nobis dicant, respondet Origenes, num Deus veteris Testamenti visibilis esset, an invisibilis? Si fatentur esse visibilem; ergo materialis est, corporeus, ideoque corruptioni erit obnoxius: quod quidem cum idea Dei stare nullo pacto potest. Fateantur ergo oportet, hunc Deum esse natura sua invisibilem; & per consequens seipso corruit discrimen, quod ipsi ponunt inter Deum veteris, & Deum novi Testamenti.

Unitas Dei. Præf. *in Periarch.* tom. 1. recent. Edition. p. 47. n. 4. Lib. 2. *Periarch.* c. 4. pag. 84. 85. 86.

p. 86. n. 2.

II. Objiciebant insuper Hæretici, Deum veteris Testamenti esse Deum justum; bonum vero esse Deum novæ Legis. Verum Origenes iisdem ostendit, hæc duo attributa, Bonitatem scilicet & Justitiam semper in Deo fuisse, tam tempore legis scriptæ, quam tempore legis gratiæ. Utique veteris Testamenti historia refert de pœnis Diluvii, aliisque; sed in eadem historia non videmus, unumquemque peccantium pœnam luere meritorum; & in nova lege habentur exempla tum justitiæ, tum misericordiæ. David de Deo loquens (*d*) ait, eum bonum esse his, qui recto sunt corde; ejusque infinitam misericordiam alio loco summis laudibus prosequitur. Bonus est Dominus inquit etiam Jeremias, (*e*) sperantibus in eum, animæ quærenti illum. Falsum igitur est, Deum legis & Prophetarum justum esse, nec tamen bonum. In nova lege Jesus Christus de Patre sermonem habens, eum justum appellat: *Pater juste*, inquit ille. (*f*) *Sicut ergo*, concludit Origenes, *bonus in veteri Testamento frequenter dicitur Deus; ita etiam justus in Evangeliis appellatur*.

Sequitur idem argumentũ. pag. 87. 88. 89.

p. 69. n. 4.

III. Deum non esse corporeum, sed substantiam pure spiritualem, & a materia omnino secretam, altera veritas est, quæ summopere cordi est eidem Origeni, ob impias illationes quæ ex errore opposito inferri possent: sequeretur enim, ipsum divisibilem esse, & materialem, & corruptibilem; corpus enim omne divisibile est, & materiale, & corruptibile: *Non ergo aut corpus aliquod, aut in corpore esse putandus est Deus*; sed intellectualis natura simplex, nihil omnino in se adjunctionis admittens, uti ne majus aliquid & inferius in se habere credatur, sed *Ut sit ex omni parte μονὰς*, inquit ille, *& ut ita dicam ἑνάς*. Cum igitur Deus corporeus non sit, necessario sequitur, eum in nullo peculiari loco esse *circumscriptive*; ideoque in sensu sublimiori interpretanda esse ea Scripturarum loca, quæ oppositum docere videntur. Idem ferendum est judicium de aliis Scripturæ locis, in quibus denominationes quædam eidem tribuuntur, quæ soli materiæ possunt convenire; veluti cum appellatur ignis, lux; &c. Et in genere rejici debet quilibet sensus, per quem aliquid corporeum in Deo concipere possimus. Impium enim esset, inquit Origenes, Deum corporeum, & humanæ formæ inducere: *Quod sentire de Deo, manifestissime impium est*. En errorem Antropomorphitarum aperte damnatum.

Deus est purus Spiritus a materia omnino secretus. Tractat. de *Oratione*. tom. 1. recent. Edition. pag. 234. n. 23. Lib. 1. *Periarch.* p. 51. n. 6.

Ibid. & Tractat. de *Oratione*. pag. 233. n. 23.

Ibid. p. 49. & 50.

pag. 50. Hom. 3. in *Genes.* t. 1. recent. Edition. p. 57. n. 23.

IV. Si verum est, Deum esse purum spiritum, a materia separatum; æque verum est, eum esse impassibilem, carentem omnibus humanis affectibus, & invisibilem. 1°. *Penitus impassibilem Deum*, inquit eruditus hic Auctor, *atque his omnibus carentem affectibus, sentiendum*. Quando igitur in Sacris litteris legimus, Deum loqui, audire, irasci, &c. hoc litteraliter interpretari non debet, ac si Deus revera his humanis affectibus esset obnoxius: Sacra Scriptura enim his loquendi formulis utitur, ut nostro captui sese accommodet, & ut facilius sanctas veritates ibidem traditas percipiamus. 2°. Origenes aperte pronuntiat, Deum esse invisibilem, & hanc proprietatem eidem esse adeo essentialem, ut neque Salvatori visibilis sit: *Si autem*, inquit vetustus hic Pater, *invisibilis est per naturam, neque Salvatori visibilis erit*. „ Itaque na„tura Dei, non est alicui visibilis, (ut quidam pu„tant) & aliis invisibilis, inquit alio loco: Non enim „ dixit Apostolus, imago invisibilis Dei hominibus, „ aut invisibilis peccatoribus, sed valde constanter „ pronuntiat de ipsa natura Dei dicens: *Imago invisi*„*bilis Dei*. Sed & Joannes in Evangelio dicens: „ *Deum nemo vidit unquam*, manifeste declarat omni„bus, qui intelligere possunt: *Quia nulla natura est*, „ *cui visibilis sit Deus*.

Lib. 1. *Periarch.* p. 36. n. 4.

Hom. 3. in *Genes.* p. 67. n. 2. Deus invisibilis est. Lib. 2. *Periarch.* p. 4. n. 3. Lib. 1. *Periarch.* pag. 52. n. 8.

V. Hinc quando Sacræ litteræ dicunt, Moysem vidisse Deum, hoc intelligi debet, non de visione corporali, sed de visione spirituali & interiori. *Hoc ergo modo*, inquit Origenes, *Moyses etiam Deum vidisse putandus est, non carnalibus oculis intuens, sed visu cordis, ac sensu mentis intelligens*. Nam aliud est videre Deum corporeis oculis, quod est absolute impossibile; aliud eum sensu mentis intelligere, quod omni rationali creaturæ possibile est. *Mens nostra ex pulchritudine operum & decore creaturarum, parentem universitatis intelligit*. Verum hoc modo Deum imperfecte cognoscimus, cum ad cognoscendam Divinam essentiam nunquam pervenire possimus; ea quippe impervia est mentibus etiam purissimis, ac limpidissimis. *Cujus utique (Dei) natura, acie humanæ mentis intendi ac intueri, quamvis ea sit purissima mens, ac limpidissima non potest*. Cujus veritatis egregiam rationem tradit Origenes; quia scilicet Deus est infinite supra omnes

Quo pacto Moyses viderit Deũ. Lib. 2. *Periarch.* c. 4. n. 3.

Deum cognoscimus ex pulchritudine Operum suorum. Lib. 1. *Periarch.* c. 1. p. 51. n. 6.

Dei essentia ab humana mẽte percipi non potest. *Ibid.* Tractat. de *Oration.* p. 236. n. 24.

(*a*) Tom. III. Histor. Ecclesiast. pag. 531.
(*b*) Tom. II. Histor. Ecclesiast. pag. 169.
(*c*) Joann. cap. 1. v. 16.

(*d*) Psalm. 72. vers. 1. & Psalm. 117. vers. 2.
(*e*) Thren. cap. 3. vers. 25.
(*f*) Joann. cap. 17. vers. 25.

III. SÆCULUM.

omnes substantias intellectuales, & ejus essentia separata est ab omni creatura. Ex his Origenis principiis inferendum est 1o. neminem corporeis oculis videre posse Deum, in quocumque perfectionis statu homo sit constitutus. 2o. Spirituales substantias posse eumdem cognoscere, & neminem posse ignorare illum invincibiliter. 3o. Impossibile esse animæ hominis, sicuti & cæteris spiritualibus substantiis, videre Deum in sua natura ac essentia, & sicuti est. Utique in cœlo *videbimus eum sicuti est*, ut ait Divus Joannes Apostolus, (*a*) sed hæc visio limitata erit, & humano captui habita proportione; qui cum finitus sit, nunquam poterit perfecte comprehendere Deum, utpote natura infinitum. Eaque de caussa Salvator ait in Evangelio: (*b*) Nemo novit Filium, nisi Pater; neque Patrem quis novit, nisi Filius. Quod quidem intelligi debet non de simplici cognitione, sed de cognitione comprehensionis, ut Scholæ loquuntur.

Providentia Divina. Lib. 2. Periarch. c. 1. n. 3. p. 78. Lib. 6. contra Celsũ. pag. 686. n. 71. Homil. 3. in Genes. p. 65. n. 1.

VI. In Deo vivimus, movemur, & sumus: Deus omnipotenti sua virtute regit ac gubernat universa, & in officiis suis ordinata conservat. *Cura quidem & Providentia Dei pervadit omnia*. „ Et sicuti nos confite„ mur, inquit Origenes, Deum esse incorporeum, „ omnipotentem, & invisibilem: *Ita eum curare mor*„ *talia, & nihil absque ejus Providentia geri, neque* „ *in cœlo, neque in terris, certo & immobili dogmate* „ *confitemur*. Memento, quia nihil sine Providentia „ ejus geri diximus, non sine voluntate: *Multa enim sine voluntate ejus geruntur, nihil sine Providentia*. Non sine ingenti ratione hoc pacto seipsum exprimit Origenes, cum certum indubitatumque sit, omne malum fieri contra Dei voluntatem; qui nihilominus malum permittit, & quidem ob rationes, quæ nos latent.

Scientia Dei. Hom. 7. in Gen. p. 61. n. 8.

VII. Si Dei Providentia pervadit omnia, necessario inde sequitur, nihil eum latere, & præsens æque ac præteritum eumdem agnoscere. Deus reipsa *Novit omnia antequam fiant*. Nihilque fit, quod ipse antea probe non noverit esse futurum. Sed hæc præscientia, inquit Origenes, non est caussa eventus (quod de solo peccato intelligendum est. Tandem *Deo soli cognitum est propositum mentis*. Quando igitur Origenes alio loco ait: *Peccatum nescit Deus, & peccatores nescit Deus*; non docet, aliquid Deum latere; cum apertissime tradat oppositum; sed id unice significare intendit, quod Deus damnat peccatum & peccatorem, eumque indignum reputat intuitu oculorum suorum: subjungit enim eodem loco Origenes: Suos cognoscit Dominus, iniquos autem & impios nescit. *Hæc autem dicimus, non blasphemum aliquid de Deo sentientes, neque ignorantiam adscribentes ei; sed ita intelligimus, quod hi, quorum actus Deo est indignus, indigni etiam Dei notitia dicantur*.

Tom. 3. Comment. in Genes. pag. 6. recent. Edition. tom. 2. n. 3.

Homil. 4. in Genes. p. 73. n. 6.

Veracitas Dei. Commentar. in Genes. p. 721. num. 7. tom. 2. recent. Edition.

VIII. Cum Deus sit ipsa veritas, *Mentiri fallique non potest. Quia impossibile est mentiri eum, qui repromisit, quidquid illud fuerit, promissio permanebit. Omnium enim Opifex*, inquit idem Origenes, *imperio naturam cedentem habet*. Sed hæc divina Omnipotentia non extenditur nisi super ea, quæ non repugnant, & non sunt contra rationem. *Certe Deum*, verba sunt Origenis, *omnia posse profitemur; sed quæ potest, nullo suæ divinitatis, bonitatis, & sapientiæ detrimento*. „ Hæc enim potestas ejus divinitati contraria est, & „ illi omnipotentiæ, quam ut Deus habet. Neque „ etiam ad absurdissimum illud præsidium confugi„ mus, *omnia esse Deo* possibilia: Scimus enim, il„ lud *omnia* non complecti ea, quæ fieri posse repu„ gnant, & cogitari. Dicimus etiam, Deum turpia „ non posse. „ *Nam si quid turpe Deus facit, Deus non est*.

Dei Omnipotentia. Commentar. in Exod. pag. 121. tom. 2. recent. Edition. Lib. 3. contra Celsũ. p. 493. & 494. n. 70. Lib. 5. contra Celsũ. pag. 595. n. 23.

Deus Creator materiæ. Commentar. in Genes. p. 2. & 3.

IX. Deus universa quæ subsistunt molitus est. Ipse creavit materiam omnesque ejus qualitates, nullam præ manibus habens materiam ortu carentem, sicuti quidam Philosophi olim commenti sunt. Qua enim ratione, qualitates illas, (id quod ex eorum omnium, qui Providentiam esse defendunt, oratione sententiaque conjunctum est) quæ nullæ dum erant, ad universi ornatum, pro infinita potestate sapientiaque producit: eadem omnino naturam quamlibet, si qua forte indigeat procreare continuo voluntas ejus per sese poterit. Secus consequens esset, belle admodum id ac fortunate Deo cessisse, quod in naturam illam ortus expertem inciderit, quam nisi eo ipso quod ortu careret nactus esset, nihil unquam efficere potuisset; adeoque perpetuo molitoris, parentis, benigni, boni, ac cæteris omnibus, quæ magna cum ratione Deo tribuuntur, nominibus spoliatus perstitisset. Quo sane posito falso principio, adinvenire debuisset Deus vim materiæ tantam, quæ ad hujus propriæ, non majoris, minorisve mundi molitionem satis esset. Hinc invehenda nescio quæ, Deo tamen antiquior, Providentia necessario fuisset, quæ materiam ei subjecerit, dum id ea provideret in posterum, ne quas in se Deus habuisset artis suæ notiones, irritæ cessissent. Unde porro id habuit materia, ut omnis qualitatis capax esset, quam eidem imprimere Deus voluisset, nisi qualem eam habere ipse vellet, talem ante sibi, tantamque molitus erit? Tandem si daremus, ortu carere materiam, ecquid amplius Deus, quam quod fortuito casuque factum videmus, effecisset? Mundus, sive hoc, sive illo modo factus fuisset, æque fuisset perfectus; nec ullo modo cogeremur agnoscere Deum uti materiæ creatorem; quod quidem æque absurdum est ac dicere, mundum hunc tam eleganter, apteque constructum, absque sapientis artificis manu talem extitisse. Perperam igitur, concludit Origenes, quidam prætendunt comparationem artificum nostrorum, quorum nemo sine materia quicquam efficit; & perperam his Scripturarum verbis: Terra autem erat invisibilis & incomposita, ἀόρατος καὶ ἀκατασκεύαστος, naturam corpoream ortus omnis expertem esse opinantur.

Deus Creator Spirituum. Lib. 2. Periarch. c. 9. p. 97. n. 1.

X. Æque certum est, Deum condidisse substantias rationabiles & intelligibiles. *In illo*, inquit Origenes, *quod mente percipitur initio, tantum numerum intelligibilium substantiarum, voluntate sua constituit Deus, quanto poterat sufficere . . . quemadmodum & tantam materiam apparavit, quantam poterat exornare*. Cæterum Deus *Nullam aliam habuit creandi (rationabiles naturas) caussam, nisi propter seipsum, id est bonitatem suam*. Quia ergo eorum quæ creanda erant, ipse (Deus) extitit caussa; in quo neque varietas aliqua, neque permutatio, neque impossibilitas inerat, æquales creavit omnes; hoc est, ut seipsum explicat Origenes omnes arbitrii facultate donavit. Verum alibi disseremus de hoc argumento, quod ab Origene satis prolixe pertractatur.

Alia Dei attributa. Lib. 2. contra Celsũ. Pag. 426. n. 52. Lib. 1. Periarch. c. 1. p. 50. n. 5. Exhortat. ad Martyr. tom 1. recent. Edition. p. 306. n. 46.

XI. Docet insuper idem Doctor, Deum esse rerum omnium principium, principio carere, nec totum esse, nec partem; esse incomprehensibilem & inæstimabilem, nulloque alio nomine appellari posse, quam quibus appellatur in Sacris litteris, uti sunt Sabaoth, Adonai, Saddai: *Nullo alio nomine summus Deus vocandus est, quam quibus famulus (Moyses) Propheta, & ipse Servator . . . noster ipsum nominant, veluti Sabaoth, Adonai, Saddai . . . Cæterum quod nomen in . . . quavis . . . lingua Deum significat, illud Deo tribui sine peccato potest*.

Lib. 5. contra Celsũ. pag. 613. num. 45. Nomē præ cæteris nominibus Dei proprium. Tractat. de Oration. p. 236. n. 24.

XII. Docet tamen idem Auctor, nullum nomen aptius Deo convenire, quam quod ille sibimetipsi tribuit in Exodo, Moysi dicens, *Qui est* &c. Nomen igitur, inquit vetustus hic Pater, est compendiosa denominatio, quæ propriam rei nominatæ qualitatem exhibet. Cum autem in hominibus qualitates illæ propriæ quodam modo mutentur, recte mutantur etiam nomina. *In Deo vero, qui invariabilis, immutabilisque semper est, unum idemque semper est veluti nomen: Qui est*. Et aliis nominibus si appelletur, hujus significationem præferre debent. Veteres, uti narrat Origenes, religiosi adeo erant quoad hunc articulum, ut mallent mori, quam vel Jovis, vel alio profano nomine Deum appellare: Dei nomen simpliciter eidem tribuebant, vel quamdam denominationem addebant, quæ Divinarum ejus perfectionum aliquam exprimeret. Tandem Origenes non veretur asserere, quod *Ille qui Dei conceptum iis aptat, quibus non convenit, assumit nomen Domini Dei in vanum*. Talis erat Majorum nostrorum Religio erga Sanctum Dei Nomen; a quo toto cœlo distat qui hodie viget communis mos aptandi nomen Dei profanis quibuslibet rebus.

Lib. 1. contra Celsũ. pag. 341. n. 25.

Tract. de Oration. p. 237. n. 24.

CAPUT QUINTUM.

DE TRINITATE DIVINARUM PERSONARUM, ET EARUM CONSUBSTANTIALITATE.

I. ETsi plures Scriptores traduxerint Origenem veluti Hæresiarcham perniciosissimum, præcipue quoad Doctrinam de Trinitate; Fatendum nihilominus est, Scriptores innumeros, tum antiquitate, tum eruditione venerabiles magni hujus Viri partes suscepisse, ac orthodoxam ejus fidem eo in lumine collocasse, ut illius adversariis silentium imposuerint. Id sane præstiterunt Alexander Hierosolymitanus, Teoctistus Cæsariensis, Dionysius Alexandrinus, Firmillianus Cæsariensis, Gregorius Thaumaturgus, & Athenodorus, qui omnes Origenis coævi fuere. Insuper ipsius ætate Palæstina omnis, Arabia, Phœnicia, Achaja pro ipso dimi-

(*a*) Epist. 1. cap. 3. vers. 2.

(*b*) Matth. cap. 11. vers. 27.

III. SÆCULUM.

dimicaverunt contra Demetrium Alexandrinum: & procedentibus annis ejusdem Apologiam concinnarunt celeberrimus Martyr Pamphilus, & Eusebius Cæsariensis nec non plures alii insignes spectabilesque viri, quorum meminit Photius in sua Bibliotheca; (a) inter

Lib. Decretorum Concilii Nicæni.

quos recenseri debet Divus Athanasius, qui exhibet nobis Origenem veluti strenuum catholicæ fidei propugnatorem adversus oppositam hæresim Arianam, quæ deinceps exorta est. Non loquor hic de Rufino, cujus ardorem erga Origenis memoriam nemo ignorat; nec de innumeris loquor vetustissimis Monachis Origenis caussam tuentibus contra Theophilum Alexandrinum adversariorum Origenis facile principem. Hæc opinionum diversitas ac conflictus impedire non debet, quo minus ad veritatem inquirendam res ad examen revocemus. Operam nostram in hoc Doctore purgando jure ponere debemus, cum ille, uti superius innuimus, in Ecclesiæ sinu decesserit, & omni vitæ suæ tempore eidem fuerit subjectus. Si illius partes suscipimus circa Doctrinam de Trinitate, vel circa alia argumenta, de quibus erroris insimulatus fuerit, vestigiis insistimus quorumdam eruditorum elapsi sæculi, qui de consensu Summorum Pontificum, & piissimorum æque ac celeberrimorum virorum, orthodoxam illius fidem ostenderunt, nihil obstante anathemate, quo perculsus fuerat in quodam Concilio; de quo supra verba fecimus.

II. Origenem admisisse ac distinxisse tres Personas Divinas, in dubium revocare nemo poterit, qui animadvertat, 1o. illum pluribus in locis, ad designandas Divinas Personas, uti voce Trinitatis. Docet quippe Homilia 9. in Exodum, Ecclesiam omnem fundari in fide Trinitatis: *Trinitatis fides ... per quam sustinetur omnis Ecclesia*. Et in Psalmum 145. ait, cognitionem Sanctæ Trinitatis esse infinitam: *Sanctæ Trinitatis cognitio infinita*. Hinc docet pariter in suo *Periarchon*, in Baptismo invocandum esse Patrem, Filium, & Spiritum Sanctum; & neminem in hoc Sacramento percipere posse salutem, sine totius Trinitatis invocatione: *Qui regeneratur ... opus habet & Patre, & Filio, & Spiritu Sancto, non percepturus salutem, nisi sit integra Trinitas*. Et deinde loquens de Patre, Filio, & Spiritu Sancto ait, *Naturam Trinitatis* nihil compositionis habere, neque corpus esse, neque esse in corpore, sed esse omnino spiritualem: *Substantia Trinitatis ... ex toto incorporea*. Tandem disserens semper de tribus Divinis Personis declarat apertissime hanc Trinitatem excedere omnem sensum intelligentiæ non solum temporalis, verum etiam æternalis: cætera vero quæ sunt extra Trinitatem, in sæculis & in temporibus metienda esse.

Trinitas Divinarũ Personarũ. Homil. 9. in Exod. n. 3. p. 163. In Psalm. 145. pag. 813. Lib. 1 Periarch. c. 3. n. 5. p. 62. cap. 5. n. 3. pag. 66.

Lib. 4. n. 27. p. 189.

Ibid. n. 28. pag. 190.

III. Non solum utitur Origenes voce Trinitatis, ut Personas Divinas designet; sed insuper aperte & distincte pronuntiat Patrem, & Filium, & Spiritum Sanctum. Id supra jam innuimus his ejusdem Scriptoris verbis: *Qui regeneratur .... opus habet & Patre, & Filio, & Spiritu Sancto*. Ait deinceps: *Supra omnem æternitatem intelligenda sunt ea, quæ de Patre, & Filio, & Spiritu Sancto dicuntur*. Pariter habet alio loco: *Denique cum confitearis, unum Deum, eademque confessione Patrem, & Filium, & Spiritum Sanctum asseras, unum Deum ..... quam inextricabile videtur hoc esse infidelibus?* .... *Credo*, loquitur semper Origenes, *propter fidem Patris, & Filii, & Spiritus Sancti*.

Lib. 1. Periarch. c. 3. n. 5. p. 62. Ibid. Lib. 4. n. 28. pag. 190. In Exod. Hom. 5. n. 3. p. 145.

Homil. 5. in Levit. n. 4. p. 208.

IV. Adeo verum est, Origenem admittere in Deo tres Personas distinctas, quod nitidissime, & formaliter declarat, Filium esse alium a Patre, & Spiritum Sanctum esse alium a Patre & Filio: *Alius a Patre Filius, & non idem Filius, qui & Pater ... alius ..... & ipse (Spiritus Sanctus) a Patre & Filio*: ideoque admittendam esse distinctionem Personarum in Patre, & Filio, & Spiritu Sancto: *Est ergo hæc trium distinctio Personarum in Patre, & Filio, & Spiritu Sancto*. Quo tandem pacto dubitare quis poterit de Orthodoxa fide Origenis circa realem distinctionem Divinarum Personarum, cum illis diversa officia adscribat, & personales qualitates, ut capite sequenti videbimus? Quin immo docet, ut testantur Divus Hieronymus (b) & Justinianus Imperator (c), Filium minorem esse Patre, & Spiritum Sanctum minorem esse Patre & Filio; potentiam Patris majorem esse potentia cæterarum Personarum; & potentiam Filii majorem esse potentia Spiritus Sancti. Ex quibus omnibus saltem eruitur, Scriptorem hunc admisisse in Deo tres distinctas Personas; ideoque nunquam favisse hæresi Sabellii.

Hom. 12. in Numer. n. 1. p. 812.

V. Interim videamus, num pari jure purgari possit a suspicione hæresis Arianæ. Pater Petavius hanc illi exprobrat, sicuti & omnibus fere antiquis Patribus, qui floruerunt ante Concilium Nicænum. Verum, qui vel parum Origenem legerit, ejusque germanam mentem, ac vera principia sit assecutus, nullo negotio deprehendet, recentiorem hunc Scriptorem in errore versari. Quod quidem præstitit egregie Scriptor quidam Ecclesiæ Anglicanæ, cujus laborem commendavimus jam supra, solertiamque in purgandis antiquis Patribus quoad hunc articulum. Omittimus autem hic recitare innumera Origenis testimonia, quæ suis locis afferemus, quæque probe ostendunt, verustum hunc Scriptorem agnovisse, Filium, & Spiritum Sanctum esse Patri consubstantiales: & quædam solummodo indigitare volumus minus peculiaria, quæ plene evincunt Orthodoxam fidem Origenis circa Consubstantialitatem trium Personarum in genere. Primo igitur docet noster hic Auctor, nullum esse discrimen naturæ & dignitatis in tribus Divinis Personis: *Nihil in Trinitate majus, minusve dicendum est*: & Apostolum agnoscere unam eamdemque virtutem in tribus divinis Personis, quando, expositis diversis Spiritus Sancti donis ait; idem autem Deus operatur omnia in omnibus (d): *Ex quo*, inquit Origenes, *manifestissime designatur, quod nulla est in Trinitate discretio*. Qui sane Origenis textus maximi ponderis esse debet, cum exscriptus sit a quodam Capite, cui titulus: *De Spiritu Sancto*: in quo intendit idem Auctor manifestissime ostendere non solum subsistentiam Spiritus Sancti, ejusque personales qualitates; sed insuper, eum esse æqualem Patri ac Filio, tum natura, tum dignitate ac virtute. Hinc fit, ut non possimus supra recensitum testimonium suscipere veluti contra mentem & intentionem Auctoris prolatum. His igitur præjactis, necessario fluit, Origenem admisisse Consubstantialitatem trium Divinarum Personarum, quoniam nullum in illis admittit discrimen virtutis & dignitatis. In eodem Capite his verbis utitur: *in Unitate Trinitatis*: & inferius habet: *His igitur de Unitate Patris & Filii & Spiritus Sancti potestatis &c.* quod idem significat ac vocabulum Consubstantialitatis; cum Unitas hæc prædicetur de virtute, dignitate, & operatione trium Personarum, quemadmodum observavimus.

Consubstantialitas Divinarũ Personarum. Lib. 1. Periarch. c. 3. n. 7. p. 63. pag. 64.

num. 8. pag. 64.

VI. Cæterum protulimus supra ea Origenis verba, quæ illum perfecte purgant quoad articulum in controversia positum, suntque quæ modo sequuntur: *Cum confitearis unum Deum, eademque confessione Patrem, & Filium, & Spiritum Sanctum asseras, unum Deum ... quam difficile videtur hoc esse infidelibus*. Alibi vero tres divinas Personas similes esse dicit tribus puteis, quorum unus est fons; ibique aperte declarat, unam esse substantiam & naturam Trinitatis: *Una enim substantia est & natura Trinitatis*. Tandem ne ullus remaneat locus, suspicandi in illo errorem, tradit, varia officia Personarum Trinitatis nihil immutare in earum natura: *Nec putet Trinitatis naturam deserere, si nominum serventur officia. Denique, ut Unitatem Deitatis in Trinitate cognoscas, solus Christus in præsenti lectione* (in Evangelio) *nunc peccata dimittit: & tamen certum est, a Trinitate peccata dimitti*. Perspicuis adeo textibus addere possumus quæ habet idem Scriptor in Homilia 37. in Divum Lucam: *Laudemus Deum in Patre, & Filio, & Spiritu Sancto*. Et in suo Commentario in Divum Joannem ait, solum Filium, solumque Spiritum Sanctum percipere posse omnem splendorem totius gloriæ Dei Patris: *Non arbitror*, inquit ille, *percipere aliquem posse omnem splendorem totius gloriæ Dei, nisi Filium Dei. Si ei addas etiam ejus Spiritum, optime ... & absolutissime de Deo & dices & senties*.

Sequitur idem argumentũ. Homil. 3. in Exod. num. 5. pag. 145. Homil. 12. in Numer. num. 1. pag. 312.

In Isaiam. Tom. 3. Genebr. pag. 350.

Ibid. Homil. 37. in S. Lucam. T. 2. Genebr. pag. 258. Comment. in S. Joann. Edition. Huet. T. 2. pag. 426.

VII. Judicet nunc Lector vel parum versatus, num clarius aut accuratius asserere quis possit Consubstantialitatem trium Divinarum Personarum, nisi propria Consubstantialitatis voce uti velit. Nonne unum idemque profertur, licet diversis formulis, cum dicitur, in tribus Divinis Personis omnia esse æqualia, unam non esse altera majorem, omnes habere eamdem virtutem & potentiam, easdemque operationes, nullam esse quoad hæc in Trinitate discretionem, haberi Unitatem Trinitatis, Unitatem in Patre, Filio, & Spiritu Sancto, has tres personas esse unum eumdemque Deum, Trinitatis unam eamdemque esse essentiam, unam eamdemque naturam; diversa officia, quæ tribus Divinis Personis seorsim adscribuntur, nihil officere naturali earumdem identitati, unam esse earum Divinitatem, Deum glorificari in Patre, Filio, & Spiritu Sancto, Filium & Spiritum Sanctum percipere plenitudinem & splendorem totius gloriæ Patris? Quid ultra

tra

(a) Biblioth. Photh. Cod. 118.
(b) Epist. 94. ad Avitum.
(c) Epist. 41. ad Menam.
(d) I. ad Corinth. cap. 12. vers. 6.

III. SECULUM.

tra opus est, ut Origenem habeamus omni erroris labe purgatum circa hoc Mysterium?

Difficultas deprompta ex Origene. Lib. 1. Periarch. c. 3. n. 5. Pag. 62.

VIII. Aliquis fortasse objiciet quæ numero quarto hujus capitis ex Origene exscripsimus: ibi enim ille docet 1°. Patris operationem pervenire in omnes tam justos quam peccatores, & rationales atque irrationales, & in omnia omnino quæ sunt, quia ipse est qui est. 2°. Filium, cum minor sit Patre, ad sola rationabilia pervenire, quia est secundus a Patre; *Minor vero Patre Filius ad sola rationabilia pervenit; est enim secundus a Patre*. 3°. Spiritum Sanctum, cum sit ipso Filio minor, ad solos Sanctos pertingere: *Adhuc etiam minor Spiritus Sanctus, ad solos sanctos pertingere*: ex quibus omnibus Origenes concludit: *Ita ex hoc major est potestas Patris, quam Filii & Spiritus Sancti; amplior item potestas Filii, quam Spiritus Sancti*. Quod quidem videtur impugnare directe fidem de Consubstantialitate trium Personarum. Si enim operatio & potestas Patris amplior est operatione & potestate Filii & Spiritus Sancti; si potestas Filii amplior est potestate Spiritus Sancti, consequens est, diversam naturam admittendam esse in Patre, & Filio, & Spiritu Sancto: quod absolute destruit Consubstantialitatem Trinitatis.

Elucidatur hæc difficultas.

IX. Huic autem difficultati reponi potest 1°. nonnisi contra naturalem æquitatem damnari posse Origenem propter superius recensita testimonia, cum plurima æque perspicua, & æque accurata in eodem occurrant testimonia, quæ Orthodoxam ejus doctrinam quoad hunc articulum plenissime manifestant. 2°. attente considerari debet, quo pacto Origenes proponat quæstiones in allatis textibus comprehensas: non utitur enim decretoriis verbis, quibus reipsa utitur in textibus antea a nobis recitatis; sed solum exponit quid opinative sentiat: ait enim *arbitror &c.* Hinc quæ ille profert, uti ejus opiniones considerari debent, & ad summum, uti peculiares Origenis sententiæ. 3°. insuper si perpendantur quæ in controversiam posita sunt Origenis verba, sensum apprime catholicum circa Mysterium Trinitatis præseferunt. Siquidem quod ibidem docet Origenes, ad hoc reducitur, quod Pater, est major Filio, & Filius est major Spiritu Sancto. Verum verba hæc orthodoxa sunt, si considerentur quoad subordinationem, quæ habetur inter tres Divinas Personas. Est quippe articulus fidei, Personam Patris esse superiorem persona Filii, quia Filius a Patre genitus est, ab eoque suum esse habet, suasque divinas perfectiones: idipsum dicendum est de Filio quoad Spiritum Sanctum, a quo Filio, sicuti & a Patre Spiritus Sanctus procedit. In hoc sensu Christus ipse in Evangelio ait; *Pater major me est*. Verum superest nunc videndum, num hæc vera Origenis mens. Quod quidem evidentissime eruitur ex simplici lectione illius Capitis, a quo objectio hæc exscripta est. Docet formaliter Origenes, Unitatem haberi in Trinitate: *In Unitate Trinitatis*; quod certe intelligi debet de natura trium Personarum, quæ juxta vetustum hunc Scriptorem eadem est. Perspicue declarat, Divinas Personas habere unam eamdemque virtutem: *Unam eamdemque virtutem Trinitatis*. Ait insuper, nullam esse in hac Trinitate discretionem: *Nulla est in Trinitate discretio*. Quando igitur eodem loco ait, Patrem esse majorem Filio, & Spiritu Sancto; ejus virtutem esse majorem virtute Filii & Spiritus Sancti, hoc rationabiliter intelligi nequit, nisi habita ratione ad Ordinem Personarum, seu proprietatum personalium, per quas Pater, tamquam Principium, primus est in ordine, & Filio ac Spiritui Sancto, qui ab ipso procedunt, superior. Quia vero & esse, & perfectiones, quas illis Pater communicat, eædem sunt ac perfectiones Patris; hinc eorum natura eadem est cum natura Patris; ideoque virtus naturalis Patris, Virtus quam habet tamquam Deus, non est major virtute Filii, & Spiritus Sancti, si præcise tamquam Deus considerentur Filius & Spiritus Sanctus. Hæc est, ut mihi quidem non sine magno fundamento videtur, vera germanaque Origenis mens. Scribit utique ibidem noster Auctor, potestatem Patris ampliorem esse potestate Filii, & Filii potestatem ampliorem esse potestate Spiritus Sancti; sed hoc scribit semper in eodem sensu personalis subordinationis, ut cuilibet perlegenti integrum illud caput clarissime innotescet. Cæterum ille fatetur, eumdem esse Spiritum, eumdem Deum, qui operatur omnia in omnibus, juxta phrasim Apostoli: & alibi docet, quod si aliqua personalis differentia habeatur, hæc nullum infert præjudicium naturæ trium Personarum; *Nec putes*, inquit eruditus hic Pater, *Trinitatis naturam disserere, si nominum serventur officia*. At satis de hac materia locuti sumus quam fusius pertractare debemus, postquam protulerimus notabiliora Origenis loca circa proprietates personales uniuscujusque Personæ Sanctissimæ Trinitatis.

Ibid. p. 4.

n. 7. p. 63.

pag. 64.

In Isaiam. Tom. 1. Genebr. p. 350.

CAPUT SEXTUM.

DE ATTRIBUTIS RELATIVIS, SEU PROPRIETATIBUS PERSONALIBUS PATRIS, FILII, ET SPIRITUS SANCTI.

Solus Pater est sine principio. Lib. 1. Periarch. c. 2. n. 5. p. 53.

I. NOmine attributorum relativorum sive proprietatum personalium veniunt hoc loco perfectiones, & operationes, quæ proprie conveniunt, & tribuuntur cuilibet Trinitatis personæ, prout præcise tamquam persona consideratur. Hinc personalis Patris proprietas est, quod sit sine origine, sine Principio, ut docet noster Auctor. *Nihil ingenitum, idest innatum, præter solum Deum Patrem*. Divus Hieronymus vocem græcam ἀγέννητον, reddiderat latina voce *infectum*; quo fieret, ut Origenes Ariani erroris suspicionem non effugeret. Verum omni quæ Divo Hieronymo debetur veneratione reponimus, Sanctum hunc Doctorem nimium coarctasse significationem græcæ vocis, quæ hoc loco significat, Patrem esse solam Trinitatis Personam, quæ sit absque principio; cum Filius & Spiritus Sanctus propriam existentiam habeant a Patre tamquam a suo principio. Divum Hieronymum vere deceptum esse in hac versione ex eo eruitur, quod Origenes alibi expresse docet, Filium ipsum esse infectum, increatum ἀγέννητος, *infectus, increatus*. Hinc præferenda est Rufini versio, *Nihil ingenitum &c.* Quæ Patris de la Rue recentioris Origenis editoris est observatio. Huic textui addamus, nostrum Auctorem, cum de Deo Patre sermonem habet, sæpissime eum appellare *ingenitum* ἀγέννητος, & fere semper illum distinguere a cæteris duabus Personis hoc vocabulo, uti pluribus in locis videre est.

Lib. 5. contra Celsum. num. 17. pag. 643.

Pater est origo ac fons Filii & Spiritus Sancti; Lib. 2. Periarch. c. 2. n. 1. p. 79.

II. Ad relativas Patris perfectiones pertinet, quod origo sit & fons Filii, & Spiritus Sancti: *Origo & fons Filii vel Spiritus Sancti, Pater est*. Verum immediate post allata verba docet idem Scriptor, hoc fieri absque ulla dependentia, vel imperfectione in Filio & Spiritu Sancto: *Et nihil in his anterius, posteriusve intelligi potest*. Quod quidem semper probat eamdem naturam, eamdemque essentiam in Patre, Filio, & Spiritu Sancto. Cæterum propter hanc qualitatem Principii, quam Origenes Deo Patri tribuit, asserit idem Scriptor, Patrem esse majorem Filio, & Spiritu Sancto, quemadmodum in superiori capite observavimus; & Patrem existimari posse tamquam Dominum Filii: *Recte enim Pater existimari potest Filii Dominus*. Non quod Filius a Patre pendeat, tamquam famulus a Domino suo, sicuti superius scribit Origenes, sed simpliciter ratione superioritatis Patris erga Filium. Hinc ratione hujus ejusdem personalis superioritatis Pater est primarius conditor Universi, & Verbum, Filius Dei, artificis partes egit, cum in mundi creatione mandata Patris executioni mandaverit: *Diximus . . . Patrem esse primarium conditorem, eo quod Verbo suo Filio mandavit ut mundum faceret*.

Pater existimari potest Filii Dominus, Tract. de Oratione. num. 16. p. 224. recent. Edit. Tom. 1.

Pater est primarius Conditor Universi. Lib. 6. contra Celsum. num. 60. pag. 678.

Deus est Pater ab omni æternitate. Lib. in Genes. p. 1. recent. Edit. T. II.

III. Deus Pater ab omni æternitate est Pater Filii sui: „ Non enim Deus, cum prius non esset Pater,
„ postea Pater esse cœpit, velut impeditus aliquibus
„ ex caussis, quibus homines mortales impediri solent,
„ ut non statim ex quo sunt, & Patres esse possint.
„ Si enim semper perfectus est Deus, nec deest ei virtus qua Pater sit, & bonum est esse eum Patrem
„ talis Filii, *quid differt . . . . & non statim, si ita dici potest, se Pater efficit Patrem?* Verum æterna hæc Filii generatio non impedit, quominus Pater sit semper in Filio, sicuti Filius est semper in Patre: *Semper est Pater in Filio, sicut Filius semper est in Patre*; quia Pater inseparabilis est a Filio, sicuti Filius a Patre: *quia non separo Filium a Patre, nec Patrem a Filio*. Habes modo notabiliora quæ in Origene deprehenduntur circa Personam Patris in particulari.

Pater est semper in Filio. Homil. 13 in Levit. n. 3. Pag. 251.

Pater inseparabilis est a Filio. Homil. 13. in Levit. num. 4. Pag. 255.

Generatio Filii. Lib. 1. Periarch. c. 2. p. 55. n. 4.

IV. Generatio Filii exæquari non debet generationi hominum, vel animantium: *Infandum est*, inquit Origenes, *& illicitum, Deum Patrem in generatione Unigeniti Filii sui . . . . exæquare alicui vel hominum, vel aliorum animantium generanti*. Sed necesse est aliquid exceptum esse Deoque dignum, cui nulla prorsus comparatio non in rebus solum, sed ne in cogitatione quidem, vel sensu inveniri potest, ut humana cogitatio possit apprehendere, quomodo ingenitus Deus Pater efficitur Unigeniti Filii. Non enim per adoptionem spiritus Filius fit extrinsecus; *sed natura Filius est*. Verum licet Origenes dicat, humanam cogitationem non posse apprehendere generationem Filii Dei; nihilominus ad faciliorem hujus mysterii intelligentiam profert aliqua exempla, quæ familiaria quam quod maxime sunt. Docet inter cætera, Filium procedere a Patre, tamquam splendorem a luce: *Est namque æterna ac sempiterna generatio, sicut splendor generatur ex luce*; ac ex Patris mente procedere, ac si esset quædam

dam

III. SÆCULUM. num. 6.

dam ejus voluntas: *Natus ex eo est, velut quædam voluntas ejus, ex mente procedens.* Sufficere enim debet voluntas Patris ad subsistendum hoc quod vult Pater: *ita ergo*, addit Origenes, *& Filii subsistentia generatur ab eo.*

Sequitur idem argumentũ. Lib. 4. Periarch. num. 28. pag. 196.

V. Hæc autem idea Generationis Verbi toto cœlo distat a futili imaginatione quorumdam Hæreticorum, quorum Origenes meminit, qui docebant, in Generatione Verbi partem aliquam substantiæ Patris versam esse in ejus Filium: *Non enim dicimus*, verba sunt Origenis, *sicut hæretici putant, partem aliquam substantiæ Dei in Filium versam*: „ sed abscisso omni „ sensu corporeo ex invisibili & incorporeo Verbum „ & Sapientiam genitam dicimus absque ulla corpo„ rali passione; „ *Veluti si voluntas procedat a mente. Nec absurdum videbitur, cum dicatur Filius charitatis, si hoc modo etiam voluntatis putetur.* „ Sed & „ Joannes indicat (*a*), quia Deus lux est, & Paulus „ designat (*b*), qua Filius splendor lucis æternæ sit. „ Sicut ergo lux nunquam sine splendore esse potuit, „ ita nec Filius quidem sine Patre intelligi potest, „ qui figura expressa substantiæ ejus, & Verbum, & „ sapientia dicitur. Quomodo ergo potest dici, quia „ fuit aliquando, quando non fuit Filius? „ Verum hoc respicit æternitatem Verbi, de qua capite sequenti sermonem habebimus.

Vocabula, quæ Filii Dei propria sunt. Lib. 1. Periarch. c. 2. p. 53. n. 1. Ibid. p. 54. n. 4. p. 55. num. 5. Lib. 6. contra Celsũ. num. 47. pag. 669. Lib. 2. Periarch. c. 9. n. 7. p. 100. Lib. 1. Periarch. Præfat. n. 4. p. 48. Lib. 2. Periarch. c. 9. n. 7. p. 100.

VI. Cæterum Filius Dei est Sapientia Patris, ejus Primogenitus, virtus, Verbum. Est via, veritas, & vita. Est imago Dei invisibilis, splendor gloriæ, & figura expressa substantiæ Dei, speculum immaculatum virtutis Dei, imago Bonitatis Dei; est sapientia ipsa, veritas ipsa, ipsamet justitia: per hanc sapientiam omnia condita sunt, sicuti per hanc justitiam omnia gubernantur. In quo Filius exequitur mandatum Patris cujus veluti minister fuit in mundi creatione. Verbum Dei *omnibus providet*: hinc explicari possunt quædam phrases superiori capite a nobis allatæ, quibus Origenes videtur coarctare operationem Filii Dei in Creaturas. Tandem inter personales proprietates Verbi recenseri debet, ejus Incarnatio propter salutem hominum, nativitas, passio, vera mors secundum naturam humanam: de quibus alibi fusius differemus.

Proprietates personales Spiritus Sancti. Lib. 2. Periarch. c. 7. n. 4. pag. 93. Homil. 24. in S. Lucam. T. 2. Genebr. c. 7. n. 4. p. 93. Lib. 1. Periarch. Præfat. n. 4. pag. 48. Ibid. Ibid. n. 8. Ibid. c. 3. n. 4. p. 61. Ibid. n. 3.

VII. Ad Spiritum Sanctum quod attinet, ille appellatur Paracletus, hoc est Consolator, a græca voce *Paraclesis*, quæ significat consolationem. Est tertia Persona Sanctissimæ Trinitatis . . . . *Tertiam Personam a Patre & Filio*, inquit Origenes. Divinus iste Spiritus honore & dignitate sociatur Patri ac Filio, juxta Doctrinam Apostolorum: *Honore ac dignitate Patri ac Filio sociatum tradiderunt Spiritum Sanctum*: quod sane ostendit ejus Consubstantialitatem cum Patre & Filio. Sanctos utriusque Testamenti Prophetas & Apostolos ipse inspiravit: per eum Sacri libri conscripti sunt. Sic ubi Spiritus nominatur in sacris litteris sine adjectione, quæ significet qualis sit Spiritus, de Spiritu Sancto debet intelligi. De Spiritu Sancto debet intelligi quod in Genesi legimus, de Spiritu, qui initio mundi Creationis ferebatur super aquas. *Spiritus . . . . Dei, qui super aquas ferebatur . . . . puto quod non sit alius, quam Spiritus Sanctus; secundum quod ego intelligere possum.* Observandum hoc loco venit, Origenem opinari solummodo quoad hunc articulum, de quo omnes, qui ante ipsum floruerunt Patres minime conveniebant, sicuti in primo hujus Operis volumine jam innuimus. Spiritus Sanctus revelat Deum cui vult. Impium pariter & stultum est, Spiritum Sanctum confiteri, & ignorantiam ei adscribere; cum sit ejusdem naturæ cum Patre & Filio.

Ibid. n. 4. Ibid. p. 62.

VIII. De Spiritu Sancto intelligendum est quod legimus in Psalmis (*c*): Emittes Spiritum tuum, & creabuntur, & renovabis faciem terræ; creando novos homines, qui per gratiam Spiritus deponentes veterem hominem cum actibus suis, in novitate vitæ ambulent. Ipse sanctificat justos omnes; & inter ejus personales proprietates hæc est, quod scilicet solis Sanctis seipsum communicet: *Spiritus Sancti . . . . participationem a Sanctis tantummodo haberi invenimus* . . . Ne quis sane existimet, prosequitur idem Auctor, nos ex eo quod diximus, Spiritum Sanctum solis Sanctis præstari, Patris vero & Filii beneficia vel operationes pervenire ad bonos & malos, justos & injustos, prætulisse per hoc Patri & Filio Spiritum Sanctum, vel majorem ejus per hoc asserere dignitatem: *Proprietatem namque gratiæ ejus, operisque ejus descripsimus.* Cum ergo primo omnia ut sint, habeant ex Deo Patre; secundo ut rationabilia sint, habeant ex Verbo; *Tertio ut sint Sancta, habent ex Spiritu Sancto.*

Ibid. n. 7. pag. 63. Ibid. Ibid. n. 8. pag. 64.

III. SÆCULUM. Lib. 1. contra Celsũ. num. 42. pag. 339. Lib. 1. Periarch. c. 7. n. 2. & 3. p. 92. & 93. Lib. 1. Periarch. c. 3. n. 2. p. 61. Lib. 1. contra Celsũ. num. 46. pag. 361.

IX. Spiritus Sanctus in columbæ specie in Jesum a Joanne baptizatum delapsus est: quod sane in dubium revocari nequit: & mirum est, Judæos huic veritati fidem denegare, cum multa & incredibiliora credant ipsi. Licet autem justi omnes participationem Spiritus Sancti habuerint; notandum nihilominus est, prout egregie animadvertit idem Origenes, quod præcipuus Spiritus Sancti adventus ad homines post ascensionem Christi in cœlos magis quam ante adventum ejus declaratus est: antea namque solis Prophetis, & paucis donum Spiritus Sancti præbebatur; post adventum vero Salvatoris, innumeræ credentium multitudines donorum Spiritus Sancti participes fuerunt; unusquisque vero juxta propriam mensuram. Per impositionem manuum Apostolicarum dabatur Spiritus Sanctus; & Origenis ætate aliqua supererant vestigia ejusdem Spiritus. *Quin etiamnum apud Christianos nonnulla supersunt illius Spiritus Sancti vestigia.* Nam Christiani dæmonia ejiciebant, morbos curabant, & futura prævidebant.

Homil. 6. in Numer. n. 6. pag. 287. Homil. 1. in Levit. n. 1. pag. 189. In S. Joann. T. 1. p. 58. rec. Edition.

X. Tradit insuper Origenes, in solum Jesum Christum requievisse Spiritum Sanctum septemplici sua virtute: *Vide*, inquit ille, *quia supra nullum alium Spiritus Dei requievisse septemplici hac virtute describitur.* Docet pariter, præsentiam Sancti hujus Spiritus purgare nostra crimina, & peccatorum remissionem nobis tribuere: *Purgat namque omnes sordes præsentia Sancti Spiritus, remissionem tribuens peccatorum.* Tandem Spiritum Sanctum a Patre missum fuisse, ut una cum Filio humanam salutem operaretur: *Pater, etiam ut princeps, Filium mittens, una Spiritum quoque mittit.* Verum de hoc satis.

CAPUT SEPTIMUM.

DE CONSUBSTANTIALITATE VERBI, ET DE DIVINITATE SPIRITUS SANCTI.

I. ETsi evidentissime constet ex dictis capite quinto hujus Sectionis, Verbum, & Spiritum Sanctum participes esse, juxta Originem, omnium perfectionum Patris; utrumque esse unum solumque Deum cum Patre; & perfecte esse Patri consubstantiales; nihilominus requirit argumenti gravitas, ut peculiarius de re hac nunc differamus, & fusiori calamo duas veritates hoc capite comprehensas pertractemus, ut efficacius persuadere possint. Antequam vero ad Verbi Consubstantialitatem pertractandam, quæ hujus capitis primarium objectum est, accedamus, pergratum fore lectori confidimus, si eum gradatim ad hanc essentialem veritatem perducamus ope quarumdam illationum, quæ inferri commode possunt ex quibusdam Origenis textibus, in quibus vetustus iste Pater eas tribuit Filio Dei perfectiones, quæ soli Deo possunt convenire. Sic, exempli caussa, docet Origenes, per Verbum, omnia tam visibilia quam invisibilia condita esse; illud esse Patri coæternum; per Filium Patrem esse omnipotentem; & ipsum Filium omnipotentem esse eodem modo ac Pater omnipotens est. *Cum omnipotens dicitur Pater*, scribit Origenes, *etiam nullus debet offendi, quod etiam Filius Dei omnipotens dicitur.* Si enim, addit Origenes ibidem, omnia quæ Patris sunt, Christi sunt; inter omnia vero quæ sunt, Pater est etiam Omnipotens: *Sine dubio etiam . . . . . Filius debet esse Omnipotens.*

Divinitas Verbi. Lib. 2. Periarch. c. 6. n. 3. p. 90. Lib. 1. Periarch. n. 2. & 3. p. 54. Ibid. c. 2. n. 10. p. 58.

Sequitur idem argumentũ. Lib. 5. contra Celsũ. num. 12. pag. 586. Lib. 4. contra Celsũ. num. 15. pag. 510. & 512. Lib. 1. Periarch. c. 2. n. 1. p. 54. Lib. 2. Periarch. c. 6. n. 2. p. 90. Lib. 6. contra Celsũ. num. 69. pag. 685. Ibid. n. 17. pag. 643. Lib. 1. contra Celsũ. num. 51. pag. 367.

II. *Versatur (Christus) & cum iis ubique qui ipsi adhærent, necnon ubique cum eis qui ipsum nesciunt.* Loquitur autem hoc loco Origenes de immensitate proprie dicta; probat enim hanc veritatem his Jeremiæ (*d*) verbis: *Numquid non cœlum & terram ego impleo? dicit Dominus.* Verbum nulli mutationi obnoxium est; & licet carnem sumpserit, & cum hominibus conversatum sit; tamen divina ejus natura nullam passa est mutationem, quidquid in oppositum senserint hostes Christiani nominis, & inter hos Celsus, quem Origenes quoad hunc articulum in particulari fuse refellit. Verbum nullum habuit initium: nec æternitatem ei denegare possumus, nisi negemus, Patrem semper fuisse Patrem. Verbum est invisibile, quia invisibilis Dei imago est: incomprehensibile est, sicuti & Pater; nec Patrem quis comprehendere digne potest, nisi Verbum: Uno verbo, Filium Dei Christiani adorant: *Quem Christiani adorant & admirantur Jesum.* ὁ ὑπὸ Χριστιανῶν προσκυνούμενος Ἰησοῦς . . . . Quæ omnia quidem Origenis testimonia Divinitatem Filii Dei apprime probant. De nullo enim dici potest, solo vero Deo excepto, quod omnia condiderit, quod Patri sit coæternus,

---

(*a*) Epist. 1. cap. 1. vers. 5.
(*b*) Ad Hebræos cap. 1. vers. 3.
(*c*) Psalm. 103. vers. 30.
(*d*) Cap. 23. vers. 24.

nus, nullum habuerit initium, sit omnipotens, ubique versetur per suam immensitatem; quod immutabilis, invisibilis incomprehensibilis. Et quando Origenes subjungit, quod Christiani adorant Filium Dei, hac sola phrasi ostendit evidenter, Christianos fateri Filium Dei Verum Deum cum Patre.

III. Inutile itaque ducimus clarissimis his testimoniis addere, quod Origenes innumeris in locis nomen Dei tribuit Verbo; & quidem tribuit una simul cum Patre, & distinguit solummodo ordinem Personarum; insuper quod agnoscit, & tuetur Divinitatem Filii adversus Ethnicorum infidelitatem, qui eamdem impugnabant. Omnia hæc idipsum probant, quod superius allata testimonia. Unum igitur superest; præmunire scilicet Lectorem contra quasdam Origenis phrases, quibus abuti is posset, ac quandoque inferre, Filium non esse verum Deum, ut Pater est verus Deus. Ait quippe vetustus hic Doctor, exempli caussa, Filium esse secundum Deum: *Secundum Deum τὸν δεύτερον Θεόν*; verum seipsum explicat in suo Opere contra Celsum his verbis: *Et quamvis illum appellemus secundum Deum; sciant, secundi Dei nomine nihil nos intelligere aliud, quam virtutem virtutes omnes complectentem, & rationem in se continentem quidquid rationis est in rebus.*

Elucidatur quædam difficultas circa Divinitatem Filii Dei. Lib. 5. contra Celsũ. num. 39. pag. 606.

IV. Nec quidquam morari nos debet, quod Origenes scribat, Filium Dei esse Divinæ Bonitatis imaginem, non autem bonitatem ipsam; non esse simpliciter bonum, sicut Pater bonus est; & licet Deus sit, non tamen esse illum, de quo is (Filius Dei) ait in Evangelio: *Ut cognoscant te solum verum Deum* (a): (cujus textus verba ex originali habemus) Omnia hæc Orthodoxum sensum habent in ore Origenis, qui docet, quod non debet velut blasphemiæ aliquod genus putari in eo quod Christus de Patre dixit: *Nemo bonus, nisi unus Deus Pater* (b): quia illis verbis principalis Bonitas in Deo sentienda est Patre, ex quo vel Filius natus, vel Spiritus Sanctus procedens, sine dubio bonitatis ejus naturam in se refert, quæ est in eo fonte, de quo vel natus est Filius, vel procedit Spiritus Sanctus: quod sane nequaquam destruit bonitatem Filii & Spiritus Sancti. Eodem pacto interpretari debet mens Origenis circa hæc Evangelii verba: *Ut cognoscant te solum verum Deum*, nisi Auctorem hunc sibimetipsi contrarium asserere velimus; aperte enim declarat eodem Capite secundo, Filium Dei esse Sapientiam Patris substantialiter subsistentem: declarat insuper, Divum Joannem propria definitione definire, Verbum esse Deum: *Joannes propria definitione Deum esse definiens Verbum, dicens: Et Deus erat Verbum &c.* necnon, Verbum esse Dei Filium natura, non per adoptionem: *Non per adoptionem, sed natura Filius est.* Dicet fortasse aliquis, postrema hæc testimonia haud integræ fidei esse, cum habeantur ex versione Rufini, qui magnus Origenis Apologista fertur. Verum ex hoc sequeretur, quod Rufinus voluerit omnibus omnino illudere super hoc articulo, eumque fuisse emendatorem potius, quam interpretem Origenis. Cæterum ex afferendis inferius indubiis Origenis testimoniis satis superque constabit, Rufinum nihil in Origenem contulisse, quando mentem ejus circa veritatem in controversia positam, uti catholicam exponit.

num. 1. pag. 53.

num. 3. pag. 54.

V. Origenes enim in suo Opere contra Celsum, cujus originalis textus Dei providentia ad nos usque pervenit, aperte declarat, Salvatorem esse *Proprie dictum Dei Filium, Deum Verbum, Dei potentiam, Dei sapientiam*: & Jesum Christum esse ipsum Verbum, ipsam sapientiam, ipsam veritatem, ipsam justitiam: *Sapientia ipsa, veritas ipsa, ipsamet justitia.* Declarat insuper, suam sententiam non esse, solum rerum omnium Deum ac Patrem magnum esse: Suæ enim magnitudinis, subdit ille, participem fecit Unigenitum & Primogenitum omnis creaturæ; *Ut qui imago est invisibilis Dei, is etiam magnitudine Patris imaginem referret.* „ Fieri enim non poterat, prosequitur Origenes, ut pulchra imago esset, & Deo invisibili responderet, quæ magnitudinis imaginem non præberet . . . . . Esto vero sit Deus contemplatu difficilis: *At non solus: Nam ejus Unigenitus, Deus Verbum, est etiam contemplatu difficilis* . . . . Non igitur Deus, quia contemplatu difficilis erat, idcirco misit Filium: *Quasi is esset Deus contemplatu facilis* „. Insistamus tantisper postremo huic testimonio, quo Divinitas Verbi, ejusque cum Patre Consubstantialitas perfecte comprobata remanent. Ille est vere æqualis Patri, & vero Deo consubstantialis, qui ejusdem est vera imago, qui ejus magnitudinem refert, qui per communicationem Patris, eamdem magnitudinem participat, qui contemplatu difficilis est æque ac verus Deus, ac Deus Pater: sed omnibus his qualitatibus insignitum est Dei Verbum, ut docet Origenes: ergo est Patri consubstantiale.

Divinitas & Consubstantialitas Verbi. Lib. 1 Contra Celsũ. num. 66. pag. 381. Lib. 6. contra Celsũ. num. 47. pag. 669. Ibid. n. 69. pag. 684.

pag. 685.

VI. Tradit idem Auctor in eodem suo Opere contra Celsum, quod nemo potest digne cognoscere Patrem, nisi Filius; & nemo Filium, nisi Pater: *Neque ullus . . . . primogenitum digne possit cognoscere, ut Pater, qui eum genuit; neque Patrem ut animatum Verbum, quod sapientia & veritas ejus est.* Quod sane ostendit unam eamdemque naturam in Patre & Filio. Verum primariam hanc veritatem magis magisque confirmat, quando occasione cujusdam objectionis deprompta ex Celso, qui ajebat, Christianos colere non solum Deum, sed etiam ejus ministrum, hoc est ejus Filium; hæc habet Origenes: *Ad hoc etiam respondendum, si Celso perspectum fuisset istud: Ego & Pater unum sumus; & hoc aliud, quod Filius Dei inter precandum dixit: Sicut ego & tu unum sumus; non sibi eum induSurum fuisse in animum, alium a nobis quam summum Deum coli: Nam Pater, inquit, in me, & ego in Patre,* οὐκ ἂν ἄπο ὑμᾶς ἕ ἄλλον θεραπεύειν παρὰ τὸν ἐπὶ πᾶσι θεὸν ὁ γὰρ πατήρ, φησὶν, ἐν ἐμοί, κἀγὼ ἐν τῷ πατρί. Sane Niceni Concilii Patres majori præcisione Verbi Consubstantialitatem asserere non poterant. Origenes ait hoc loco, quod Christiani colunt & adorant Filium Dei: quia illum, alium non credunt quam summum Deum; ait insuper, quod Christiani colentes Verbum una cum Patre, colunt & adorant unum solum verum Deum. Quid ultra desiderari potest?

Sequitur idem argumentũ. Lib. 8. contra Cel E. num. 17. pag. 643.

Lib. 8. contra Celsũ. num. 12. pag. 750.

VII. Non me fugit, Origenem illico subjungere, Patrem & Filium esse duas hypostases: quin immo idem Auctor assimilat unitatem & identitatem Patris & Filii illi unioni, quæ erat inter primos Ecclesiæ fideles, uti legimus in Actis Apostolorum (c): erat omnium credentium cor unum, & anima una. Scribit insuper paucis interjectis, Patrem & Filium esse duas res quoad hypostasim; unam vero quoad concordiam & identitatem voluntatis: *Quæ duæ res sunt quoad hypostasim, una vero consensione, concordia & voluntatis identitate.* At, inquiunt Origenis adversarii, vetustus iste Pater nomine hypostasis, ὑπόστασις, id intelligit, quod nos nomine naturæ, substantiæ, οὐσία; ergo credit, diversam esse Patris naturam a natura Filii. Verum probare debent adversarii id quod tamquam certum hoc loco ponunt circa significationem vocis ὑπόστασις in Origene: licet enim duæ istæ græcæ voces unam eamdemque habeant significationem in pluribus Scriptoribus Ecclesiasticis; id tamen locum habere in Origene non ita de facili ostendi potest. Ὑπόστασις penes ipsum non aliud significat, quam id, quod latine dicitur *subsistentia, vel res aliqua individua, per se subsistens.* Idque probatur 1°. quia Origenes semper in hoc sensu, quando de Trinitate loquitur, utitur voce Hypostasis, & nusquam aliter ab ipso accepta legitur, quando agit de hoc Mysterio: *Non memini*, inquit eruditus Bullus in hunc locum, *me usquam vocem ὑπόστασις, aliter ab ipso (Origene) ubi de Trinitate loquitur, acceptam legisse.* 2°. Origenes illud præ oculis habet citato loco, vitare scilicet opinionem quorundam hæreticorum, qui negabant, Patrem & Filium esse duas hypostases. „ Quod si quis, inquit Origenes immediate post allatum numero præcedenti testimonium, ex his verebitur ne ad illos transfugiamus, qui Patrem & Filium duas hypostases esse negant, advertat animum ad illud: Erat omnium credentium cor unum & anima una, ut intelligat quid sibi velit hoc: Ego & Pater unum sumus. „ Ex quibus clare dignoscitur, Originem hoc loco refutare Noetianos, qui opinabantur, Patrem & Filium esse unam eamdemque Personam, uti superius jam vidimus. Quando igitur Origenes hoc loco docet, contra hos Hæreticos, Patrem & Filium esse duas hypostases, hoc significat, Patrem & Filium esse duas Personas, non autem duas naturas aut duas substantias, quia Noetiani unam tantummodo Personam admittebant. 3°. quod hæc vox ὑπόστασις in Origene significet personam ex eo eruitur, quod nullus ferme ex Patribus ante Nicænum Concilium aliter hanc vocem intellexerit & adhibuerit circa Trinitatis mysterium; ut videre est in Tertulliano, S. Hippolyto, S. Dionysio Alexandrino Origenis discipulo &c. Perperam autem quis urgeret hæc verba ejusdem Doctoris: *una vero consensione, & concordia, & voluntatis identitate*; ac si identitas Patris & Filii consisteret in sola identitate voluntatis: nam, uti constat ex superius dictis, Origenes tribuit Patri & Fi-

Sequitur idem argumentũ. Ibid. & pag. 751.

(a) Joann. cap. 17. v. 3.
(b) Marc. cap. 10. vers. 18.

(c) Cap. 4. vers. 32.

III. SÆCULUM.

& Filio eamdem naturam, easdemque perfectiones, quæ sunt verum fundamentum hujus identitatis, quæ est in Patre & Filio, uti ex dicendis inferius iterum constabit.

Sequitur idem argumentum. Ibid. & Pag. 750.

VIII. Ex præallegatis jam numero sexto Scripturarum oraculis, hæc infert Origenes, ac docet de identitate Patris & Verbi: *Unum igitur Deum .... Patrem & Filium colimus: ἕνα οὖν Θεὸν τὸν πατέρα καὶ τὸν υἱὸν θεραπεύομεν .... neque hominem nuperrime exortum, & qui antea non erat, summa veneratione prosequimur.* „ Credimus enim dicenti, (prosequitur „ idem Scriptor) Antequam Abraham fieret, ego „ sum: &: Ego sum veritas .... *Colimus igitur Pa-* „ *trem veritatis, & Filium veritatem*; quæ duæ res „ sunt quoad hypostasim, una vero consensione, & „ concordia, & voluntatis identitate: *Ita ut, qui vidit Filium, qui est splendor gloriæ & figura substantiæ Dei, is in illo, qui Dei imago est, viderit & Patrem.* Dicat nunc qui legit, num hic Origenis locus intelligi possit de simplici identitate voluntatis; & num ex hac identitae voluntatis inferri precise possit, quod Christiani colunt & adorant unum solum Deum in Patre & in Filio, & quod qui vident Filium, qui est imago Patris, in illo vident & Patrem? Minime gentium: ut hæc inferri possint, agnosci debet Filius uti ejusdem cum Patre naturæ, ideoque ut Patri consubstantialis.

Pag. 751.

In S. Matthæum. Tom. II. pag. 325. Edition. Huet.

IX. Præter hæc testimonia quæ ex Opere Origenis contra Celsum exscripsimus, alia in eodem Scriptore, & quidem æque indubia occurrunt, quæ eamdem veritatem pari præcisione confirmant. Hinc in suo Commentario in S. Matthæum, hæc verba Christi Domini: qui me recipit, recipit eum qui misit me: sic explicat. *Cum a Filio Pater non separetur, apud eum est qui Filium susceperit, unde dictum est: Quicumque me receperit, recipit eum qui me misit.* Alio loco habet: *Quando Filius in Patre est, antequam seipsum exinaniret, veluti locus ipsius est Deus.* Et alibi, *Non arbitror*, inquit, *percipere aliquem posse omnem splendorem totius gloriæ Dei, nisi Filium Dei*, cui deinceps adjungit Spiritum Sanctum, quemadmodum vidimus capite quinto hujus Sectionis.

In S. Joannem. T. II pag. 306. ejusd Edition. Ib. p. 416.

Lib. 8. in Epist. ad Rom. pag. 382. T. II. Geneb.

X. Super Epistola ad Romanos aperte declarat Origenes, unum eumdemque honorem deferendum esse Patri & Filio; idque confirmat auctoritate ejusdem Salvatoris, qui docet, idipsum: *Unum namque utrique honorem deferendum, idest Deo Patri & Filio, divinus docet sermo, cum dicit: Ut honorificent Filium, sicut honorificant Patrem (a).* Hinc perspicue alio loco scribit, laudandos esse in commune Patrem & Filium, quia Salvator est Filius Creatoris: *Quia igitur Salvator Creatoris est Filius, in commune Patrem Filiumque laudemus.* Hæc, ut mihi videtur, satis superque ostendunt Orthodoxam fidem Origenis circa Consubstantialitatem Verbi: & absque eo quod insistamus duobus his postremis Origenis textibus, de quorum autentia aliquis fortasse contenderet, ob supra recensitam rationem; ad illos textus superiori numero allatos revertamur, qui expresse nobis favent, & in dubium revocari nequeunt. Habet ibidem Origenes, Filium a Patre esse inseparabilem; Deum esse veluti locum Verbi ante suam Incarnationem; Verbum una cum Spiritu Sancto, percipere omnem splendorem totius gloriæ Dei. Num sapiunt Arianam hæresim hæ loquendi formulæ? Nonne catholicum sensum apprime præseferunt circa Verbi Consubstantialitatem? Sane Patres Nicæni Concilii nihil ultra dixerunt, si vocem Consubstantialis excipias, quantum ad applicationem quæ facta fuit Mysterio Sanctissimæ Trinitatis.

Homil. 18. in S. Lucam. T. II. Geneb. pag. 146.

XI. Igitur non sine ingenti ratione S. Athanasius nobis perhibet Origenem veluti strenuum propugnatorem Divinitatis Filii Dei, ejusque utitur auctoritate adversus Arianos, qui primariam hanc Religionis veritatem impugnabant. „ Quod autem Verbum ab æter- „ nitate sit cum Patre, inquit Magnus iste Ecclesiæ „ Doctor (*b*), nec alterius quam Patris substantiæ „ vel hypostasis proprius sit, ut declaravit Synodus, „ liceat vos iterum a laborioso Origene audire .... „ qui propriam mentem his verbis exponit: Si Ver- „ bum est imago Dei invisibilis, invisibilis quoque „ est ipsa imago. Quin etiam addere ausim, cum sit „ similitudo Patris, non posse fieri ut aliquando non „ fuerit. Quando enim Deus, quem Joannes lucem „ appellat, propriæ gloriæ splendore caruit, ut quis „ audeat principium existendi Filio tribuere, quasi sci- „ licet antea non fuisset? .... Intelligit enim qui di- „ cere audet, Fuit aliquando cum non esset Filius, „ idem esse ac si diceret, Sapientia aliquando non „ erat, Verbum non erat, vita non erat. Idem (Ori- „ genes) rursus alibi ita loquitur: Verum nefas est, „ nec periculo vacat propter nostram infirmitatem „ Deum, quantum in nobis est, Unigenito privare „ Verbo, quod semper cum illo fuit, & illa erat Sa- „ pientia, qua delectabatur. „ Hæc Origenis testimonia, de quorum autentia nemo contendere potest; hæc inquam Origenis testimonia his conjuncta, quæ antea protulimus, peroptime ostendunt orthodoxam ejus fidem circa Divinitatem Filii Dei: postquam vero S. Athanasius auctoritate hujusce Patris usus est contra Arianos sui ævi; confidentissime hanc proferre possumus contra eos, qui illum repræsentare nobis vellent veluti Scriptorem, qui doctrinæ detestabilis hujus Sectæ occasionem præbuerit. Facile nobis esset vetusti hujus Patris apologiam longius protrahere; at ne satietatem lectoribus afferamus, contenti sumus allatis usque modo & ex ejus operibus exscriptis testimoniis: alia nunc perpendemus, quæ materiam ministrarunt atrocissimis suspicionibus, quibus nonnulli orthodoxam ejus fidem circa Divinitatem Verbi maculare studuerunt.

Prima objectio deprompta ex D. Hieronymo, Epist. 59. ad Avitū.

XII. Divus Hieronymus, exempli caussa, damnat hanc Origenis phrasim: Deum Patrem per naturam invisibilem, etiam a Filio non videri: Hæc utique scripsit Origenes; non scripsit autem in eo sensu, quem interpretatus est Divus Hieronymus, quasi voluerit hisce verbis Origenes Verbi Consubstantialitatem lædere. Superius enim observavimus, hoc loco, sicuti & multis aliis, quæ afferri possent, sermonem esse de visione oculata, qua Deus nec a proprio Filio videri potest, cum sit natura sua invisibilis. Nec validissima deerat Origeni ratio sic loquendi, cum pugnaret contra Valentinianos, ac Antropomorphitas, qui Corpus Deo tribuebant: hinc cum illis ostenderet, Deum esse natura sua invisibilem, & nec oculis Filii sui jam incarnati videri posse; peremptorie jam demonstratum erat, Deum esse purissimum Spiritum, cujuslibet compositionis expertem, & hominum sensibus omnino impervium. In hoc autem sensu Origenem locutum fuisse, egregie ex eo deducitur, quod formaliter alibi docet; quod scilicet nullus primogenitum Dei digne potest cognoscere, ut Pater qui eum genuit; neque Patrem, ut animatum Verbum, quod sapientia & veritas ejus est. Protulimus jam supra hoc Origenis testimonium, excerptum ex libro sexto contra Celsum.

Lib. 6. contra Celsū. num. 17. pag. 641.

Secunda objectio. Ibid. Epist. ad Avitū.

XIII. Divus Hieronymus exprobat insuper Origeni quod dixerit: *Filium comparatum Patri non esse veritatem, sed comparatum ad nos esse imaginariam veritatem.* Hanc autem difficultatem exsufflabimus in memoriam revocantes hujus Patris testimonia superius allata, in quibus aperte declarat, Filium Dei esse *ipsissimam, αὐτοαλήθειαν, veritatem.* Cæterum in catholico sensu asserere poterat Origenes, quemadmodum hodie asserere nos pariter possumus, Filium, tamquam imaginem Patris, non esse veritatem, hoc est, non esse Patrem, cujus est solummodo imago & similitudo. Verum imago hæc perfecte suo originali concors est, cum omnem ejus magnitudinem, omnesque perfectiones referat; ac per Patris communicationem percipiat omnem splendorem totius gloriæ Dei. Quæ quidem omnia jam vidimus in supra recitatis Origenis testimoniis.

Tertia objectio.

XIV. Tandem si Divo Hieronymo credimus, Origenes dixit, Deum Patrem esse lumen incomprehensibile; Christum collatione Patris, splendorem esse perparvum. Non constat mihi, undenam verba hæc Divus Hieronymus eruerit; nisi dicere velimus esse veluti quamdam illationem quorumdam Origenis textuum, in quibus habet, nullas esse in Patre tenebras, & Filium in tenebris lucere. At perspicuum est, haud recte hanc illationem ex Origine deductam esse; cum nemo inficiari possit, Origenem ibidem alludere ad hæc verba Divi Joannis: *In tenebris lucet*; quod sane dictum est de Filio Dei incarnato; non vero de Filio Dei præcise considerato secundum divinam suam essentiam. Sicuti enim dicere possumus, solum Patrem esse immortalem, quia Filius ob amorem erga homines, humana carne assumpta, passus & mortuus est; ita dicere possumus, in solo Patre nullas esse tenebras, quia Filius tenebras nostras in se ipsum recepit. Nec de meo penu hæc protuli; sed potius ex Origene delibavi, qui in suo Commentario in S. Joannem sic scribit: *Qua ratione solus Pater habet immortalitatem, quia Dominus noster nostrum nomine mortem ob amorem erga genus humanum pertulerit; hac Pater solus habet, ut in ipso nulla sint tenebræ; cum Christus .... tenebras nostras in se ipsum receperit*; ex qui-

Tom. IV. in S. Joann. Edition. Huet. pag. 73.

(*a*) Joann. cap. 14. vers. 28.

(*b*) S. Athanas. lib. de duobus Decretis Nicænis. Tom. I. pag. 232.

III. Saeculum.

quibus manifestum est, Originem loqui solummodo de Incarnatione.

XV. Solutis jam difficultatibus Divi Hieronymi contra Orthodoxam Origenis fidem; operæ pretium erit diluere quædam objecta, quæ contra eumdem Patrem recentiores nonnulli instaurant. Ariani erroris insimulant primo loco id quod scribit Origenes libro octavo contra Celsum; quosdam scilicet sua ætate fuisse, qui diversam ab aliis sententiam sequentes temere affirmabant, Salvatorem esse universorum Dominum, summum Deum: „ At nos, subjungit Origenes e vestigio, nihil simile, qui credimus Christo dicenti (a): Pater qui misit me, major me est. „ Verum si horum verborum contextus attente perpendatur, illico corruit hæc difficultas. Loquitur enim ibidem Origenes, non contra Catholicorum omnium mentem, qui unam eamdemque naturam in Patre ac Filio agnoscunt; sed contra quosdam Hæreticos, qui nolebant duas has Personas distinguere, quemadmodum sæpe diximus. Hac sane de caussa Origenes ait, Salvatorem non esse Dominum Universorum, quia fideles illius ævi agnoscebant Filium diversum a Patre ratione Personalitatis. Quam explicationem ideo sequi debemus, quia apud veteres in more positum erat, ut appellarent Patrem, Dominum Universorum, ὁ πᾶσι Θεὸς, *Universorum Deus*, vel summum Deum, uti vidimus jam in vetustis illis Patribus, qui ante Origenem floruerunt, & præcipue in Divo Justino, qui per hanc denominationem distinguit Patrem a Filio. Itaque cum Persona Patris non sit Persona Filii, nemini mirum videri debet, quod Origenes ad hanc distinctionem melius indigitandam, adversarios revocet ad hæc Christi verba: Pater major me est. Quæ verba in quo sensu ab Origene sint usurpata, supra jam diximus.

Quarta objectio. Lib. 8. contra Cels. num. 14. pag. 752.

XVI. Recentiores Origenis adversarii objiciunt nobis alia duo ejusdem loca, in quibus ille videtur docere, non debere nos supplicare proprie Filio, sicuti Patri; sed preces nostras ad Deum dirigendas esse per Salvatorem, qui est magnus noster Pontifex, & vivum Patris Verbum, cui primum supplicamus, ut vota nostra Deo Patri offerat. At verba hæc, nonne orthodoxa apprime sunt? Nonne fidei articulus est, Verbum incarnatum esse mediatorem nostrum apud Deum? esse nostrum Pontificem, propitiationem pro peccatis nostris? ut post sacros Scriptores inquit Origenes; adeoque nonne verum est, Verbum, utpote mediatorem nostrum, vota nostra, nostrasque preces summo Deo offerre? Quo sane posito, nonne pronuntiari potest in sensu catholico, quod nos non oramus Filium, sicuti Patrem, cum per Filium oremus Patrem, & primum supplicemus Filio, ut vota nostra Deo offerat? *Huic (Filio) primum supplicamus*, inquit Origenes, *rogantes, ut cum sit propitiatio pro peccatis nostris, & Pontifex magnus, vota, victimas, precesque nostras summo Deo offerat*. Nec reponant adversarii, quod in primo objectionis membro agitur de Verbo præcise uti Verbo, non uti Mediatore; nam si hoc verum esset, respondere semper possumus, nos proprie orare Patrem, quia est principium Verbi, adeoque ad Patrem, tamquam ad originem referri preces, quas Filio offerimus. Cæterum, quæ modo exscribimus Origenis verba, ab omni eum liberant suspicione quoad hunc articulum: „ Si Enoch, inquit „ ille, Moyses, Aaron, & Samuel invocabant Dominum .... sine dubio invocabant Dominum Jesum „ Christum; si autem invocare nomen Domini, est „ adorare Deum, quando invocatur nomen Jesu Christi, adoratur Jesus Christus. *Sicut offerimus Deo Patri .... orationes, ita & Domino Jesu Christo .... Unum namque utrique honorem deferendum .... divinus docet sermo cum dicit: Ut honorificent Filium, sicut honorificant Patrem*. Tandem noster hic Auctor hortatur nos alio loco, ut precemur Dominum nostrum Jesum Christum una cum Patre suo: *Jesum Christum Dominum nostrum cum Patre suo precemur*. Verum ab hoc argumento ad Divinitatem Spiritus Sancti transilia nus.

Quinta objectio. Lib. 5. contra Cels. num. 11. pag. 586. & Lib. 8. num. 13. pag. 751.

Ibid.

XVII. Origines satis superque fidem suam prodit circa Divinitatem Spiritus Sancti cum ait, nullo Sacrarum Scripturarum oraculo demonstrari posse, Spiritum Sanctum esse Creaturam; ne eo quidem modo, quo de Sapientia refert Salomon: necnon tantæ esse auctoritatis & dignitatis substantiam Spiritus Sancti, ut salutaris baptismus non aliter nisi excellentissimæ omnium Trinitatis auctoritate, idest Patris, & Filii, & Spiritus Sancti cognominatione compleatur; & eum, qui in Spiritum Sanctum blasphemaverit, veniam non habere neque in præsenti sæculo, neque in futuro; cum tamen qui dixerit verbum in Filium hominis sperare veniam possit: insuper eum semper fuisse Spiritum Sanctum; omnes Creaturas ex eodem habere ut sint sanctæ; eum in honore & dignitate esse Patri sociatum; Patri & Filio coæternum; Sanctum natura sua, ejusque sanctitatem nullum initium habere. „ Puto ergo, inquit ille, quod Sanctus Spiritus ita „ sanctus sit, ut non sit sanctificatus. Non enim ei „ extrinsecus & aliunde accessit sanctificatio, quæ ante non fuerat, sed semper fuit Sanctus, nec initium sanctitas ejus accepit. Similique modo, addit „ idem Auctor, de Patre & Filio intelligendum est. „ Sola enim Trinitatis substantia est, quæ non extrinsecus accepta sanctificatione, sed sui natura sit „ sancta. „ Sicuti vero solus Deus dici potest Sanctus in hoc sensu, quemadmodum paucis interjectis tradit idem Origenes; igitur vetustus hic Doctor credidit Spiritum Sanctum verum Deum, & Consubstantialem Patri & Filio.

Divinitas Spiritus S. Lib. 1. Periarch. c. 3. n. 3. p. 61. num. 2.

num. 4. pag. 63 num. 7. 8. pag. 63-64.

III. Saeculum.

Præfat. in Lib. Periarch. n. 4. pag. 48. Lib. 2. in Genes. Tom. II. Recent. Edition. Pag. 1. Homil. 11. in Numer. num. 8. pag. 310.

XVIII. Sic Sanctus Basilius perhibet nobis vetustum hunc Scriptorem veluti testem Traditionis & Doctrinæ Ecclesiæ quoad hunc articulum: & licet agnoscat, nostrum hunc Auctorem habuisse aliquas erroneas opiniones circa Personam Spiritus Sancti; fatetur nihilominus, ex Traditione veras sententias eumdem hausisse, & docuisse evidenter in suo Commentario in S. Joannem, adorandum esse Spiritum Sanctum: *Qui quidem (Origenes) in sexto, ni fallor, libro enarrationum in Evangelium Joannis, etiam adorandum Spiritum evidenter pronuntiat*. „ Ad hunc modum, (sub„ jungit idem S. Basilius recitatis jam aliis testimo„ niis Origenis, in quibus de Divinitate Spiritus San„ cti expresse loquitur) opinor, Traditionis vis sæ„ pe compulit homines etiam suis ipsorum dogmati„ bus contradicere. „

Lib. de Spiritu S. cap. 29.

XIX. Ex quo S. Basilii testimonio eruitur, Origenem prolapsum esse in quosdam errores circa Spiritus Sancti Personam: Verum, quicunque tandem sint errores isti, numquam credam, hos respicere Divinitatem tertiæ hujus Personæ Sanctissimæ Trinitatis. Idque ut manifeste ostendam, vel unum sufficiat recitare Origenis textum, quem exscribam ex Homilia 18. in Jeremiam editionis Domini Huet; ibi enim habet, quod nisi hosce tres fontes sitiverimus, (loquitur de tribus Trinitatis Personis) nullum aquarum fontem inveniemus. „ Unicum aquarum fontem Deum, inquit „ ille, sitire videbantur Judæi: sed quia Christum, „ & Spiritum Sanctum minime sitiebant, neque de „ Deo bibere potuerunt. Videbantur hæretici sitire „ Christum Jesum; sed quia non sitiverunt Patrem „ legis ac Prophetarum Deum, idcirco nec de Jesu „ Christo bibunt. Qui autem unum colunt Deum, „ sed contemnunt prophetias, ii non sitiverunt Spiri„ tum Sanctum, qui loquebatur in Prophetis. „ Aperte ex his constat, Origenem vere credidisse, neminem posse cognoscere ac possidere Patrem, quin simul cognoscat ac possideat Filium; nec posse hunc inquirere, quin inquirat & alium; quod quidem ostendit relationem essentialem inter tres Trinitatis Personas, adeoque Divinitatem Spiritus Sancti, ejusque cum Patre & Filio Consubstantialitatem. Postremus hic Origenis textus, cum autentiam summam præseferat, evidentissime testatur orthodoxam vetusti hujus Patris fidem circa Divinitatem Spiritus Sancti.

CAPUT OCTAVUM.

DE INCARNATIONE VERBI.

ORigenes eadem, si non majori, præcisione loquitur de Mysterio Incarnationis, qua locutus est de Sanctissima Trinitate. Innumeri occurrunt in ejus Scriptis præclarissimi textus, qui cum Catholica Ecclesia eum sensisse perhibent circa Veritatem Incarnationis Verbi, distinctionem duarum naturarum in Christo, Unitatem ejus Personæ, duas easque diversas ejus Operationes, motivum Incarnationis, ejus dignitatem Pontificis, Mediatoris &c. Quia argumenta hæc omnia primas tenent in re Theologica; hinc summa diligentia ea omnia exscribere ex Origene in animo est, quæ notabiliora sunt quoad propositas veritates. Quibus addemus quædam puncta historica, quæ huic Mysterio relativa sunt; necnon quasdam peculiares Origenis opiniones, quæ respiciunt aliquas ejusdem Mysterii circumstantias. At primum proferemus Origenis Doctrinam quoad Dogma: & ut aliquis in hoc Capite servetur ordo, initium ducimus a Prophetiis, quæ, ut Origenes credidit, non secus ac cæteri Eccle-

(a) Joann. cap. 14. vers. 28.

III. SÆCULUM.

Ecclesiæ Patres, clare & accurate prænuntiant Incarnationem Verbi.

ARTICULUS PRIMUS.

VATICINIA DE INCARNATIONE VERBI.

I. IN immensum abiret oratio, si sermonem habere vellemus de omnibus Vaticiniis, quæ Origenes accommodat Mysterio Incarnationis. Verum ne Lectoris patientia abutamur, notabiliora solummodo afferemus Prophetarum oracula, eaque præcipue, quæ Ecclesia semper respexit veluti apertas prædictiones primi Adventus Filii Dei. Inter hæc, exempli caussa, locum habere potest Jacobeum Oraculum; non cessaturos scilicet Principes ex Juda, neque Duces de femoribus ejus, donec veniat qui venturus est &c. Manifestissime enim, inquit Origenes, ex ipsa historia apparet, ex his quæ hodie pervidentur, quia ex temporibus Christi ultra Reges apud Judæos non extiterunt. Sed & illæ omnes ambitiones Judaicæ, in quibus jactantiæ quamplurimum gerebant, & in quibus exultabant, vel de templi decore, vel de altaris insignibus, atque omnibus illis sacerdotalibus infulis, indumentisque Pontificum, simul universa destructa sunt. Completa enim est Prophetia quæ dicebat: (a) Per dies multos sedebunt Filii Israel sine Rege, sine Principe: non erit hostia, nec altare, nec sacerdotium, nec responsa. Sed hæc omnia nostris oculis videmus, hæc omnia permanent adhuc post Salvatoris adventum: Constat ergo, quia venit ille, cui repositum est, in quo expectatio gentium est. Quod manifeste videtur impletum de multitudine eorum, qui per Christum Deo ex diversis gentibus crediderunt. Eamdem hanc Prophetiam pluribus in locis suorum Operum urget Origenes; quæ quidem maximi momenti est contra Judæos.

Primum Vaticiniū. Genes. cap. 49. v. 10.

Lib. 4. Periarch. n. 3. Pag. 158. & 159.

Lib. 1. contra Celsū. num. 53. pag. 368. & 369. Homil. 17. in Genes. n. 6. Pag. 108. recēt. Edition. & alibi.

II. Secundum notabile Vaticinium circa Incarnationem eruitur ex his Prophetæ Balaami verbis: Orietur stella ex Jacob, & exurget virga, sive (homo) de Israel, uti legebat Origenes ἄνθρωπος ἐξ Ἰσραήλ: quod sane juxta eumdem intelligi debet de nativitate Jesu Christi, & de stella quæ in Oriente apparuit Magis, qua duce venerunt adorare Dominum. Cæterum Origenes in hoc Oraculo prænuntiari observat 1°. Divinitatem Salvatoris, quæ per Stellam designatur: *De Deitate quidem ejus dicit: Orietur stella ex Jacob:* 2°. ejus Humanitatem, quæ designatur sequentibus verbis: & exurget homo ex Israel: *De humana vero natura: Et exurget homo ex Israel*, 3°. quando Balaam subjungit de hoc homine, qui exurget ex Israel: *& vastabit Principes Moab*: hoc interpretari debet de victoria, quam Salvator reportavit in dæmones: per quam victoriam prædatus est omnes filios Seth, ex quo omne humanum in hoc mundo ducitur genus: *Nam de Cain qui nati fuerant, diluvio perierunt: filii ergo sunt Seth, omnes homines qui in hoc mundo sunt.*

Secundum Vaticiniū. cap. 24. Num. v. 17. Lib. 1. contra Celsū. n. 59. Pag. 374. & Hom. 18. in Numer. num. 4. Pag. 342.

Ibid.

III. Tertium Vaticinium circa Incarnationem desumitur ex psalmo secundo, in quo David ait: Astiterunt Reges terræ, & Principes convenerunt in unum adversus Dominum, & adversus Christum ejus: quod quidem de Salvatore evidentissime dictum est; quippe contra eum insurrexerunt Principes terræ, uti pluribus in locis Origenes docet. Nihilominus Salvator fortior Principibus omnibus visus est; cui Deus, ut Prophetæ, ante multa sæcula dixit: Postula a me, & dabo tibi gentes hæreditatem tuam, & possessionem tuam terminos terræ.

Tertium Vaticiniū: Ps. 2. v. 2.

Lib. 5. Contra Celsū. num. 32. pag. 601. & alibi.

IV. Quartum vaticinium habetur in Psalmo 21. cujus primus versiculus complectitur verba, Jesu Christi crucifixi: *Deus, Deus meus ... quare me dereliquisti? Hæc est Domini Jesu Christi crucifixi vox*, inquit Origenes, qui demonstrat, omnia quæ sequuntur in eodem Psalmo, interpretari debere de Salvatore. Verum, ne nimii simus, lectori examinandam relinquimus totam, quam hujusce Psalmi Origenes adornavit interpretationem; in qua, quidquid peroptat, deprehendet a pagina 620. usque ad paginam 623. tomi secundi recentioris editionis.

Quartum Vaticiniū. Psalm. 21. vers. 1. &c.

In Ps. 21. pag. 619.

V. Quintum vaticinium extat in Psalmo 44. in quo Psaltes in persona Salvatoris hæc habet: Lingua mea calamus scribæ velociter scribentis: & deinde ad Messiam sermonem convertens ait: Speciosus forma præ filiis hominum; diffusa est gratia in labiis tuis, &c. quod perfectissime impletum est in Persona Jesu Christi, cujus doctrina brevi tempore, hoc est, ut semetipsum explicat Origenes, anno & aliquot mensibus, universus orbis repletus est. *Judicium autem effusæ gratiæ in labiis ejus*, inquit ille, *hoc est quod brevi tempore peracto; anno enim & aliquot mensibus docuit, universus tamen orbis doctrina & fide pietatis ejus impletus est.* Vide interpretationem integri hujus Psalmi pag. 710. & seqq. Tom. 2. recent. Editionis. Verum non debet admitti quod hic docet Origenes, Christum scilicet anno & aliquot mensibus docuisse: error quippe est; quem S. Irenæus adscribit Valentinianis, (b) & in quem prolapsi sunt, ante Origenem, S. Clemens Alexandrinus, & Tertullianus; ut observat Pater de la Rue in suis annotationibus in hunc locum.

Quintum Vaticiniū. Psalm. 44. vers. 2. & 3.

Lib. 4. Periarch. n. 5. pag. 160.

VI. Sextum Vaticinium desumptum est ex Psalmo 108. in quo Origenes prænuntiatam dicit Judæ proditionem: *In libro Psalmorum*, inquit ille, *centesimus octavus totus ... vaticinium de Juda continet.* „ Ibi „ prædicitur, prosequitur idem Doctor, Judam ex Apo„ stolorum numero fuisse suapte culpa exclusum; „ alium autem in ejus locum fuisse subrogatum sic „ prænuntiatur: „ *Et Episcopatum ejus accipiat alter.* Obiter hic animadvertamus, totum hunc Psalmum, juxta Origenem, esse vaticinium de Juda.

Sextum Vaticiniū. Psal. 108.

Lib. 2. contra Cels. num. 11. pag. 396.

VII. Septimum Vaticinium continetur his Isaiæ verbis: Venite ascendamus ad montem Domini & ad domum Dei Jacob, & annuntiabit nobis viam suam, & ambulabimus in ea: de Sion enim exibit lex, & verbum Domini de Jerusalem. Quo sane Oraculo Propheta prænuntiat conversionem gentium, quæ accedent ad Dei domum, quæ est Ecclesia Dei viventis, columna & firmamentum veritatis. Quæ prophetia in postremis diebus impleta est: „ nam nos gentes om„ nes, inquit Origenes, ad illum accedimus montem, „ ad illum agminatim venimus, & nos invicem ad „ Religionem a Jesu constitutam cohortamur ... Sci„ scitantibus autem unde veniamus, & quisnam sit „ Dux noster, respondemus, nos Jesu Imperii accer„ sitos venire conflatum in vomeres gladios ... & „ convertimus in falces lanceas, quibus olim irati „ feriebamus. *Nec enim jam contra gentem ullam arma capimus, nec bellum gerere discimus, facti filii pacis per Jesum, quem sequimur Ducem.* Ex postremis his verbis eruitur quinam sit verus Spiritus Religionis Christianæ.

Septimum Vaticiniū. Isaia c. 2. vers. 2. & alibi.

Lib. 5. contra Celsum num. 33. pag. 602.

VIII. Octavum Vaticinium depromptum est ex alio ejusdem Prophetæ Isaiæ loco, ubi Dominus loquens ad Achaz ait illi: Pete tibi signum a Domino Deo tuo in profundum, sive in excelsum. Et dixit Achaz: non petam, & non tentabo Dominum: & dixit: Audite ergo domus David ... Dabit Dominus ipse vobis signum: Ecce Virgo concipiet & pariet filium, & vocabitur nomen ejus Emmanuel &c. Quod sane Oraculum perfecte impletum est in nativitate Salvatoris, qui natus est de Virgine, & est noster verus Emmanuel, hoc est, nobiscum Deus. Origenes reprehendit Celsum, quod Vaticinium hoc malo animo prætermiserit; ostenditque eodem tempore contra Judæos, qui negabant scriptum esse *Ecce Virgo*, sed *ecce Adolescentula*; ostendit, inquam, vocem *Alma*, quam septuaginta Interpretes per *Virginem* ἡ παρθένος, verterunt, in Deuteronomio (c) reperiri, ut Virginem significet. *Ecquod autem signum est*, inquit ille, *parere puellam non Virginem?* „ Et utri mulieri magis convenit ge„ nuisse Emmanuel aut nobiscum Deum, ei, quæ vi„ rum experta solito fœminarum more conceperit; „ an illi, quæ pura & intacta Virgo concepit? *Certe hanc magis decet.*

Octavum Vaticiniū. Isaia c. 7. vers. 10. 11. 12. 13. 14.

Lib. 5. contra Celsum. n. 14. & 35. pag. 352. & 353.

num. 35. Pag. 353.

IX. Nonum Vaticinium legitur capite 53. Isaiæ, in quo Propheta loquitur de nativitate Messiæ, de ignominia ejusdem passionis ac mortis, de ejus benignitate ac voluntaria oblatione, de ejus gloria, elevatione, ac multitudine eorum, qui in eum erant credituri. Origenes narrat, quod cum olim disputaret adversus illos ex Judæis, qui Sapientes vocantur, & uteretur illis vaticiniis; unus ex eis reposuit, illa intelligenda esse de uno eoque integro populo disperso & percusso, ut occasione dispersionis Judæorum inter plurimas gentes multi proselyti fierent. Verum Origenes illi Judæo hujus interpretationis falsitatem ostendit. „ Rogabam (verba sunt Origenis) quis ille esset „ qui dicebat: Iste peccata nostra fert, & pro nobis „ dolet; & illud: Ipse autem vulneratus est propter „ peccata nostra, & infirmatus est propter iniquitates „ nostras: & hoc aliud: Livore ejus sanati sumus. „ Clarum est enim, eos, qui apud Prophetam hæc lo„ quuntur, esse homines sive ex populo Judaico, sive „ ex Gentibus, qui peccatis dudum obnoxii Salvato„ ris passione salvati sunt. Sed, addit Origenes, illos „ (Judæos) maxime premere visum est illud: Propter „ ini-

Nonum Vaticiniū. Isaia c. 53.

Lib. 1. contra Celsū. num. 55. pag. 370.

(a) Osee, cap. 3. vers. 4.
(b) Lib. 1. advers. Hæres. cap. 3. num. 3.

(c) Cap. 22. vers. 23. & 25.

III. SÆCULUM.

„ iniquitates populi mei ductus est ad mortem . Si „ enim populus est, ut volunt, de quo prophetatum „ sit, quomodo propter iniquitates populi Dei hic ad „ mortem ductus dicitur, nisi sit alius a Dei populo? *Quis ille est autem, nisi Jesus Christus , cujus livore sanati sumus, quotquot in eum credimus?* Decipiuntur autem hac in re Judæi, quia, ut optime animadvertit Origenes, eos latet, duos a Prophetis prædictos esse Christi adventus; priorem humilem, & humanis infirmitatibus obnoxium; alterum gloriosum, divinum tantummodo, & ubi Divinitas nihil humanæ infirmitatis admixtum est habitura.

Ibid. n. 56. pag. 371.

Decimum Vaticiniũ. Osee c. 6. vers. 2. Homil. 5. in Exod. n. 2. pag. 144.

X. Decimum Vaticinium circa Incarnationem his continetur Osee verbis: Vivificabit nos post duos dies in die tertia suscitabit nos, & vivemus in conspectu ejus. In quæ verba, hæc animadvertit Origenes: *Prima dies nobis passio Salvatoris est; & secunda qua descendit in infernum ; tertia autem Resurrectionis est dies .*

Undecimum Vaticinium. Michææ c. 5. v. 2. Lib. 4. Periarch. n. 5. pag. 160. & Hom. 8. in Levit. num. 4. pag. 230. Duodecimum Vaticinium. Zachariæ c. 9. v. 9. Homil. 15. in Josue num. 3. pag. 432.

XI. Undecimum Vaticinium depromitur ex his Michææ verbis: & tu Bethleem Ephrata, parvulus es in millibus Juda: ex te mihi egredietur qui sit Dominator in Israel. Quo oraculo manifestum est , Prophetam designare locum Nativitatis Salvatoris, uti idem Origenes docet . Tandem vetustus iste Pater , post Evangelistam , agnoscit Vaticinium de adventu Jesu Christi in his Zachariæ verbis: Exulta satis filia Sion, jubila, filia Jerusalem: Ecce Rex tuus veniet tibi justus & Salvator: ipse pauper & ascendens super asinam, & super pullum filium asinæ. Quod quidem, inquit Origenes, respicit ingressum Jesu Christi in Jerusalem. Hæc sunt notabiliora, quæ in medium profert ac interpretatur Origenes vaticinia circa Incarnationem.

ARTICULUS SECUNDUS.

DE REALITATE INCARNATIONIS, DE DUABUS IN JESU CHRISTO NATURIS, AC UNA PERSONA.

I. De tribus apprime necessariis veritatibus in hoc Articulo disserere debemus, 1o. de Veritate, seu Realitate Incarnationis, 2o. de duabus in Jesu Christo Naturis, 3o. de una in eodem Persona. Quæ quidem veritates in re theologica maximi sunt momenti. Prima siquidem confundimus quosdam Hæreticos, Phantasticos olim appellatos, qui delirantes opinabantur, Nativitatem, vitam, ac mortem Salvatoris non reipsa extitisse sed tantummodo apparenter : secunda silentium imponimus Euthichianis; qui duas in Christo naturas confundentes, unam solum in eodem astruebant. Tertia os obstruitur Nestorianis, qui duas in Christo admittentes Naturas duas pariter admittebant Personas,

Veritas Incarnationis. Præfat. in 1. Lib. Periarch. n. 4. pag. 48.

II. Ad veritatem Incarnationis quod attinet, pluribus in locis perspicue hanc tuetur Origenes : ait enim: *Jesus Christus natus & passus est in veritate , & non per phantasiam . . . vere mortuus, vere . . . a mortuis resurrexit, & . . . assumptus est .* Et in suo opere contra Celsum, sibi semper constans Origenes in eadem tradenda Doctrina, habet: *Quod ex Virgine natum est, id corpus erat ex humana materia constans, & quod humanis vulneribus esset, mortique obnoxium .* τὸ γὰρ γεγεννημένον ἀπὸ τῆς παρθένου σῶμα ἦν ἀπὸ τῆς τῆς ἀνθρωπίνης ὕλης συνεστηκὸς, δεκτικὸν τῶν ἀνθρωπίνων τραυμάτων καὶ θανάτου . Docet pariter in eodem opere contra Celsum, Christum non specie tenus, sed vere ac manifeste ad homines advenisse : *Non specie tenus Jesum , sed vere ad homines & manifeste advenisse.*

Lib. 3. contra Celsũ. num. 25. pag. 462. & Lib. 4. contra Celsũ. num. 19. pag. 513.

III. Verum Realitas Incarnationis non de solo corpore Jesu Christi prædicari debet, sed etiam de anima; ideoque sicuti Christus assumpsit corpus humanum nostro simile; ita pariter & nostræ similem animam assumpsit. Hoc manifeste supponit Origenes quando ait: *Animam . . . Jesu . . . Dei Filio intima participatione unitam*, (fuisse) *nec unquam ab illo separandam*. Quod sane dici non potest, quin tribuatur Christo Jesu vera anima, & a Verbo distincta . Cæterum vir perfectus agglutinatus est Verbo, juxta phrasim Origenis: *Virum perfectum agglutinari virtute , & uni Verbo ipsi*. Vir autem perfectus necessario constat corpore & anima humana. Uno verbo tristitiam passus est Christus, cæterisque naturalibus hominis passionibus obnoxius fuit: quæ omnia convenire non possunt nisi animæ, quæ nostræ sit similis.

Lib. 5. contra Celsũ. num. 47. pag. 669. Ibid. n. 48. pag. 670. Tract. 35. in Sanct. Matth. Tom. II. Geneb. pag. 115.

IV. Nec Incarnatio in sua realitate sumpta, indecora potuit esse ac probrosa Filio Dei. Nam primo loco, Verbum nullam alterationem passum est humanam carnem assumens, sed mansit quod erat; *Et homo factus, mansit, quod erat, Deus.* Celsus utique oppositum magna ostentatione pronuntiabat , & Christianis objiciebat, quod si Verbum ad homines descendit, id profecto sine mutatione fieri non potuit: hinc occasionem arripiebat impugnandi ejus Divinitatem. Origenes vero egregie eidem Celso reponit, Verbum nulli mutationi in Divina sua natura obnoxium fuisse cum ad homines descendit: „ Id autem, inquit ille, quod ad „ homines descendit, erat *in forma Dei*, & præ suo in homines amore *semetipsum exinanivit*, ut ab illis „ comprehendi posset. Neque idcirco ex bono in ma„ lum mutatus est (ut Celsus Epicuri discipulus asse„ rebat) *Peccatum enim non fecit . . . Semetipsum hu„ miliavit, nihil suæ felicitatis amittens . . . Sciat ille* „ (*Celsus*) prosequitur idem Origenes, *Verbum natu„ ra manens Verbum, nihil eorum pati, quæ corpus aut „ anima patitur*.

III. SÆCULUM. Præfat. in 1. Lib. Periarch. n. 4. pag. 48.

Lib. 4. contra Celsũ. n. 14. & 15. pag. 510. & 511.

V. Si Verbum assumpsit corpus materiale, sicuti est nostrum ; tamen est corpus purum , corpus castum , corpus in sinu Virginis efformatum absque ullo viri commercio, & absque minima sensuali voluptate, ut, referente Divo Hieronymo, (*a*) docet Origenes. Constat igitur, juxta Origenis mentem, Divinitatem Verbi nullam passam esse læsionem a corpore in Virginis utero efformato, & quod inservire debebat saluti humani generis. Verum insuper est, Verbum in anima passum esse infirmitates naturæ humanæ, quemadmodum paulo supra diximus; at infirmitates hujusmodi omnino voluntariæ erant in Christo Domino, involuntariæ autem sunt cæteris hominibus : earum Christus erat Dominus ac moderator absolutus; cum tamen eædem hominibus cæteris dominentur. Deinde infirmitates has omnes ut homo passus est Christus, non ut Deus . Jure merito igitur Origenes alibi ait, uti supra vidimus: *Et homo factus, mansit, quod erat, Deus.*

Lib. 6. contra Celsũ. num. 73. pag. 687. Tract. 15. in Matt. Tom. II. Geneb. pag. 115. Præfat. in 1. Lib. Periarch. n. 4. pag. 48.

VI. Duas pariter in Christo Naturas agnoscit Origenes, atque manifeste adeo hoc Dogma tuetur , ut de ejus orthodoxa fide quoad hanc veritatem nemini dubitare fas sit. „ *Primo illud nos oportet scire* , in„ quit ille, *quod aliud est in Christo Deitatis ejus na„ tura* ; (per quam est Unigenitus filius Patris) *& „ alia humana natura* (quam in novissimis tempori„ bus pro dispensatione suscepit.„ Et alio loco circa alias Christi naturas mentem suam hoc pacto aperit: „ Cum ergo in eo (Christo) quædam ita videa„ mus humana, ut nihil a communi mortalium fragi„ litate distare videantur; quædam ita divina, ut nul„ li alii , nisi illi primæ & ineffabili naturæ conve„ niant Deitatis, hæret humani intellectus angustia, „ & tantæ admirationis stupore percussa quo declinet, „ quid teneat, quo se convertat, ignorat . Si Deum „ sentiat mortalem videt: Si hominem putet , devi„ cto mortis imperio cum spoliis redeuntem a mor„ tuis cernit. Propter quod cum omni metu & reve„ rentia contemplandum est, ut in uno eodemque ita „ utriusque naturæ veritas demonstretur, ut neque ali„ quid indignum & indecens in Divina illa & ineffa„ li substantia sentiatur, neque rursum quæ gesta sunt, „ falsis illusa imaginibus existimentur . „ Plura alia Origenis loca afferre possemus, in quibus eandem veritatem pari præcisione ipse tradit : quia vero nemo adhuc eum erroris insimulavit quoad hunc articulum ; hinc contenti erimus addere quod ille tradit libro primo contra Celsum : quod Magi scilicet *Ut Regi aurum, ut morituro myrrham, ut Deo thus obtulerunt* . Quod quidem necessario duas designat in Christo Naturas; Divinam, & humanam.

Duæ Naturæ in Jesu Christo. Lib. 1. Periarch. c. 2. n. 1. p. 53. Lib. 2. Periarch. c. 6. n. 2. p. 90. Lib. 1. contra Celsũ. num. 60. pag. 375.

VII. Verum duæ istæ naturæ, licet diversæ inter se uniuntur tamen perfectissime in Christi Jesu Persona : hypostatice uniuntur, hoc est, ex duabus istis naturis una resultat Persona. Id docet Origenes primo loco quando in secundo Periarchion libro ait, Verbum incarnatum appellari uno eodemque tempore & Filium Dei, & Filium hominis; & hac de caussa in Sacris litteris divinam naturam humanis vocabulis appellari, & humanam decorari insignibus divinæ nuncupationis. *Et hac de caussa per omnem Scripturam tam divina natura humanis vocabulis appellatur , quam humana natura divinæ nuncupationis insignibus decoratur .* „ Magis „ enim de hoc, subjungit Origenes , quam de ullo „ alio dici potest quod scriptum est, (*b*) quia erunt „ ambo in carne una, & jam non sunt duo, sed ca„ ro una.„ *Magis enim Verbum Dei cum anima , in carne una esse, quam vir cum uxore putandum est .* Nescio, an majori præcisione una in Jesu Christo Persona adstrui possit: quippe, idem est & Filius Dei, & Filius

Una Persona in Jesu Christo. Lib. 2. Periarch. c. 6. n. 3. p. 90.

(*a*) Epist. 38.

(*b*) Genes. cap. 2. vers. 24. & Marc. c. 10. vers. 8.

III. SAECULUM.

Filius hominis; natura divina Salvatoris humanis vocabulis appellatur, ejusque natura humana insignibus nuncupationis divinae decoratur; duae illius Naturae unam constituunt eamdemque Personam, earumque unio major ac intimior est, quam unio viri cum uxore: igitur hoc loco agitur de unione hypostatica, adeoque de Unitate Personae in Jesu Christo.

VIII. Origenes idem semper est in tradenda tuendaque hac veritate. Hinc docet pariter in suo Opere contra Celsum, neminem separare debere Filium Dei a Jesu; quia Verbum Dei post Incarnationem hypostatice unitum est animae & corpori Christi Jesu: *Verbum enim Dei cum anima & corpore Jesu, unum maxime post dispensationem factum est. ἓν γὰρ μάλιστα μετὰ τὴν οἰκονομίαν γεγένηται πρὸς τὸν λόγον τοῦ Θεοῦ ἡ ψυχὴ καὶ τὸ σῶμα Ἰησοῦ.* „ Nam si quisquis intelligit, subjungit „ idem Origenes, quid sit adhaerere Domino, & illi „ adhaeret, is cum ipso unus est Spiritus, ut Paulus „ docet his verbis (*a*): Qui adhaeret Domino, unus „ spiritus est: quanto divinius, quanto sublimius unum „ cum Verbo Dei factum est id, quod tum cum illo „ compositum fuit „. Unio haec adeo sublimis est, adeo mirabilis, ut Christi corpus & anima, ambo in partem Divinitatis vocata sint, ut expresse asserit Origenes hisce verbis: *Sciant Criminatores isti . . . . . . mortale ejus corpus, & humanam, quae in ipso est, animam, ad maximam dignitatem evecta fuisse . . . . ambo in partem vocata fuisse Divinitatis, & in Divinitatem fuisse conversa.* Quam veritatem illustrat ac explicat naturali quadam similitudine, quae ejus credibilitatem faciliorem reddit; & desumpta est a materia, quae per se omnis qualitatis expers est, qualitates tamen induit, qualescumque Deus illi circumdare vult. „ Quae quidem opinio si sana est, inquit Ori„ genes, quid mirum, qualitatem, qua corpus Jesu „ mortale indutum erat, Dei volentis providentia, in „ aetheream divinamque mutatam fuisse „. Caeterum quisque caveat, ne hic simul confundat duas naturas, nec proprias ac peculiares earumdem operationes; nam hoc pacto recederet a vera ac germana Origenis doctrina, quae absolute adversatur errori Euthichetis; quemadmodum numero sexto hujus articuli demonstravimus.

Sequitur idem argumentum. Lib. 2. contra Celsum. num. 9. pag. 394.

Lib. 6. contra Celsum. num. 41. pag. 474.

IX. Bina supersunt & quidem pulcherrima Origenis loca, quae orthodoxam ejus fidem circa Unitatem Personae in Christo Domino peregregie manifestant. In primo ipse docet apertissime, naturam humanam in Christo unitam esse & agglutinatam Verbo: *Virum perfectum agglutinari virtute, & uniri Verbo ipsi*; animam Jesu summa & excellenti communione cum Verbo conjunctam esse, & Jesum, Filium hominis, separari non posse ab Unigenito Dei Filio, & Primogenito omnium Creaturarum cum iste aliud non sit ab illo: *Immo totus Jesus non separetur ab unigenito & primogenito creatura, nec aliud sit ab illo.* In secundo vero respondet Celso objicienti, impossibile esse, quod Deus humanis infirmitatibus & morti obnoxius sit: respondet, inquam, ac refellit hanc objectionem scribens, nec infirmitates humanas passum esse Deum ac mortem prout Deus est, sed prout est homo; ideoque duas distinguendas esse in Christo Jesu naturas; nullumque Christianum, vel inter simplicissimos haberi, qui dicat mortuam esse veritatem, aut vitam, aut viam, aut panem vivum, qui de coelo descendit, aut resurrectionem; licet seipsum resurrectionem, viam, vitam &c. appellet Christus in Evangelio: *Nullum Christianum videas vel inter simplicissimos . . . qui dicat mortuam esse veritatem, vitam &c. Nam & Filius Dei*, habet alibi idem Origenes, *mortuus esse dicitur, pro ea scilicet natura, quae mortem utique recipere poterat.* Accuratius nihil quoad Incarnationem nec dici, nec desiderari potest.

Lib. 3. contra Celsum num. 41. pag. 670.

Lib. 7. contra Celsum n. 15. & 16. pag. 704. & 705. Lib. 3. Periarch. c. 6. n. 3. pag. 90.

ARTICULUS TERTIUS.

De Caussis Incarnationis, aliisque veritatibus, quae ad hoc Mysterium referri possunt.

Caussae Incarnationis. Homil. 24. in Num. n. 1. pag. 362.

I. CAussa Incarnationis, juxta Origenem fuit salus hominum: ait enim: *Pone . . . . . non fuisse peccatum, nec opus fuerat eum (Christum) in carne positum jugulari.* Verum quoniam introivit peccatum in hunc mundum, peccati autem necessitas propitiationem requirit, & propitiatio non fit nisi per hostiam, necessarium fuit providere hostiam pro peccato. *Et quis alius salvum facere . . . . humanam animam potest, quam Deus Verbum?* Qui cum esset in principio apud Deum, propter eos qui carni agglutinati, immo caro fuere, factus est caro, ut capiatur ab eis, qui videre ipsum non poterant, quatenus Verbum erat, & apud Deum erat, & Deus erat.

Lib. 6. contra Celsum num. 68. pag. 684.

II. Voluntarie, non coacte, Dei Filius mortem subiit pro peccatis nostris: & quemadmodum volens suscepit corpus, sic etiam suscepit quidquid illi molestiam parit. Poterat, si noluisset, in manus hominum non venire: *Venit, quia voluit.* Sed Jesus, inquiebat Celsus, captus est? respondet vero Origenes: *Si capi, volentis est, non captus est Jesus.* Nam opportuno tempore in potestatem hominum venire se passus est ut Agnus Dei, quo peccatum mundi tolleret. Non cum fugeret captus est Jesus, sed nostrorum omnium caussa volens se tradidit: *Ex quo consequens est, ut, si vinctus sit, vinctus sit volens.*

Jesus Christus passus est, quia voluit. Lib. 2. contra Celsum. num. 23. pag. 408. Ib. p. 395. num. 10. pag. 397. num. 11.

III. Christus vere mortuus est, vere resurrexit & ad coelos ascendit: & inter alias caussas mortuus est palam in cruce, ut confirmaret veritatem mortis suae, necnon uno eodemque tempore suae resurrectionis. Verum antequam resurgeret descendit ad inferos ut liberaret Sanctos ibidem detentos, ut mortem vinceret, non ut a morte vinceretur. *Descendit ad illa loca, non tamquam servus eorum qui ibi erant, sed tamquam Dominus decertaturus.* Porro, quid mirum, Christum descendisse ad inferos? „ Moyses id egit; reliqui Pro„ phetae non item? Nonne Samuel? Quidnam absurdi „ est, medicos ad male se habentes descendere? Quid „ absurdi est, principem Medicorum ad aegrotantes de„ scendere? . . . . Ne timeas, ne mireris. Christus „ in infernum descendit, & ante eum Prophetae, qui „ ejus adventum praedicebant . . . . Annon Christus „ erat, licet aliquando apud inferos fuerit? Annon „ fuit Filius Dei, licet in subterraneis degeret lo„ cis? „ Hinc Christus ad inferos descendens nullam passus est ignominiam.

Mors Jesu Christi. Lib. 2. contra Celsum. num. 56. pag. 430. & 431. Homil. 9. in Jerem. pag. 101. Edition. Huet. & in Lib. Reg. pag. 494. Recent. Edition. Tom. II. pag. 495. pag. 496.

IV. Christum post suum ad inferos descensum resurrexisse, altera veritas est aeque certa & indubitata. Christus Cruci affixus est palam judaeis omnibus, ejusque corpus de cruce, inspectante populo, sublatum est, & in sepulcro positum: exinde resurrexit, sicuti Prophetae, immo & ipse, praenuntiaverant. Primo visus est Cephae, & post hoc duodecim Apostolis; deinde visus est plusquam quingentis fratribus simul. Cum Thomas in animum sibi inducere non posset, Christum vere surrexisse eo corpore, quod priori simile esset, eidem apparuit Christus, & cum illum ad se advocasset dixit: Inter digitum tuum huc, & vide manus meas, & affer manum tuam, & mitte in latus meum, & noli esse incredulus, sed fidelis. Novissime autem omnium visus est & Divo Paulo, ut ipse narrat in prima ad Corinthios epistola (*b*). Si non se omnibus post resurrectionem conspiciendum dedit Christus, magnum mysterium est, quod perscrutari non licet. Immo ne Apostolis quidem suis praesens semper aderat, nec semper videbatur, sed ex intervallis. Si aliqua hujusce dispensationis caussa afferri potest, haec erit, Christum voluisse omnium imbecillitati parcere. Non alia igitur caussa, quin se omnibus monstraret, abstinuit, quam quod virium sibi videndo imparium rationem haberet, & ideo Discipulis suis non semper praesens aderat, quia aspectum ejus sine ulla intermissione ferre non poterant.

Resurrectio Salvatoris. Lib. 2. contra Celsum. num. 56. pag. 430. Ibid. n. 63. pag. 434. Ibid. n. 61. pag. 433. Ibid. n. 61. pag. 434. Ibid. & pag. 435. pag. 436. num. 65. pag. 436.

V. Caeterum dubitari nequit de veritate hujus Resurrectionis, cum hanc unanimiter testentur Apostoli, hujusce portenti oculati testes. Sane si iidem Apostoli eum a mortuis suscitatum non vidissent, nec eum divinum quidpiam esse persuasum habuissent, numquam in mentem iisdem venisset, doctrinam sibi a Jesu traditam docere; ac intrepide se periculis committere. Verum disseruimus jam alibi de hoc argumento, efficacissimo quidem ad comprobandam Jesu Christi Resurrectionem, necnon veritatem Religionis Christianae ostendendam. Resurrectio autem Christi e mortuis, eo prae caeterorum resurrectione magis digna admiratione est, quod caeteros Prophetae & Apostoli suscitarint; *Hunc (Christum) nemo (suscitavit), sed Pater, qui in coelis est.* Quo factum, ut uberiores ejus fuerint, quam aliorum resurrectionis fructus. Quid enim boni mundo peperit resurrectio parvulorum, quos e mortuis revocarunt Elias & Elisaeus, quod conferri possit cum commoditatibus, quae mundo redierunt ex Jesu resurrectione, postquam pervulgata est, & illam omnes, id agente divina virtute, crediderunt? Christus a Patre dicitur suscitatus, inquit Origenes alio loco; ipse Christus templum corporis sui post triduum suscitare se dicit: cum in aliorum resurrectione, homines propriis orationibus alios suscitarent.

Lib. 1. contra Celsum. num. 31. pag. 348. & 349.

Lib. 2. contra Celsum. num. 58. pag. 431. & 432.

Homil. 17. in Numer. num. 6. pag. 339.

VI. *Post Resurrectionem* (Christus) *assumptus est.* Verum ascensione sua non privavit homines bonis praesentiae suae, quia post assumptionem ejus in coelos in Apo-

Ascensio Jesu Christi qui Ecclesiae suae se per praesens adest. Prae-

(*a*) I. Corinth. cap. 6. vers. 17.

(*b*) Cap. 15. vers. 8.

III. SÆCULUM.

Apostolis suis locutus est, quibus, velut organis, Ecclesiam suam docuit. Hinc Apostolus in secunda ad Corinthios epistola scribit (a): An experimentum quæritis ejus, qui in me loquitur Christus? *Pontifex enim oblationum nostrarum, & apud Patrem advocatus est Filius; orat pro orantibus.* Et quidem unus Pontifex magnus Dominus noster Jesus Christus, sed ille non solum Sacerdos, sed & Sacerdotum Sacerdos est; & non solum Pontifex, sed Pontificum Pontifex, nec Sacerdotum Princeps, sed Princeps Principum Sacerdotum. *Jam ad summum Deum ascendit ille, qui.... ipsum colit per Filium Dei .... qui Filius solus Deo conciliat, quicumque ad Deum conantur accedere.* Huic (Christo) supplicamus, rogantes, ut, cum sit propitiatio pro peccatis nostris, & Pontifex magnus, vota, victimas, precesque nostras summo Deo offerat. In illo autem fiduciam nostram ponere debemus, etiamsi in mundo premamur: dixit quippe discipulis suis, antequam in cœlos ascenderet: Pacem relinquo vobis, pacem meam do vobis (b): & victoriam de mundo nobis promisit.

Sel. in Jeremiam cap. n. 4. Pag. 48. *Ibid.* p. 47. *Tract. de Orat.* T. 1. Rec. Edition. n. 10. pag. 212. *Homil.* 6. *in Levit.* num. 2. pag. 216. Lib. 8 *contra Celsũ.* num. 4. pag. 746. *Ibid.* n. 13. pag. 751. num. 14. pag. 752.

Virtus & efficacia sancti Nominis Jesu. Lib. 1. *contra Celsũ.* num. 67. pag. 381. Lib. 3. *contra Celsũ.* num. 36. pag. 471. Lib. 1. *contra Celsum.* num. 6. pag. 325. *Ibid.*

VII. Nomen Jesu, inquit Origenes, miræ erat virtutis & efficaciæ; ejiciebat enim dæmones, medebatur morbis &c. *Et hodieque Jesu nomen .... ejicit dæmones, medetur morbis*, Sanctum hoc nomen, integra fide pronuntiatum, dæmonibus est terribile. Christiani a corporibus expellebant dæmones pronuntiato nomine Jesu, recitatisque Evangeliis. *Quin immo*, prosequitur idem Origenes, *tanta nominis Jesu contra dæmones vis est & potentia, ut eos aliquando vincat etiam ab improbis pronunciatum.* Hæc sunt notabiliora, quæ habet Origenes quoad Mysterium Incarnationis.

Peculiares Origenis opiniones circa personam Salvatoris. Lib. 6. *contra Celsũ.* num. 75. pag. 689.

VIII. Addemus solummodo quasdam peculiares Origenis opiniones, quæ tolerari possunt, 1°. credidit, litteraliter accipiendum esse quod Isaias scribit de exteriori forma Messiæ hisce verbis (c): Non est species ei, neque gloria; & vidimus eum, & non habebat decorem, neque pulchritudinem. *Constat quidem*, ait Origenes, *e Scripturis, Jesu corpus fuisse aspectu deforme. Sed*, illico subjungit, *non etiam abjecto vultu*, (ut Celsus exponebat), *nec exigua statura.* 2°. docet idem Auctor, similitudinem quæ erat inter Jesum Christum, & Divum Joannem Baptistam, in caussa fuisse, cur quidam allucinarentur, & unum pro altero sumerent. Quam suam opinionem Scripturis probat: verum nihil concludit. 3°. contendit, secundum litteram intelligi non posse id quod de Salvatore in Evangelio (d) legimus; diabolum scilicet imposuisse Jesum in montem excelsum, ut inde ei universa mundi regna monstraret, & gloriam eorum. „ Quomodo enim fieri potuit, inquit ille, ut diabolus carnalibus Jesu „ oculis tamquam subjecta, & adjacentia uni monti „ omnia mundi ostenderet regna; idest Persarum, Scy„ tharum, & Indorum? „ 4°. docuit insuper, quod Jesus, quamvis unus esset, plura tamen erat pro varia illum considerandi ratione, nec eodem modo inspicientibus omnibus videbatur; ideoque eumdem non semper intuentibus visum fuisse, sed pro intuentium captu. 5°. tradidit, Corpus Jesu Christi post ejusdem resurrectionem, habuisse naturam aerei corporis & spiritualis: *Non dissimulat (e) naturam aeree corporis & spiritualis.* 6°. Videtur docere, Mortem Christi Domini omnibus profuisse ratione præditis creaturis, ut Angelis, Dæmoniis, immo etiam insensibilibus rebus. 7°. finxit spiritualem quamdam mortem Jesu Christi in cœlo, unde orta occasio eum accusandi, quod crediderit, Christum pluries mortuum esse. Inficiari nequit, postremas has duas opiniones nimium esse periculosas: verum errores isti, inquit Dominus Dupinius (f), leves sunt, & veteribus communes.

Tom. 9. *in S. Joann.* pag. 138. Edition. Huet. T. 2. Lib. 4. *Periarch.* num. 16. pag. 175. Lib. 2. *contra Celsũ.* num. 64. pag. 435. & 436. Tom. 1. Recent. Edit. p. 37. *Homil.* 1. *in Levit.* n. 3. pag. 186. & alibi. Lib. 4. *Periarch.* num. 25. pag. 188.

CAPUT NONUM.

DE SACRAMENTIS NOVÆ LEGIS.

§. I.

BAPTISMUS.

Baptismus Sanguinis magis excellens, quam Baptismus aquæ.

I. INnumera occurrunt in Origene, & quidem notabilia loca circa quodlibet novæ legis Sacramentum; & ut ordiamur a Baptismo, eorum scilicet primo, Origenes binum agnoscit Baptismum, sanguinis, & aquæ: *Baptisma sanguinis, & Baptismus aquæ*, ipse scribit in quadam Homilia in Judices. Illud autem singulare in eodem deprehenditur, quod pluris facit Baptismum sanguinis, quam Baptismum aquæ, *Baptisma enim sanguinis*, inquit ille, *solum est, quod nos puriores reddat, quam aqua Baptismus reddidit*. De hoc Baptismo sanguinis dicit Christus ad Discipulos suos (g): Baptismo habeo baptizari: & quomodo coarctor, usque dum perficiatur? „ Vides ergo, pro„ sequitur Origenes, quia profusionem sanguinis sui „ Baptisma nominavit. Et ne ista dicens offendam, „ *Vereor ne istud Baptisma eminentius sit illo Baptis„ mate, quod per aquam traditur.* Hoc autem sic pro„ bat. Illo enim accepto, (Baptismo aquæ) valde „ pauci sunt ita beati, qui id immaculatum usque ad „ exitum vitæ servare potuerint „: *Hoc vero (Sanguinis) Baptismo qui baptizatus fuerit, peccare jam ultra non potest. Per illud Baptisma (aquæ) præterita peccata purgantur; per istud vero, (sanguinis) etiam futura perimuntur. Ibi peccata dimissa sunt, hic exclusa.* Hac præcise de caussa Origenes superius dixit, Baptismum sanguinis puriores nos reddere, quam Baptismum aquæ; quoniam præteritorum peccatorum remissio in utroque æque conceditur, ut apertissime ex Origene eruitur.

III. SÆCULUM. *Homil.* 7. *in Judic.* Tom. II. Recent. Edit. n. 2. Pag. 473.

Materia Sacramenti Baptismi. Lib. 5. in Epist. *ad Roman.* Tom. II. Geneb. pag. 182. Tom. II. Geneb. pag. 124.

II. Materia Sacramenti Baptismi non alia est secundum hunc Scriptorem, quam aqua visibilis & visibile chrisma. *Omnes baptizati sumus*, inquit ille, *in aquis istis visibilibus, & in Chrismate visibili .... Lavacrum aquæ*, inquit Pater iste in Divum Joannem, *symbolum .... existens purificationis aquæ ...., nihilominus, etiam ex se, esse principium ac fontem munerum divinorum propter potentiam invocationum adorandæ Triadis.* Ex quibus verbis uno eodemque tempore aperte constat, invocationem Sanctissimæ Trinitatis esse formam Baptismi, necnon Sacramentum hoc operari ex se, ex propria virtute: *ex se*,

Forma hujus Sacramenti. Lib. 5. in *Epist. ad Romanos.* Tom. II. Geneb. pag. 184.

III. „ Requiras fortassis etiam hoc, inquit Origenes „ alio loco, quod cum ipse Dominus dixerit ad Di„ scipulos, ut baptizarent omnes gentes in nomine „ Patris, & Filii, & Spiritus Sancti, cur hic Apo„ stolus (de Baptismo verba faciens in sua ad Roma„ nos Epistola) solius Christi in Baptismo nomen as„ sumpserit dicens: Quicumque baptizati sumus in „ Christo, cum utique non habeatur legitimum baptis„ ma, nisi sub nomine Trinitatis, Sed intuere pruden„ tiam Pauli, quoniam quidem in præsenti loco non „ tam baptismatis rationem, quam mortis Christi di„ scutere cupiebat, ad cujus similitudinem etiam nos „ suaderet mori debere peccato, & consepeliri Christo; „ & non erat conveniens ut ubi de morte dicebat, „ vel Patrem nominaret, vel Spiritum Sanctum ... „ Nec conveniebat ut diceret in nomine Patris, vel „ in nomine Spiritus Sancti &c. ... Per quod osten„ dit, quia tunc, hoc est Apostolorum temporibus; „ non, ut nunc fieri videmus, typus tantummodo my„ steriorum his qui baptizantur, sed virtus eorum ac ra„ tio tradebatur, & tamquam scientibus & edoctis, „ quia qui baptizantur, in morte Christi baptizan„ tur & consepeliuntur ei per baptismum in mortem; „ & quia sicuti Christus surrexit a mortuis per glo„ riam Patris, ita in novitate vitæ ambulare debeant „ hi qui baptizati sunt „. Hoc pacto Origenes egregie resolvit omnem difficultatem, quæ promoveri posset contra absolutam necessitatem invocandi tres Divinas Personas in ministratione Baptismatis.

Effectus hujus Sacramenti. *Homil.* 4. *in Cantic.* Tom. I. Geneb. pag. 345.

IV. Cæterum, etsi verum, indubitatumque sit, ut modo diximus, per hoc Sacramentum, collatum aqua & invocatione Sanctissimæ Trinitatis, dimitti peccata, amputari, exsecari: *Amputantur, excusantur*, ut, inquit Origenes; certum nihilominus est, prout idem Origenes docet, gratiam Baptismi, sicuti & cæterorum Sacramentorum, provenire nobis a Christo Jesu, de cujus latere aqua processit & sanguis; *Omnis purificatio peccatorum, etiam hac, qua per pœnitentiam quæritur, illius ope indiget, de cujus latere aqua processit & sanguis.* Adest igitur quoad Baptismum dispensator sapiens & prudens; qui dat vel denegat hujus Sacramenti gratiam, juxta meritum vel indignitatem eorum, qui baptizantur, Non omnes qui Baptismi aqua loti sunt, illico accipiunt gratiam Spiritus Sancti, sive remissionem peccatorum. Simon Magus Baptismum receperat, non autem salutis gratiam: *Ingentis est difficultatis, eum qui lavatur, lavari in salutem.* Sed & vos, qui Sacrum Baptisma desideratis accipere (Catechumenos alloquitur hoc loco Origenes), & gratiam Spiritus promereri, cum necessariis dispo-

(a) Cap. 13. vers. 3.
(b) Joann. cap. 14. vers. 27.
(c) Isai. cap. 53. vers. 2.
(d) Matth. cap. 4. vers. 8.
(e) S. Hieronym. Epist. 38. ad Pammachium.
(f) Tom. I. Biblioth. Ecclesiast. pag. 417.
(g) Luc. cap. 12. vers. 50.

III. SÆCULUM.

Gratia non datur omnibus indiscriminatim, qui Baptismi aqua loti sunt. Homil. 3. in Numer. Tom. II. Recent. Edition. pag. 280. num. 1.

dispositionibus ad hoc Sacramentum accedere debetis, ut possitis etiam gratiam Sancti Spiritus capere; & ne ex eorum numero sitis, qui aquam accipientes, nequaquam accipiunt Spiritum Sanctum. *Neque omnes*, inquit alio loco Origenes, *qui loti sunt aqua, continuo etiam Sancto Spiritu loti sunt.* Invenio enim, prosequitur ipse, in Scripturis Divinis nonnullos Catechumenorum dignos habitos Spiritu Sancto, & alios accepto Baptismo indignos fuisse Sancti Spiritus gratia. „ Cornelius, ait Origenes, Catechumenus erat, „ & antequam ad aquam veniret meruit accipere Spiritum Sanctum. Simon Baptismum acceperat, sed „ quoniam cum hypocrisi accessit ad gratiam, repudiatur a dono Spiritus Sancti. Nolo dubites & nunc „ esse in populo Catechumenorum aliquos Cornelios, „ ad quos dici possit, quia misericordiæ & orationes „ tuæ ascenderunt in cœlum; & rursum in populo fidelium esse aliquos Simones, quibus confidenter dicendum sit: O plene omni dolo & fallacia, fili „ diaboli, inimice omnis justitiæ „. Igitur certum est, gratiam Baptismi non dari indiscriminatim iis omnibus, qui baptizantur, dignis & indignis; licet aliunde verum sit, Sacramentum hoc operari *ex se*, sive *ex opere operato*, juxta Sacrosancti Concilii Tridentini definitionem.

Dispositiones ad Baptismū. Lib. 3. contra Celsū. num. 51. pag. 481. Tom. I. Recent. Edition.

V. Ex hac veritate, gratiam scilicet Baptismi non dari indiscriminatim omnibus qui aqua loti sunt, sequebatur Origenis ætate, quod nemo ad Baptismum recipiendum cogebatur. Manifeste id eruitur ex dispositionibus, quæ ad recipiendum hoc Sacramentum requirebantur. Qui christianam Religionem amplecti optabant, inter Catechumenos recensebantur. Inter Catholicos vero quidam constituti erant, qui in vitam & mores eorum inquirebant, ut scelerum reis interdicerent aditu in suum commune Concilium; illorum autem dissimiles ex animo amplexi, meliores in singulos dies efficerent. Debebant Catechumeni antequam ad lavacrum accederent, pœnitentiam agere præteritorum peccatorum, a peccatis desistere, ostendere fructus dignos pœnitentiæ, facere aliquid temporis in conversatione bona, mundos se a cunctis sordibus vitiisque servare. *Tunc vobis remissio peccatorum*, hisce verbis Origenes alloquebatur Catechumenos, *quando cœperitis & ipsi propria peccata contemnere.* In remissionem peccatorum ille accipit Baptisma, qui peccare desistit: *Si quis enim peccans ad lavacrum venit, ei non fit remissio peccatorum.*

Sequitur idem argumentū. Homil. 8. in Exod. Tom. II. num. 4. pag. 158. Recent. Edition.

VI. Præter has remotas dispositiones, aliæ erant proximiores, quæque immediate ante Baptismum exigebantur. „ Cum ergo venimus ad gratiam Baptismi, inquit „ Origenes, universis aliis Diis & Dominis renuntiamus, solum confitemur Deum Patrem, & Filium, „ & Spiritum Sanctum: (quod quidem probat, Catechumenos profiteri solitos se credere in Trinitatem) „ Sed hoc confitentes, nisi toto corde diligamus Dominum Deum nostrum, & tota anima, & tota virtute adhæreamus ipsi, non sumus effecti pars Domini „. (ex quo eruitur, quod in Catechumenis requirebatur pariter dilectio in Deum). Insuper Catechumeni renuntiare debebant Diabolo, ejusque operibus, pompis, ac voluptatibus. *Recordetur unusquisque fidelium*, inquit Origenes Homilia 12. in Numeros, *cum primum venit ad aquas Baptismi . . . quibus ibi tunc usus sit verbis, & quid renuntiaverit Diabolo: non se usurum pompis ejus neque operibus ejus, neque ullis omnibus servitiis ejus ac voluptatibus pariturum.* Sed neque aquam de lacu Diaboli pollicebantur se esse potaturos; scilicet non ultra sumere potum disciplinæ diabolicæ, non astrologiæ, non magicæ, non ullius omnino doctrinæ, quæ contra Dei pietatem aliquid doceat. Hæ sunt dispositiones, quæ Origenis ætate exigebantur, & exiguntur etiam num hodie ab his qui ad lavacrum veniunt: & licet natura ægre ferat abdicationes istas, istas pollicitationes, nihilominus cum Origene fateri oportet, summe necessarium esse, adultos disponere ac præparare, ad digne suscipiendum Baptismum, ut possint omnium hujus Sacramenti donorum participes esse.

Abrenuntiationes tempore Baptismi peractæ. Homil. 12. in Numer. num. 4. pag. 316.

Baptismus parvulorū. Lib. 5. in Epist. ad Roman. pag. 351. Tom. II. Geneb.

VII. Nec adulti solummodo baptizabantur; verum & infantes, & quidem absque ullo scrupulo; cum infantes baptizare traditionis esse Apostolicæ crederetur. *Ecclesia*, inquit Origenes, *ab Apostolis traditionem accepit etiam parvulis baptismum dare.* At Sacramentum hoc semel collatum, iterari non poterat. *Meminerimus etiam nos peccasse*, sic Origenes alloquebatur Martyres, ut ad constanter perferenda tormenta animos adderet, *nec posse remissionem peccatorum sine Baptismate accipi; nos autem juxta Evangelicas leges iterum non posse baptizari aqua & spiritu in remissionem peccatorum.*

Baptismus iterari non potest. Exhortat. ad Martyr.

Tandem docet idem Origenes, arduum opus esse, Baptismi cæremonias explicare.

§. II.

EUCHARISTIA.

Tom. I. Recent. Edition. pag. 292. & 293. num. 30. Homil. 4. in Numer. num. 2. pag. 283.

VIII. De Eucharistia disserens Origenes, inter cætera, quæ observatione digna sunt, tradit, panem, qui in Ecclesia offertur, propter orationem fieri corpus quoddam sanctum, quod largitur Sanctitatem manducantibus bono proposito, hoc est optimis dispositionibus. *Nos*, inquit ille, *qui hujus universitatis gratias agimus, cum precibus & gratiarum actione, oblatos edimus panes, qui propter orationem fiunt corpus quoddam sanctum, quod sano proposito manducantibus sanctitatem largitur.* Manna, habet alibi, Judæis erat cibus; Verum, in specie caro Verbi Dei est verus cibus, sicut & ipse (Christus Dominus) dicit (a): Caro mea vere est cibus, & sanguis meus vere est potus. *Communicare non times Corpus Christi*, inquit alio loco, ad peccatores sermonem convertens, *accedens ad Eucharistiam, quasi mundus & purus.* „ Non recordaris illud quod scriptum est (b), quia propterea in „ vobis infirmi, & ægri, & dormiunt multi? Quare „ multi infirmi? Quoniam non seipsos dijudicant, ne„ que seipsos examinant, *Nec intelligunt . . . . quid est accedere ad tanta & tam eximia Sacramenta?* Nescire me fateor, quomodo hæc Origenis loca explicari possent in figurato sensu Calvinistarum? Meridiana enim luce clarius est, vetustum hunc Patrem velle loqui de præsentia vera ac reali Corporis & Sanguinis Jesu Christi in hoc Sacramento. Et ne insistamus postremo huic textui, in quo Origenes formaliter docet, Corpus Christi a fidelibus sumi in Eucharistia; quod quidem necessario supponit, Sanctum hoc corpus realiter esse in Eucharistia; num in diverso sensu accipi potest quod superius scribit idem Origenes; panem scilicet, qui in Ecclesia offertur, fieri corpus sanctum, quod bono proposito manducantibus Sanctitatem largitur? *Qui (panes) fiunt corpus sanctum.* Quodnam est autem illud corpus sanctum? si non est ipsum Christi corpus, ut paulo inferius inquit Origenes: *Communicare non times corpori Christi.* Quod sane corpus non est figuratum aut symbolicum, cum sit ipsa realitas illius cibi, cujus figura erat manna, quemadmodum aperte scribit Origenes in secundo loco ex præallegatis supra: ait enim: *Tunc in ænigmate erat manna cibus; nunc autem in specie caro Verbi Dei est verus cibus; sicut & ipse dicit: Caro mea vere est cibus &c.* Quo sane in loco manifestum est, realitatem Eucharistiæ, & figuram Mannæ invicem opponi.

Præsentia realis. Lib. 8. contra Celsū. num. 33. pag. 766. Homil. 7. in Numer. Tom. II. Recent. Edition. num. 2. pag. 390. In Psal. 6. Tom. II. Recent. Edition. num. 6. pag. 618.

IX. Docet insuper alibi Origenes Christianorum Pascha in hoc positum esse, quod manducent Verbi carnem: *Manducanda Verbi carne.* Et in quadam suarum Homiliarum in Exodum, fideles his verbis alloquitur: „ Volo vos admonere Religionis vestræ exemplis: nostis, qui divinis mysteriis interesse consuestis, quo„ modo cum suscipitis Corpus Domini, cum omni „ cautela & veneratione servatis, ne ex eo parum „ quid decidat: *Ne consecrati muneris aliquid delabatur. Reos enim vos creditis, & recte creditis, si quid inde per negligentiam decidat. Quod si*, prosequitur „ idem Auctor, *circa corpus ejus conservandum tanta utimini cautela, & merito utimini*: quomodo putatis „ minoris esse piaculi Verbum Dei neglexisse, quam „ corpus ejus? „ Num hæc scribere potuisset Origenes, si eadem cum Novatoribus sensisset circa præsentiam realem Jesu Christi in Sacramento Altaris? Si eorum opiniones jam adoptaverat, cur absolutis his verbis *Corpus Christi* usus est semper, absque eo quod unquam significaret, de figurato & symbolico corpore se loqui? Præterea, ad quid tanta veterum fidelium veneratio & cautela, ne consecrati muneris aliquid decideret; si in consecrato munere realiter solus panis aderat, Christus vero figurate tantum & symbolice? Sane Calvinistæ huic argumento haud facile possent respondere.

Sequitur idem argumentū. Lib. 8. contra Cels. num. 22. pag. 759. Homil. 13. in Exod. num. 3. pag. 176.

X. Cæterum, nostri, inquit Origenes, erga Deum grati animi symbolum nobis panis ille est, qui Eucharistia vocatur. Substantialis iste panis, rationali naturæ convenientissimus, ipsiusque substantiæ affinis, sanitatem simul & bonam habitudinem & vires in anima efficit, immortalitatemque suam (est enim immortale Verbum Dei) comedenti se communicat. Insuper, qui cum necessariis dispositionibus panem hunc manducant, efficiuntur filii Dei; Harum vero dispositionum præcipua est, conscientiæ puritas. *Cum acceperis panem mysticum*, inquit Origenes, *in loco mundo manduces*

Prærogativæ Eucharistiæ. Lib. 8. contra Celsū. Pag. 785.

(a) Joann. cap. 6. vers. 56.

(b) I. Corinth. cap. 11. vers. 28. 30.

III. SÆCULUM.

Tract. de Oration. Tom. I. Recent. Edition. num. 27. pag. 247. & 248.

Dispositiones ad sumptionē Eucharistiæ.

duces eum; *hoc est*, ut seipsum explicat, *ne in anima contaminata & peccatis polluta Dominici corporis Sacramenta percipias*. Mysticus iste panis appellatur Sancta Sanctorum: *Sancta enim Sanctorum sunt*. Nec simpliciter Sanctum appellatur, sed Sancta Sanctorum, ut ostendatur, hunc panem non esse communem omnium cibum, nec cujuscumque indigni, sed sanctorum: *Cibus iste sanctus non est communis omnium, nec cujuscumque indigni, sed Sanctorum est*. Quibus verbis validissime refelluntur futilia Lutheri deliramenta.

§. III.

De Poenitentia.

Varii modi delendi peccata. Homil. 14. in Levit. num. 3. pag. 260. & Homil. 2. num. 4. pag. 190.

XI. Ex prajacto principio nullo negotio infertur, eum digne percipere Eucharistiæ Sacramentum, qui innocentiam suam illæsam servavit, aut reparavit amissam. Hinc Origenes varias designat remissiones peccatorum, quæ ex Evangeliis colliguntur; & sunt, exempli caussa, temporales pœnæ, quibus a Deo in præsenti vita affligimur, martyrium, si remittimus peccata fratribus nostris, abundantia charitatis erga fratres nostros, cum converterit quis peccatorem ab errore viæ suæ; præcipuæ autem sunt Baptismus, & Pœnitentia. De Baptismo verba jam fecimus supra: superest igitur, ut loquamur de Pœnitentia; circa quam hæc quæ sequuntur modo, notabiliora sunt quæ in Origene occurrunt. Supponit primo loco, uti indubiam veritatem, & Jesu Christi auctoritate firmatam, Apostolos, eorumque Successores accepisse potestatem remittendi peccata, juxta hæc Salvatoris verba: Accipite Spiritum Sanctum: quorum remiseritis peccata &c. Sic enim se explicat Origenes in suo Tractatu de Oratione Dominica, in hæc verba: Dimitte nobis debita nostra &c. „ Habemus igitur omnes potestatem remittendi peccata in nos admissa, ut manifestum est ex „ his verbis Salvatoris. *Sed is, in quem Jesus insufflavit, ... dimittit quæ dimitteret Deus, & insanabilia peccata retinet*; ministrans, subjungit Origenes, soli dimittendi potestatem habenti Deo „. Deinde citatis verbis Christi Domini; Accipite Spiritum Sanctum &c. sic prosequitur: „ Quæ si absque „ examine accipiantur, accusandi videbuntur Apostoli, quod non omnibus remittant, ut omnibus remittatur, sed quorumdam retineant peccata, ita ut „ per eos etiam apud Deum retineantur. At sicuti „ prohibentur legis Sacerdotes pro quibusdam delictis „ offerre sacrificia . . . . Sic Apostoli, & qui similes „ Apostolis sunt Sacerdotes juxta magnum Pontificem, „ disciplina divini cultus instructi & a spiritu edocti, „ sciunt pro quibus peccatis, & quando, & quomodo „ offerre sacrificium oporteat, & pro quibus non oporteat etiam norunt „. Præterea queritur ibidem Origenes de quibusdam, qui sibi arrogant ea quæ sacerdotalem superant dignitatem, gloriunturque quasi possint etiam idololatriam condonare, adulteriaque & fornicationes remittere.

Apostoli, eorumque Successores potestatem acceperunt dimittendi peccata. Tract. de Oratione. num. 28. pag. 255.

Ibid. p. 256.

XII. In hunc Origenis textum animadvertere possumus 1°. quod potestatem dimittendi peccata habet solus Deus, tanquam caussa principalis & efficiens hujus remissionis. 2°. quod Ecclesiæ Ministri hanc potestatem a Christo Domino acceperunt; sed illa non utuntur, nec uti possunt, nisi tanquam ministri, & prout fert Dei voluntas. 3°. quod potestatem habent ligandi & solvendi peccatores: quod quidem supponit scientiam, qua sciunt quæ peccata oporteat solvere, & quæ retinere; adeoque supponit Confessionem. 4°. tandem Origenes prima fronte videtur limitare potestatem Ecclesiæ quoad majora peccata. Verum, si ejus mentem recte assequamur, compertum erit, loqui ibidem Origenem de Disciplina sui ævi, quæ non permittebat absolvere peccatores quorumdam majorum criminum reos; non quod Ecclesia vere non haberet potestatem ea crimina solvendi; sed ut fideles cohiberet, & a majoribus criminibus averteret, pro quibus semel tantum concedebatur poenitentiæ locus, sicuti Origenes ipse docet in quadam Homilia in Leviticum, hisce verbis: *in gravioribus enim criminibus, semel tantum pœnitentiæ conceditur locus*. Quod sane supponit necessario in Ecclesia potestatem absolvendi horum criminum reos; ideoque non ex defectu potestatis hanc pœnitentiam semel tantum concedebat Ecclesia, sed unice ut fideles averteret ab his gravioribus criminibus; de facili enim potuissent fideles, sicuti nostris hisce temporibus communiter evenit, Ecclesiæ indulgentia abuti, si non semel tantum, sed iterum ac sæpe pœnitentiæ locus remansisset.

Homil. 15. in Levitic. num. 2. pag. 262.

XIII. Dixi paulo supra, allatum Origenis textum supponere necessitatem confitendi peccata; cum potestas eadem solvendi vel ligandi Presbyteris concedatur: At alter occurrit modo in eodem Origene textus, qui apertissime hanc necessitatem tradit, ostenditque, fideles primis Ecclesiæ sæculis peccatorum confessionem peregisse. „ Vide ergo, inquit Origenes in „ hæc verba psalmi 37. *Quoniam iniquitatem meam* „ *pronuntio*: vide ergo quid edocet nos Scriptura Di„ vina, quia oportet peccatum non celare intrinsecus. „ Fortassis enim sicut ii qui habent intus inclusam „ escam indigestam; aut humoris vel phlegmatis sto„ macho graviter & moleste immanentis abundantiam, „ si vomuerint, relevantur: ita etiam hi qui peccave„ runt, si quidem occultant & retinent intra se pec„ catum, intrinsecus urgentur, & propemodum suffo„ cantur a phlegmate vel humore peccati. Si autem „ ipse sui accusator fiat, dum accusat semetipsum & „ confitetur, simul evomit & delictum, atque omnem „ morbi digerit caussam. *Tantummodo circumspice di*„ *ligentius, cui confiteri debeas peccatum tuum*. Proba „ prius Medicum, cui debeas caussam languoris expo„ nere; ita ut demum, si quid ille dixerit, qui se „ prius & eruditum medicum ostenderit, & misericor„ dem, si quid consilii dederit, facias, & sequaris; „ si intellexerit, & præviderit talem esse languorem „ tuum, qui in conventu totius Ecclesiæ exponi de„ beat, & curari, ex quo fortassis & cæteri ædificari „ poterunt, & tu ipse facile sanari, multa hoc deli„ beratione, & satis perito medici illius consilio pro„ curandum est „. Sentiant quid lubet Novatores de secreta & auriculari Confessione: certum indubitatumque est, hoc loco de eadem locutum esse Origenem; ut cuilibet recitata modo verba legenti perspicuum fiet. Desinant ergo condemnare hanc praxim veluti recenter introductam in Ecclesia Romana; Desinant, inquam, semetipsos jactare veluti viros tenaciter inhærentes doctrinæ ac praxi primorum Sæculorum Ecclesiæ.

III. SÆCULUM.

Secreta peccatorū confessio. Homil. 2. in Ps. 37. Recent. Edition. num. 6. Pag. 688.

XIV. Perspicuum insuper est ex eodem Origenis loco, Confessarium doctum & prudentem quandoque effecisse, ut peccatores publice exponerent propria peccata; & alia insuper occurrunt in Origene loca, quæ probant, Confessionem publicam tunc temporis, in usu fuisse. Docet quippe eadem in Homilia, peccatores quandoque consuevisse confiteri peccata occulta publice; nam quoad peccata publica, absolutæ necessitatis erat eadem exponere coram omni populo; & horum criminum rei inde excommunicabantur, nec expectato judicio Episcopi, uti testatur idem Origenes Homilia 14. in Leviticum. Nec valide excusare se poterant hujusmodi peccatores humana illa confusione, quam subire debebant exponentes propria peccata, præcipue occulta: nam 1°. reponit Origenes; homo pro his peccatis, quibus nunc confunditur coram hominibus, in die resurrectionis ante Angelos Dei, confusionem atque opprobria evadat. 2°. qui hoc pacto pronuntiat delictum suum; non est ex illis hypocritis, qui sunt ut sepulcra dealbata, quæ deforis quidem apparent hominibus speciosa; intus autem plena sunt omni immunditia. 3°. confusio hæc salutaris est, quia operatur salutem eorum qui illam subeunt. 4°. nemo erubescere debet, ea oculis hominum exponere, quæ manifesta sunt in conspectu Dei. 5°. *Quid expecto accusatorem*, verba Origenis sunt, *cum accusator meus conscientia mea meum sit? Sic forte*, prosequitur idem Doctor, *& ille* (Deus) *mihi parcet, si mihi ipse non parcam*. Momenta hæc omnia validissima sunt, & potiori jure inservire possunt pro Confessione auriculari.

Publica occultorū confessio. Ibid. n. 1. pag. 686.

XV. Hanc Confessionem commendat Origenes uti necessariam ad veram poenitentiam; in notione enim, quam perhibet ille hujusce Confessionis in secunda Homilia in Leviticum, hæc habet: *Est adhuc . . . . dura & laboriosa per pœnitentiam remissio peccatorum; cum lavat peccator in lacrymis stratum suum . . . & cum non erubescit Sacerdoti Domini indicare peccatum suum, & quærere medicinam*, „ secundum eum qui „ ait (a): Dixi; pronuntiabo adversum me injusti„ tiam meam Domino, & tu remisisti impietatem „ cordis mei. In quo, prosequitur Origenes, imple„ tur & illud, quod Jacobus Apostolus dicit (b): „ Si quis autem infirmatur, vocet Presbyteros Eccle„ siæ, & imponant ei manus, ungentes eum oleo „ in nomine Domini &c. „ Observandum hic obiter est Origenem in Divo Jacobo legere, *imponant ei manus*, cum tamen exemplaria omnia habeant, *orent super eum*. Fortasse vetustius hic Pater hoc modo vertere voluit allatum Jacobi textum, ut designaret impositionem manuum uti materiam Sacramenti Poenitentiæ. Saltem aliunde certi sumus, manus imponi consuevisse

Necessitas Confessionis. Hom. 2. in Levit. num. 4. pag. 191.

(a) Psalm. 31. vers. 14.

(b) Cap. 5. vers. 5.

III. SAECULUM.

fuevisse in Ecclesia per duodecim prima sæcula, & nomine impositionis manuum Sacramentum hoc designari consuevisse; uti non semel atque iterum, sed frequentissime in decursu hujus Operis perspectum fiet.

Integritas Confessionis. Homil. 3. in Levit. num. 4. pag. 196.

XVI. Cæterum, necessarium est, juxta Origenem, confiteri omnia peccata, tam quæ commisimus in occulto, quam quæ publica sunt, tam quæ commisimus in sermone solo, quam quæ intra solam cogitationem. *Etenim omni genere pronuntianda sunt . . . . . cuncta quæ egerimus, si quid in occulto egerimus, si quid in sermone solo, vel etiam intra cogitationum secreta commisimus, cuncta necesse est publicari, cuncta proferri.* Si in vita præveniamus eum (Diabolum), & ipsi nostri accusatores sumus, nequitiam ejusdem diaboli inimici nostri & accusatoris effugimus: prævenire ergo illum debemus, qui paratus est ad accusandum. Sed & David eodem spiritu loquitur in psalmis & dicit (a): Iniquitatem meam notam feci, & peccatum meum non cooperui. Dixi: pronuntiabo adversum me injustitiam meam, & tu remisisti impietatem cordis mei. *Vide ergo*, concludit Origenes, *quia pronuntiare peccatum, remissionem peccati meretur*. „ Præventus „ enim Diabolus in accusatione, ultra nos accusare „ non poterit: & si ipsi nostri simus accusatores, „ proficit nobis ad salutem: si vero expectemus ut a „ diabolo accusemur, accusatio illa cedit nobis ad „ pœnam „: *Habebit enim socios in pœna, quos convicerit criminum socios.*

Contritio peccatorum. Homil. 2. in Levit. num. 4. pag. 191.

XVII. Peccatorum confessioni adjungi debet, ut pœnitentia sit vera, dolor cordis contriti, & humiliati. Oportet lavare proprium stratum lacrymis, ut post Regium Psaltem inquit Origenes, & lacrymæ esse debent panis die ac nocte: *Cum lavat peccator in lacrymis stratum suum, & fiunt ei lacrymæ suæ panes die ac nocte.* Deus enim non miseretur nisi illorum, *qui peccata sua damnant toto pectore*, qui propter ea quæ fecerunt veluti lugent, & lamentantur seipsos quasi perditos, & dignam morum mutationem faciunt: hos recipit Deus propter ipsorum pœnitentiam. Virtus enim in eorum animas adveniens, & ex illis nequitiam, qua ante occupabantur ejiciens, oblivionem præteritorum impetrat. Hinc Ecclesia ut perditos & Deo mortuos lugebat eos, qui libidine, aut quovis alio crimine dejecti erant; nec eosdem recipiebat Origenis ætate, nisi eam morum mutationem fecissent, cujus ratio haberi deberet: *Recipiunt tandem post longiorem mentis approbationem*. Periculosum enim est, ut inquit Origenes, concedere peccatoribus veniam iniquitatum suarum; hac enim indulgentia *sceleribus panditur via*. *Pro mensura pœnitentiæ remissionis quantitas moderari debet*. Qui omnes justitias implevit, ille omnes abluit iniquitates; qui vero paucas, vel partem aliquam justitiæ operatus est; partem aliquam iniquitatum resolvit. Qui perfectam, & integram pro omnibus malis pœnitentiam gessit; iste simul omnem labem diluit peccatorum: *Si vero ex parte pœnituit, & ex parte jam meruit absolutionem*. Utinam omnes animarum moderatores veritates istas amplecterentur, & congruenter ad illas operarentur in tribunali pœnitentiæ.

Detestatio peccatorii, & emendationis propositum. Lib. 3. contra Celsum. num. 71. pag. 481.

Ibid. n. 51.

Periculum absolutionum præpropere impertitarum. Homil. 12. in Jerem. pag. 122. Tom. I. Huet.

Satisfactio peccatis coæquata. Homil. 2. in Psalm. 38. num. 4. pag. 697. & 698.

CAPUT DECIMUM.

DE MARIA, ET DE ANGELIS.

I. Etsi manifestum sit ex his quæ diximus ubi de Incarnatione verba fecimus, Mariam, Matrem Jesu Christi, concepisse, & peperisse Filium suum illæsa Virginitate, & semper Virginem fuisse, etiam post partum; nihilominus alia hic proferam Origenis loca, quæ eamdem veritatem ostendunt. Vetustus hic Pater explicans hæc Levitici verba: Mulier quæcunque conceperit semen, & pepererit masculum, Immunda erit septem diebus &c. (b); observat, Sacrum Scriptorem nequaquam frustra designasse hanc circumstantiam (*suscepto semine*); & hæc verba dicta fuisse, ut Maria inter cæteras mulieres non computetur, & ut ejus partus a communi pariendi modo distinguatur: *Vide*, inquit eruditus hic Doctor, *ne forte omnino hæc simul dicta sint, ne Maria, quæ juxta Prophetas, semine non suscepto peperit masculum, putaretur immunda esse genito Salvatore*. Addi etiam potest, quod *Lex ista . . . . ad mulieres pertinet*. *De Maria autem dicitur, quia Virgo concepit & peperit*. „ Ferant ergo legis onera mulieres; Virgines vero ab „ his habeantur immunes. Sed si nobis aliquis occur„ rat argutus, & dicat, quia & Maria mulier in Scri„ pturis nominatur, (agitur hic de eo Apostoli loco, „ in quo ait, Deum misisse filium suum *Factum ex* „ *muliere*) *Respondebimus ei, quia Apostolus mulie„ rem, non pro corruptela integritatis, sed pro se„ xus indicio nominavit. Est porro & ætatis istud vo„ cabulum*; ejus scilicet, qua fœminino sexui de an„ nis pubertatis exceditur, & ad id tempus, quo ha„ bilis viro videatur esse, transitur. Sicut & e con„ trario vir appellatur is, qui adolescentiæ tempus „ excesserit, etiamsi uxorem nondum habeat, cujus „ vir esse dicatur. „ Deinde allatis quibusdam aliis rationibus, quæ his similes sunt, sic concludit Origenes: „ Hæc ergo dicta sint nobis, de eo quod obser„ vavimus scriptum; quia non superfluo additur le„ gislator *concepto semine*, sed esse exceptionem my„ sticam, quæ solam Mariam a reliquis mulieribus se„ gregaret, cujus partus non ex conceptione seminis, „ sed ex præsentia Sancti Spiritus, & virtute Altissi„ mi fuerit. „

Virginitas Mariæ ante & post partum. Homil. 8. in Levitic. n. 1. & 2. pag. 228. & 229.

II. Nec illud dissimulo, vetustum hunc Patrem docere alio loco, Mariam peperisse ad instar cæterarum mulierum, *Reserata vulva*, ut seipsum exprimit homilia quadam in Divum Lucam. Illud vero observandum hac in re est, Origenem hisce verbis ne minimum quidem lædere velle Virginalem Mariæ puritatem, cum asserat, puriori modo hoc factum esse in Maria præ cæteris mulieribus; idque illico probat hac ratione: *Quia sanctum uterum (Matris Domini) & omni dignatione venerationis venerandum, ante nativitatem Christi, masculus omnino non tetigit*. Uno verbo Origenes tuetur, Mariam fuisse semper Virginem, & nullos unquam filios habuisse, præter Jesum. Illud solummodo animadvertit Origenes, juxta quorumdam opinionem, illos, qui in Evangelio fratres Domini dicuntur, fuisse filios Joseph, ex altero matrimonio ortos, quod contraxerat idem Joseph, antequam Mariæ Domini matri desponsaretur. Docet insuper, hanc Domini Matrem, pauperem fuisse: *Matrem, de qua nasceretur, (Christus) elegit pauperem*: idque probat ex eo, quod purificationis suæ tempore pauperum more obtulit hostiam Domino. Verum, nemini me vadem constituerem de eo quod alibi tradit idem Origenes, Virginem scilicet scandalum passam esse in morte Filii sui, non secus ac Apostoli sunt scandalizati: *Si scandalum in Domini passione non passa est*, (Deipara) *non est mortuus Jesus pro peccatis ejus*, „ Si autem omnes peccaverunt, & egent gloria Dei, „ justificati gratia ejus & redempti, utique & Maria „ illo tempore scandalizata est. „ Hoc pacto argumentabatur Origenes; num autem recte, judicium penes Lectorem esto.

Homil. 14. in S. Lucam. pag. 142. Tom. II. Geneb.

Perpetua Mariæ Virginitas. In S. Matt. pag. 223. Tom. I. Huet.

Paupertas Mariæ. Homil. 8. in Levit. Tom. II. Recent. Edition. num. 4. pag. 230.

Erronea Origenis opinio circa Sanctam Virginem. Homil. 17. in S. Lucam. Tom. II. Geneb.

III. Ad Angelos quod attinet, tradit primo loco Auctor iste, eos esse incorporeos; ait quippe, definitionem animæ etiam ad ipsos pertinere: *Si quidem definitio illa animæ etiam in ipsos Angelos videtur incurrere*: & paulo inferius, *Videtur*, inquit, *hæc eadem definitio etiam ad Angelos pertinere*. Ast anima est substantia simplex, prout habet Origenes eodem loco, & absque ullius adjectionis permixtione, substantia rationabiliter sensibilis & mobilis, hoc est, quæ cogitat & operatur rationabiliter: hæc autem convenire non possunt corpori, cujus proprietates omnino oppositæ sunt. Igitur Angeli, secundum Origenem sunt incorporei; hominibus sunt natura præstantiores; licet dicere possimus, Angelis non omnibus, sed quibusdam præstantiores esse homines, qui in Christo salvi fiunt, scilicet propter eorum merita personalia. Angeli Dei alterius naturæ sunt voluntatisque ac Dæmones: *Angelos Dei alterius naturæ ac voluntatis esse ac dæmones omnes, qui in terra sunt*. Eorum nomina designant eorumdem officia; hinc si unus appellatur Michael, alter Gabriel, alter Raphael, denominationes istæ, si recte perpendantur, deprehendentur congruæ rebus, quas Dei voluntate administrant: *Quisquis in arcana nominum disciplina versatus fuerit, reperiet indita illis fuisse nomina convenientia rebus, quas Dei summi voluntate administrant*.

Natura spiritualis Angelorum. Lib. 2. Periarch. Tom. I. Recent. Edition. n. 2. p. 94.

Angeli sunt natura præstantiores quibusdam hominibus. In S. Matt. Tom. I. Huet. pag. 396.

Angeli sunt alterius naturæ ac dæmones. Lib. 7. contra Celsum. num. 37. pag. 471.

Nomina eorum convenientia sunt rebus, quas administrant. Ibid. n. 25. pag. 343.

IV. Deus commisit Angelis Nationes regendas: *Quibus (Angelis) regendas Gentes commisit Excelsus*. Eorum ministerio Deus præbet nobis necessaria ad vitam, iique præsunt elementis, plantis, variisque anni temperiebus: hominum custodes sunt, eorumque curam vigiles gerunt: secretiores hominum cogitationes agnoscunt: adsunt non solum generaliter omni Ecclesiæ, sed & singillatim cuilibet fideli; modo ad cœlos ascendunt, ut hominum preces Deo offerant, modo illinc delabuntur, ut unicuique afferant quod illi Deus pro meritis conferri jussit: una cum rite orantibus orant: saluti hominum collaborant; sunt enim veluti famuli ac ministri missi in adjutorium illorum, qui salutis æter-

Angeli Custodes. Homil. 8. in Exod. num. 2. pag. 157. Lib. 8. contra Celsum. num. 57. pag. 785. Homil. 23. in Josue. Tom. II. Recent.

(a) Psalm. 31. vers. 5.

(b) Levitic. cap. 3. vers. 25.

III. SÆCULUM.

Edition. num. 3. pag. 451. *Homil.* 9. *in Levit.* pag. 242. *De Oration.* T. I. Recent. Edition. num. 11. pag. 214. Lib. 5. *contra Celsū.* num. 4. pag. 579. *De Oration.* n. 11. pag. 213. Lib. 5. *contra Celsū.* num. 57. pag. 622. Lib. 8. *contra Celsū.* num. 34. pag. 767. *De Orat.* num. 31. pag. 269. *Homil.* 1. *in Ps.* 37. Tom. II. Recent. Edit. n. 2. pag. 681. *Homil.* 8. *in Genes.* n. 8. p. 83. *Homil.* 5. *in Numer.* num. 3. pag. 285. *Homil.* 20. *in Numer.* num. 3. pag. 350. Lib. 8. *contra Celsū.* num. 36. pag. 769. Lib. 1. *Periarch.* T. I. Recent. Edition. c. 10. n. 7. pag. 103. *Homil.* 24. *in Numer.* num. 3. pag. 365. *Homil.* 11. *in Numer.* num. 4. pag. 307. De Statu Angelorū. Præfat. *in Periarch.* num. 10. pag. 49. Lib. 1. *Periarch.* c. 8. n. 1. p. 74. & 75. num. 4. pag. 579. & 580. Lib. 8. *contra Celsū.* num. 13. pag. 751. Lib. 5. *contra Celsū.* num. 4. pag. 580. *Homil.* 1. pag. 391. Tom. I. Geneb.

æternæ hæredes esse debent: intersunt fidelium cœdibus; iisque regendas animas nostras tradidit Deus; *Quibus credita sunt dispensanda & regenda animæ nostra*: harum peculiarem curam gerunt, suntque tanquam illarum tutores & curatores usque ad tempus a Divina Providentia præfinitum: Uno verbo, Angelorum adjutorio omnes indigent, nec ipsis exceptis justis; *Qui (justi) indigent adjutorio Angelorum Dei.*

V. Illud vero observatione dignum est, quod unicuique nostrum Angelus custos adest: *Adest unicuique nostrum, etiam minimis qui sunt in Ecclesia Dei, Angelus bonus, Angelus Domini, qui regat, qui moneat, qui gubernet.* Angelus Custos, ejus quem custodit preces, per Jesum sacerdotem magnum, semper universorum Deo offert: *Et ipse precatur cum eo, cujus ipsi cura commissa est.* At ab eo, qui commonitiones appositi sibi a Deo Angeli non fideliter custodivit, aufertur Dei Angelus, ideoque caret bonis omnibus, quæ ex præsentia cœlestis hujusce Spiritus proveniunt. Illud autem terribilius est, inquit Origenes, quod Angeli, quibus animarum cura commissa est, simul ad judicium Dei cum hominibus venient, ut illo divino constet examine, utrum sua desidia peccaverint homines, an monitorum custodumque negligentia. *Igitur unusquisque Angelorum*, scribit alibi idem Pater, *in consummatione sæculi aderit in judicio, educens eos secum, quibus præfuit. Et puto*, prosequitur ille, *ibi inquisitionem futuram, non quidem, an cultura hominum Angelus defuerit; sed an culturæ Angelicæ, nequaquam digne segnitia humana responderit.* Dixit utique Origenes, paulo inferius, quod & Angeli, non secus ac homines, judicabuntur: at animadvertendum est, Origenem proposuisse articulum hunc, sicuti & alios huic similes, tanquam puras opiniones, non tanquam veritates fidei; quemadmodum antea observavit Dupinius (a).

VI. Si Origeni fides, non satis compertum est, quando creati sint Angeli, & quænam præcise sit eorum natura; hæc quippe ille habet in præfatione ad *Periarchon*, *Quando isti creati sint, vel quales aut quomodo sint, non satis in manifesto designatur*; licet aliunde Methodius tradat, veterum hunc Patrem credidisse Angelorum naturam omnino spiritualem, idque probet quodam Origenis testimonio, in quo expresse declaratur, Angelos esse carnis expertes: *Angeli .... carnis expertes ... οἱ ἄγγελοι ἐκτὸς ὄντες σαρκός.* Extat hoc testimonium in Divo Epiphanio hæresi 64. Et licet Origenes eodem loco doceat, cœlestes hos spiritus summa felicitate ac gloria frui; *In summa felicitate degunt ac gloria*; nihilominus alibi contendit, Angelos, Archangelos, cæterosque ordines non fortuito, sed pro meritis suis gradum dignitatis suæ adeptos esse. Cæterum, si Origenes libro quinto contra Celsum vetat adorare Angelos; de solo cultu latriæ loquitur Pater iste, uti & ibidem, & alibi seipsum explicat. Pariter benigna interpretatione donari debent hæc ejusdem verba: *Angelos .... a nobis invocari, recta ratio non patitur*; cum ille homilia prima in Ezechielem invocet Angelum Baptismi hisce verbis: *Veni, Angele, suscipe sermone conversum ab errore pristino, a doctrina dæmoniorum &c.* Quando igitur Origenes vetat invocare Angelos, & præcipue in suo Opere contra Celsum, cui intererat traducere Christianos veluti nimium deditos cultui horum Spirituum; hoc significat solummodo, oportere dirigere preces nostras ad Deum per Jesum Christum filium suum, omnibus Angelis superiorem: *Nam nostras postulationes*, inquit ille paulo supra, *ad Deum oportet dirigere per summum Sacerdotem omnibus Angelis superiorem.* Vetat ibidem Origenes dirigere preces nostras ad alium, præter Deum Patrem; immo nec Filium proprie orare debemus, juxta Origenem eumdem: nil mirum igitur, si vetat orare Angelos, eosque invocare, in sensu supra a nobis exposito.

Dæmones. Lib. 8. *contra Celsū.* n. 25. 26. 27. p. 761. Lib. 1. *Periarch.* c. 8. n. 4. p. 75. *Ibid.* c. 5. n. 3. & 4. p. 66. & 67. *Homil.* 8. *in Exod.* num. 2. pag. 157. Lib. 3. *Periarch.* c. 3. n. 4. p. 144. Lib. 8. *contra Celsū.* num. 5. pag. 697. Exhort. ad Martyriū. Tom. I.

VII. Quod attinet ad Angelos malos, qui appellantur Dæmones, omnes mali sunt, & in hominum perniciem apprime prompti; Dæmones non tales creati sunt; non sunt tales natura, sed malitia: *Execrabiles illos fecit prævaricatio, non natura.* Videbimus alibi, quid senserit Origenes de natura Dæmonum. Quoad eorum vero operationes contendit idem Auctor, hos teterrimos spiritus duplici diversoque pacto solitos esse nocere hominibus, 1°. cum penitus ex integro hominum possident mentes, ita ut nihil omnino eos, quos obsederint, intelligere vel sentire permittant; sicut exemplo sunt hi, quos vulgo Energumenos vocant, 2°. cum sentientem quidem & intelligentem animum cogitationibus variis & sinistris persuasionibus inimica suggestione depravant, Horum Spirituum quidam integra sæcula ædificiis quibusdam locisque alligati manent, sive id fiat magicis incantationibus, sive propter sua ipsorum vitia; & indigent suffituum alimento, & observant, ubi nidor vel vapor sanguinis aut thuris sit.

III. SÆCULUM. Recent. Edition. num. 45. pag. 303. & 304. *Homil.* 16. *in Numer.* num. 7. pag. 312. Lib. 8. *contra Celsū.* num. 31. pag. 765.

VIII. Quæcunque sortitio, & auguratio in operatione Dæmonum fit; iisque tribui debent fames, arborum, vitiumque sterilitas, immodici calores, aeris corruptio ad perniciem fructibus, mortemque interdum animantibus, & pestem hominibus inferendam. Animadvertendum autem est cum Origene, Dæmones talia peragere tanquam Divinæ voluntatis ministros, sive ad homines, qui se totos vitiorum colluvioni dediderunt, convertendos, sive ad particeps rationis genus exercendum: *Horum omnium auctores sunt Dæmones, qui tanquam carnifices, divino quodam judicio accipiunt aliquando hæc omnia faciendi potestatem, &c.* Etenim ex seipsis nullum portentum operari valent, & irriti fuerunt omnes eorum conatus contra Christianam Religionem; *Quamquam machinas omnes adhibuerunt, ut Christiani amplius non essent.* Imbecilles adeo sunt maligni isti spiritus, ut Christianis, immo ne minimo quidem inter Christianos nocere possint, cum Christianos omnes suo auxilio dignos adjuvet Deus, & suos præterea iis Angelos præficiat, ut dæmones nihil facere possint adversus eos. *Nihil enim*, inquit Origenes, *spreti Dæmones nocere possunt nobis, qui consecrati sumus illi, qui solus omnes suo auxilio dignos adjuvare potest, quique præterea suos Diis in illum Angelos præficit*; „ ut nec adversarii Angeli, nec eorum „ princeps, vocatus hujus sæculi princeps, facere „ quidquam possint adversus eos, qui Deo consecrati „ sunt ... Ne nos quidem inficiamur, inquit etiam „ paulo supra, multos esse in terra dæmones; at eos „ esse, & potestatem in malos habere propter eorum „ malitiam contendimus; nihil vero posse in eos, qui „ induerunt armaturam Dei, & robur acceperunt ad „ standum adversus insidias Diaboli. „ Quæ quidem verba summæ consolationis argumentum esse debent Christianis omnibus.

In S. Joann. Tom. II. Huet. pag. 328. Lib. 4. *contra Celsū.* num. 32. pag. 525. Lib. 8. *contra Celsū.* num. 36. pag. 769. *Ibid.* pag. 758.

CAPUT UNDECIMUM.

DE ANIMA HUMANA.

I. SUmma diligentia seligi debent quæ tradidit Origenes de Anima humana. Verum contra naturalis æquitatis jura esset, damnare in vetusto hoc Patre quasdam loquendi formulas parum accuratas, quæ eidem argumentum hoc pertractanti effugerunt, seu quia nimium adhæserat Antiquorum Philosophiæ, seu quia hanc materiam ad rigidum examen non revocaverat: licet enim de Anima sermonem habeat in *Periarchon*, & in magno Opere suo contra Celsum, certum nihilominus exploratumque est, Origenem nullum expresse confecisse Tractatum de Anima. Hisce addimus, nunquam eum proposuisse veluti Dogmata peculiares suas opiniones, ut facile conjici potest ex modo, quo illas proponit. Itaque iis non immoramur locis, in quibus in errorem impegisse videtur Origenes tum circa animæ originem, tum circa ejus præexistentiam, ac unionem cum corpore: sed ex eodem excribemus ea omnia, quæ majori pollent præcisione ad tuendam animæ spiritualitatem, ac immortalitatem, nec non ea quæ respiciunt ejusdem statum post præsentem vitam. Tria hæc primaria capita elucidare in animo est: reliqua curiosis discutienda relinquimus.

Dignitas Animæ, ejusque Spiritualitas. Exhortat. ad Martyr. num. 13. pag. 282.

II. Certum est primo loco, Origenem credidisse animam esse spiritualem, totiusque materiæ expertem. Manifeste id eruitur ex his verbis quæ habet in sua ad Martyrium exhortatione: *Est enim illa* (anima) *rebus omnibus pretiosior, quæ ad Dei imaginem condita est.* Tradit insuper, animam habere aliquam cognationem cum natura divina, cum utraque sint intelligibilia, invisibilia, & incorporea: *Anima rationalis substantiam aliquam habere cum Deo cognationem: intelligibilia enim utraque sunt, & invisibilia, &, ut invicta ratione demonstratur, incorporea. καὶ ὡς ἐπικρατῶν ἀποδείκνυσι λόγος, ἀσώματα.* Postrema hæc Origenis phrasis aperte ostendit, qua certitudine crediderit ipse animæ spiritualitatem, quidquid alibi scribere potuerit, quod huic veritati oppositum videatur. Habet insuper in quodam fragmento sui Operis de Resurrectione, non deesse certa argumenta, quibus Animæ spiritualitas in aperto ponitur: *Cum certa non desint argumenta, quibus animæ substantiam esse incorpoream pronuntiare cogamur ... Scimus*, ait etiam, *animam, natura incorpoream & invisibilem, in nullo corporeo consistere*

Ibid. n. 17. Pag. 306. Lib. 7. *contra Celsū.* num. 32. pag. 716.

(a) Tom. I. Biblioth. Ecclesiast. pag. 419.

fistere loco. Est igitur indubium, vetustum hunc Patrem credidisse animæ substantiam omnino spiritualem, totiusque materiæ absolute expertem.

Immortalitas Animæ. Lib. 7. contra Celsum. n. 5. Pag. 696. Homil. 7. in Levitic. num. 6. Pag. 227. Lib. 4. Periarch. num. 36. Pag. 194.

III. Immortalitas est altera essentialis perfectio Animæ, quam fatentur Christiani, Judæi, Græci, immo & Barbari ipsi: *Creditur non a Christianis & Judæis tantum, sed etiam a multis aliis Græcis & Barbaris, vivere & superesse animam post suam a corpore separationem*: Hanc veritatem plures Philosophi tuentur: *Multi . . . ex Philosophis . . . . immortalem animam sentiunt*. Hinc Origenes apertissime docet, animam hominis esse incorruptam, nec mori posse: *Immortales sine dubio; & incorrupta erit etiam anima humana substantia*. Validissima vero sunt momenta, quibus id probat; 1o. scilicet, quia anima facta est ad imaginem Dei, qui est incorruptus & æternus, 2o. quia anima ejusdem pene dixerim est naturæ cum cœlestibus spiritibus, quos morti obnoxios asserere vetitum est; & sicuti impium est, subjungit idem Pater, substantialem corruptionem dare Deo; ita impium videtur, ut mens quæ Dei capax est, ejusque imago, substantialem recipiat interitum.

Status Animarū post præsentem vitam. Lib. 7. contra Celsū. num. 5. Pag. 696.

IV. Quoad statum animarum post præsentem vitam Origenes docet, animam puram, nec malitiæ quasi massa plumbea oneratam, sublimem evolare ad ea loca, ubi puriorum & æthereorum corporum sedes est, relictis hic deorsum crassis corporibus, eorumque sordibus; malam vero, & ad terram peccatis depressam nec respirare valentem, hic vagari & volutari, *Aliam circa sepulcra, ubi animarum simulacra, umbrarum instar, visa sunt; aliam circa quævis corpora terrestria*. Quidquid sit de hac Origenis opinione, cui calculum non adjicio, manifestum aliunde est, eum credidisse, animam statim post suam separationem, juxta propria merita vel præmio, vel pœna affici. Id formaliter tradit in Præfatione ad Periarchion inquiens: *Anima . . . cum ex hoc mundo discesserit, pro suis meritis dispensabitur, sive vitæ æternæ ac beatitudinis hæreditate potitura; sive igni æterno ac suppliciis mancipanda*.

Tom. I. recent. Edition. n. 5. pag. 48.

V. Animarum purarum locus proprius cœlum est; ad cœlum quippe sublimes feruntur animæ, ut paulo supra ajebat Origenes: *Confirmat ratio, puram (animam) . . . sublimem evolare ad ea loca, ubi puriorum, & æthereorum corporum sedes est*. Est mons Sion, civitas Dei viventis Jerusalem cœlestis, ubi adest multorum millium Angelorum frequentia. Videtur utique vetustus hic Pater alibi tradere, animas Sanctorum ab hac vita egressas permanere in loco aliquo in terra posito, qui in sacris litteris Paradisus appellatur: *Puto enim*, hæc sunt ipsissima Origenis verba, *quod Sancti quique discedentes de hac vita, permanebunt in loco aliquo in terra posito, quem Paradisum dicit Scriptura Divina*: Alt meram opinionem hoc loco proponit Origenes, ut nullo negotio eruitur ex hac voce, juxta latinam Rufini versionem, *puto*: cui illud opponi posset, quod idem Origenes eodem capite, sed interius docet his verbis: *Si quis sane mundus corde . . . fuerit, velocius proficiscens, cito ad aeris locum ascendet, & ad cœlorum regna perveniet . . . sequens eum, qui transgressus est cœlos, Jesum Filium Dei dicentem: Volo, ut ubi sum ego, & isti sint mecum*: quo sane in loco perspicue & apertissime Origenes declarat, Sanctos post hanc vitam ascendere ad cœlos, ac sequi eum, qui transgressus est cœlos, Jesum scilicet Dei Filium, qui ait: volo, ut ubi sum ego, & illi mecum sint: At dici nullo pacto potest, Jesum esse in Paradiso terrestri, cum transgressus sit cœlos, nec dici igitur potest idipsum de Sanctis, qui Jesum sequuntur, & ibidem sunt, ubi ille est. His omnibus addimus, postremo hoc loco Origenem locutum fuisse decretorio stylo, cum loco superiori meram opinionem conjecturis innixam proposuerit.

Lib. 7. contra Celsū. num. 29. pag. 714.

Ibid.

VI. Aliæ vero animæ purificari debent, antequam regnum Dei ingrediantur, & quidem propter ignorantiæ ac fragilitatis peccata, quæ commiserunt, quibus locum quemdam præparavit Deus, ubi ad certum tempus habitare debent: *Sunt alia peccata*, inquit Origenes, *quæ si ignoranter admittimus, decernuntur nobis, credo, & præparatur ex præcepto Dei aliquis locus, ubi ad certum tempus habitare debeamus*. Alludit hoc loco Origenes ad Civitates refugii, de quibus sermo est in veteri Testamento: manifeste autem constat, locum hunc Origenis intelligendum esse de Purgatorio, tum propter peccata, quæ ibidem purgantur, peccata scilicet fragilitatis & ignorantiæ, peccata involuntaria, ut inquit idem Pater, tum propter limitatum tempus hujus expiationis; *ad certum tempus*: cum utrumque soli Purgatorio convenire possit.

Purgatorium. Homil. 28. in Numer. num. 2. pag. 385.

VII. Tandem aliæ animæ ad inferni ignem damnatæ sunt: si alicui vero difficile videatur, quod animæ, substantiæ scilicet spirituales, affici possint igne, consulat Origenem, qui capite decimo secundi libri Periarchion nullum non movet lapidem, ut hanc veritatem validissimis momentis, quæ nullius superant captum, confirmet. Cæterum, inferni ignis est ignis æternus, qui immensum distat a naturali nostro igne: ignis est, de quo loquitur Propheta Isaias cum ait (a): Vermis eorum non morietur, & ignis eorum non extinguetur. Ignis iste invisibilia comburit; cum sit ipse invisibilis; si enim æternus est iste ignis, prosequitur Origenes, jam est invisibilis, juxta phrasim Apostoli: (b) quæ non videntur, æterna sunt; quæ autem videntur, temporalia sunt.

Infernus. Lib. 2. Periarch. c. 10. n. 4. 5. 6. 7. pag. 102. & 103.

CAPUT DUODECIMUM.

De Libero Arbitrio.

I. EX dictis capite superiori, animam scilicet post præsentem vitam, pro meritis suis vel potituram æterna vita, vel mancipandam esse æterno igni, necessario sequitur, eamdem animam in hoc mundo bonum & malum operari posse, virtutem & vitium posse amplecti, adeoque donatam esse libero arbitrio. In dubium revocari nequit, hanc esse Origenis mentem, Origenis inquam, qui arguitur nimium tribuisse libertati hominis, quique uti firmissimam veritatem tuetur hunc errorem, Angelos scilicet, immo & dæmones ipsos perfecta perfrui libertate ad recte vel male agendum, uti videbimus quando differentes de erroribus Origenis, eumdem purgabimus. Ut vero hic ea solummodo tradamus, quæ docet ille de libertate hominis viatoris, hinc exscribemus notabiliora quæ de hoc articulo in ipso occurrunt; & deinde exponemus ipsius mentem circa Divinam gratiam.

Libertas hominis viatoris. Præfat. in Periarch. Tom. I. Recent. Edition. n. 5. p. 48.

II. Primo loco contendit Origenes, esse articulum fidei, quod anima rationalis libero arbitrio prædita est: *Est & illud definitum*, inquit ille, *in ecclesiastica prædicatione, omnem animam rationabilem esse liberi arbitrii & voluntatis*: „ esse quoque ei certamen, subjungit eodem loco, adversus diabolum & angelos „ ejus contrariasque virtutes, ex eo quod illi peccatis onerare contendant; nos vero si recte consulteque vivamus, ab hujusmodi onere nos exuere conemur. Unde & consequens est intelligere, non nos necessitati esse subjectos, ut omni modo etiamsi nolimus vel mala vel bona agere cogamur. Si enim nostri arbitrii sumus, impugnare nos fortasse possunt aliquæ virtutes ad peccatum, & aliæ juvare ad salutem: non tamen necessitate cogimur vel agere recte vel male: quod fieri arbitrantur ii, qui stellarum cursum & motus caussam dicunt humanorum esse gestorum: *Non eorum quæ extra arbitrii accidunt libertatem, sed eorum quæ in nostra sunt potestate*. Habes ex his distinctionem, ut Scholæ loquuntur, actionis hominis, & actus humani.

III. Libertatem arbitrii conditis a se mentibus creator indulsit: libertate hac rationabiles creaturæ omnes donatæ sunt; nec ullam illarum, vitiosam ac depravatam Deus condidit. Itaque si inter homines aliqui virtutem amplectuntur, alii vero adhærentes vitio operantur iniquitatem, hujus diversitatis caussa non est repetenda a voluntate conditoris, sed ab eorumdem hominum libero arbitrio. *Et hæc extitit caussa diversitatis . . . inter rationabiles creaturas, non ex conditoris voluntate vel judicio originem trahens, sed propria libertatis arbitrio . . . Libertas unumquemque voluntatis suæ, vel ad profectum per imitationem Dei provocavit, vel ad defectum per negligentiam traxit . . . . In nostra . . .* prosequitur idem Origenes, *positum potestate, vel laudabili nos vita, vel culpabili dedere*. Nobis hominibus incidere quidem extrinsecus possunt aliqua & occurrere, quæ nos concitent ac provocent ad bonos vel contrarios motus: quæ utique, quia extrinsecus incidunt; non est in nostra positum potestate ne incidant, vel occurrant. Judicare vero & probare qualiter uti debeamus his quæ incidunt, nullius alterius res est vel opus, nisi rationis ejus, quæ est in nobis, idest nostri judicii. Nostrum opus est recte vivere, idque a nobis, non quasi suum, inquit Origenes, neque ab alio quopiam datum, *sed ut nostrum opus* Deus postulat. Bonis vel malis quæ extrinsecus incidunt incitamentis assentiri vel resistere, liberum nobis est.

Lib. 2. Periarch. c. 9. n. 2. & 6. p. 97. 99

Lib. 3. Periarch. c. 1. n. 3.

Ib. p. 109.

Ib. p. 110. & 111.

IV. Hæc sentiebat Origenes de libertate hominis: Verum si attente perpendantur quædam ejus testimonia ex modo recitatis, videbitur Origenes nimium tribuisse

(a) Isaiæ, cap. 66. vers. 24.

(b) II. ad Corinth. cap. 4. vers. 16.

III. SAECULUM. se viribus liberi arbitrii, ac viribus naturæ. Non ideo tamen Scriptorem admodum præclarum damnare debemus, nec ullum de ipsius mente judicium ferre ex perspicuis utique loquendi formulis, sed quæ consentaneæ non sunt quibusdam aliis loquendi formulis, eadem perspicuitate ac præcisione donatis. Origenes scribit, ut supra vidimus, unius esse nostræ rationis opus judicare, quomodo utendum sit his, quæ extrinsecus incidunt, ac nos provocant ad bonos vel contrarios motus; Nostrum opus esse recte vivere, non opus Dei, vel creaturæ cujuspiam, & alia his similia, quæ videntur favere hæresi Pelagianorum: at idem Origenes infra docebit, liberum hominis arbitrium per seipsum imperfectum esse ad consummationem boni; Divinæ gratiæ auxilio nos recedere a malo, & observare Dei præcepta; hanc gratiam adducere ac allicere nos ad bonum; hanc gratiam necessariam esse ad bonos actus, & hujusce generis alia multa, quibus evanescent difficultates omnes ex superius allatis textibus obortæ.

V. Antequam vero ad hæc deveniamus, de libero arbitrio disserere prosequimur, cum circa hoc idem argumentum plura habeat Origenes, quæ valde sunt necessaria. Ne vero nimii simus in uno eodemque articulo pertractando, quem in catholico sensu Origenes tuetur; hinc præcipua solummodo momenta exscribam, quæ ille in medium profert, quæque ferme omnia e sacris litteris excerpta sunt; en igitur præcipua Sacrarum Scripturarum loca, quæ ipse citat in hujus veritatis confirmationem. „ Moyses ita dicit: (*a*) Posui „ ante faciem tuam viam vitæ, & viam mortis &c. „ Et Isaias ita ait: (*b*) Si volueritis & audieritis „ me, quæ bona sunt terræ comedetis: si vero nolueritis, neque audieritis me, gladius vos consumet: „ os enim Domini locutum est hoc. Si annuntiatum „ est tibi, o homo, verba sunt Prophetæ Michææ (*c*) „ quid est bonum, aut quid Dominus requirit a te, „ nisi ut facias judicium, & diligas misericordiam, „ & paratus sis ire cum Domino Deo tuo? Et in „ Psalmis, prosequitur Origenes, ita scriptum est: (*d*) „ Si populus meus audisset me, Israel si in viis meis „ ambulasset; in nihilum utique inimicos ejus humiliassem. „ *Per quod ostendit*, subjungit vetustus iste Pater, *quod erat in populi potestate audire & incedere in viis Dei*.

Probatur liberũ hominis arbitrium. Lib. 3. Periarch. c. 1. n. 6. p. 112.

VI. „ Sed & Salvator dicens: (*e*) Ego autem dico vobis, non resistere malo: &, (*f*) quicunque „ iratus fuerit fratri suo, reus erit judicio: &, (*g*) „ quicunque inspexerit mulierem ad concupiscendum „ eam, mœchatus est jam in corde suo: *Et cum dat* „ *cætera quæque mandata, quid aliud indicat, nisi quod* „ *in nostra potestate est observare posse quæ mandantur?* „ Et propter hoc recte rei efficimur judicio, si prævaricemur ea, quæ utique servare poteramus. Hinc „ illud quod Salvator dicit his qui a dextris ejus „ sunt: (*h*) venite ad me omnes benedicti Patris mei „ &c. Esurivi enim, & dedistis mihi manducare: sitivi, & dedistis mihi bibere, evidenter ostendit, „ quia in ipsis fuit, ut vel laudabiles isti essent, facientes quæ mandata sunt, & percipientes quæ promissa sunt; vel hi culpabiles, qui contraria vel audiere, vel percepere, quibus dicitur: ite maledicti „ in ignem æternum. (*i*) Tandem videamus, quomodo etiam Paulus Apostolus velut potestatem arbitrii habentibus nobis loquitur, & tanquam in nobis ipsis vel salutis, vel perditionis habentibus caussas ait: An divitias bonitatis ejus, ac patientiæ, „ ac longanimitatis contemnis? „ ... (*k*) *innumera igitur*, concludit Origenes, *sunt in Scripturis loca, quæ libertatem arbitrii apertissime ostendunt*.

Lib. 3. Periarch. c. 1. n. 7. p. 113. & 114. VII. His Scripturarum oraculis objicere posset aliquis alia earumdem Scripturarum oracula, quæ oppositum asserere videntur. Sic Moyses exempli gratia in Exodo (*l*) Deum sic loquentem inducit: Ego indurabo cor Pharaonis. Igitur si Pharao a Deo induratur, & per hoc quod induratur, delinquit, non sibi ipse extitit caussa delicti: quod si ita est, non videbitur Pharao habere arbitrii libertatem. Sic in Ezechiele (*m*) Deus ait: Auferam eorum lapidea corda, & immittam eis carnea, ut in præceptis meis incedant, & vias meas custodiant: quibus sane verbis a Deo dari videtur, vel incedere in mandatis ejus, vel justificationes ejus custodire. Præterea Salvator ait in Evangelio: (*n*) Ut videntes non videant, & audientes non audiant, & non intelligant, ne forte convertantur, & remittatur eis. Nunc vero videamus, quo pacto Origenes has difficultates resolvat. III. SAECULUM.

VIII. Quoad primam difficultatem desumptam ex Exodo, Origenes respondet 1°. quod si exsisterent homines naturæ adeo perditæ, (quemadmodum opinabantur hæretici, qui his Scripturarum textibus abutebantur, ut homini libertatem adimerent) ut necessario deberent perire; jam opus non esset, quod Deus illos induraret, præcipue eo pacto quo Sacræ litteræ referunt Deum indurasse cor Pharaonis. Sic ex altera parte, qui naturam adeo bonam sortiti essent, ut mala efficere non possent, non indigerent Dei misericordia, sed salvandi essent per naturam, & ad beatitudinem per naturam venirent. Itaque ex obduratione Pharaonis, aliorumque hujusce naturæ hominum deprehenditur, hos posse rectum operari, & salutem consequi; sicuti ex Dei misericordia erga alios eruitur posse illos malum patrare, & miserrime perire. Quæ quidem optima est Origenis ratiocinatio. Ibid. n. 8. pag. 115. & 116.

IX. 2°. Posita Dei justitia & bonitate, impossibile est interpretari ea Scripturarum verba in eo sensu, quo humanæ libertati detrimentum afferatur. Etenim si Deus justus est, si est bonus, quomodo potest cor hominis indurare, ut ex ipsa induratione peccet & pereat? Si Deus propter hanc indurationem est caussa infidelitatis & perditionis Pharaonis, quomodo culpare eum potuit dicens: Tu autem quoniam non vis dimittere populum meum &c. Quomodo potuit cum minis terrere, ac plectere, ut narrat Scriptura? Origenes hinc ostendit, Scripturarum verba: *Induravit &c.* nequaquam significare, quod Deus positive induraverit cor Pharaonis, vel voluerit obstinationem hujus Principis in suo peccato; sed quod Pharao cum voluntate sua malus esset, ex Dei prodigiis occasionem sumpsisset semetipsum magis indurandi, dum impediebat exitum Filiorum Israel de Ægypto. In hoc solummodo sensu Deus induravit Pharaonem: quam veritatem ut magis illustret Origenes, utitur exemplo pluviæ, quæ licet æqualiter veniat super omnem terram, tamen non æque respondet omnis terra cultoribus suis; nam quæ culta est, utiles fructus profert; quæ vero cultorum desidia obduruit, spinas ac tribulos germinat. Sicut ergo pluviæ beneficio terra germen utrumque producit; sic prodigia quandoque sunt caussæ occasionales ad malas hominum voluntates. Origenes hicce addit exemplum Solis, qui una eademque caloris sui virtute ceram quidem solvit, limum vero arefacit & stringit. Ibid. n. 9. num. 10. pag. 117. num. 11. pag. 118.

X. 3°. Explicat etiam hæc Scripturarum verba: *Induravit Dominus &c.* communi loquendi consuetudine, qua benigniores quique Domini ad eos servos, qui per multam patientiam & mansuetudinem Dominorum insolentiores, improbioresque fiunt, dicere solent: ego te talem feci, ego te perdidi, mea te patientia pessimum fecit: quia in re recitat Origenes hæc Divi Pauli verba (*o*): An divitias bonitatis ejus, ac patientiæ, & longanimitatis contemnis? Pharao igitur secundum duritiam suam, & impœnitens cor thesaurizavit, & recondidit sibi ipsi iram in die iræ, pro eo quod nunquam duritia ejus ita argui, & in manifestum venire potuisset, nisi signa & prodigia fuissent tam multa, tamque magnifica prosecuta. Deus in plurimos peccatores non animadvertit, ac finit, ut suorum peccatorum mensuram impleant; ad hoc, ut animæ suæ vitia, & peccatorum suorum mala cognoscant, & sentiant quid ipsis desit; & quod ipsis deest, a quo quærere vel debeant, vel possint, intelligant. Cæterum illud etiam hac super re animadvertit Origenes, quod si Deus patiens est erga peccatores, ad utilitatem ipsorum facit; non secus ac medici interdum cum possint celerius obducere vulnerum cicatrices, præsentem dissimulant, & differunt sanitatem, melioris sanitatis firmiorisque prospectu. num. 12. pag. 120. num. 13. pag. 121.

XI. Ad illud Ezechielis: Auferam cor lapideum ab eis &c. quod attinet; observat Origenes, quod si antequam Deus auferat cor lapideum, deponere illud a nobis non possumus; & iterum, si non in nostro actu est, ut fiat in nobis cor carneum, sed solius Dei opus est; jam non erit nostrum opus secundum virtutem vivere, sed in omnibus Dei gratiæ opus videbitur. Ex hoc principio, quod in Origenis sensu valde Ibid. n. 15. pag. 123. & 124.

(*a*) Deuteron. cap. 30. vers. 15.
(*b*) Cap. 1. vers. 19. 20.
(*c*) Cap. 6. vers. 8.
(*d*) Psalm. 80. vers. 14. & 15.
(*e*) Matth. cap. 5. v. 39.
(*f*) Ibid. vers. 22.
(*g*) Ibid. vers. 28.
(*h*) Ibid. cap. 25. vers. 34. & 35.
(*i*) Ibid. vers. 41.
(*k*) Roman. cap. 2. vers. 4. & seq.
(*l*) Cap. 4. vers. 21.
(*m*) Cap. 11. vers. 19. 20.
(*n*) Marc. cap. 4. vers. 12.
(*o*) Ad Roman. cap. 2. vers. 4. & seq.

III. SAECULUM.

de suspectum est, sequitur, inquit Origenes idem, ita intelligendum esse Ezechielis oraculum, ut divinus sermo promittat his qui accedunt ad se, ablaturum se esse cor lapideum, non utique ab his qui se non audiunt, sed ab his, qui doctrinae suae praecepta suscipiunt: Sicut in Evangelio invenimus, addit ipse, aegrotantes accedere ad Salvatorem, rogantes ut percipiant sanitatem; & ita demum curari. *Et cum caeci, verbi gratia, visum recuperant, est quidem, quatenus precati sunt, eorum opus, qui curari se posse crediderunt; quatenus vero eis redditur visus, Salvatoris nostri*. Nec illud hoc loco dissimulabo hanc Origenis expositionem favere Semi-Pelagianis, qui contendebant, initium fidei & bonae voluntatis esse a nobis, nosque posse hoc medio comparare nobis gratiam Salvatoris.

XII. Quoad verba Salvatoris: ut videntes non videant &c. fatetur Origenes, difficillime exponi posse; praecipue vero ea quae sequuntur: ait enim: *Ne forte convertantur & remittatur eis, difficilior est hujus loci defensio*. Nihilominus verba ea sic explicare aggreditur: docet igitur, quod interdum curari citius non cedit in bonum, ne forte velociter conversi ac sanati homines, idest peccatorum suorum remissione celeriter accepta, facile iterum in eundem recidant morbum, quem senserunt sine aliqua difficultate curatum: igitur pro multa benignitate sua Deus differt horum talium curas, & medicinam protelat in longius, ne eos prospera sanitas insanabiles reddat. Hinc apud eos, quibus Domini & Salvatoris nostri sermo fiebat, pro eo quod scrutans corda & renes praevidebat, eos nondum aptos esse manifestioris eloquii recipere doctrinam, profundioris Sacramenti fidem velato sermone ipse contegebat, & in parabolis loquebatur eis, ne, ut supra diximus, peccatorum suorum remissione celeriter accepta, facile iterum in eundem reciderent morbum. Fortasse tempus punitionis eorum nondum advenerat: ideoque quis dubitat, inquit Origenes, melius esse differri, & interim relinqui, ut si forte satietatem malitiae aliquando ceperint, & horrescere potuerint sordes, in quibus nunc interim delectantur, tunc demum competenter eis sermo Dei manifestetur, & ita facilius & tolerabilius per viam salutis incedant. Haec Origenis expositio prudentissima est; verum non attingit punctum difficultatis, quod in eo positum est, ut verba Salvatoris superius recitata concilientur cum libertate hominis. Id erat hoc loco explicandum, quod quidem non praestitit Origenes.

Ibid. n.16. pag. 125.

Ibid. n.17. pag. 126. & 127.

XIII. Satis superfluum mihi videtur in medium afferre etiam explicationem, quam exornavit Origenes quorumdam aliorum Oraculorum, quae modo recensitis simillima sunt. Quae superius dicta sunt satis superque indigitant quid sentiret vetustus iste Pater de libero arbitrio; rectam enim & adaequatam ejus notionem perhibet. Illud pariter animadvertendum est, Origenem, dum loquitur de auxiliis, quae Deus largitur homini, nequaquam confugere ad concursum indifferentem, & versatilem ex parte Dei, qui indigeat ut determinetur a voluntate creaturae: at fateri pariter debemus, minime erui ex huc usque dictis, quod Origenes agnoverit, quantum par est, imbecillitatem & impotentiam, in quam homo post originale peccatum prolapsus est; qua quidem fit, ut dividat opus conversionis inter Deum & hominem, huic tribuens initium bonae voluntatis, Deo autem ejusdem operis complementum & perfectionem. Huc sane perduxit Origenem immoderata cupido afferendi rationem de omnibus, ut conciliaret gratiam Divinam cum libertate hominis. Non ideo tamen trepidare debemus: si quidem accuratius fortasse in sequenti capite ipse disputabit.

CAPUT DECIMUMTERTIUM.

DE GRATIA ET DE PRAEDESTINATIONE.

I. Pulcherrima quamquodmaxime sunt ea quae tradit Origenes de Divina Gratia, de qua disseremus in primo hujusce capitis articulo. Docet primo loco, fidem esse donum Dei. „ Divina Sapientia, inquit ille, primum est donorum Dei, ut loqui nur; „ alterum vocatur Scientia; *Tertium locum occupat fides*: Quocirca Paulus ait (a): Alii quidem per „ Spiritum datur sermo sapientiae; alii autem sermo „ scientiae secundum eundem Spiritum; alteri fides in „ eodem Spiritu „. Hanc eandem veritatem tradit insuper Origenes alio loco cum ait, quod Dominus *Cooperabitur nobis ad percipiendum donum credendi*; quae fides, subjungit idem Pater, in scriptis Apostoli Pauli tertium tenet locum inter dona Dei; hoc est fidem recenset Apostolus post donum sapientiae, & post donum scientiae. *De quo dono*, prosequitur Origenes, *& alibi inquit* (Divus Paulus): *a Deo nobis donatum est, non solum ut in ipsum credamus, verum etiam ut pro ipso patiamur*. Duo haec Origenis loca satis superque produnt ejus orthodoxam fidem circa hunc articulum: & licet alia ex ejusdem Scriptis depromi possint testimonia, quae apparenter oppositum docent; tamen ex modo recitatis perspicue eruitur, gratiam nobis necessariam esse ad credendum.

Fides est Gratiae donum. Lib.6. contra Celsu. num. 13. pag. 635.

III. SAECULUM.

In S. Joann. Tom. II. Huet. pag. 324.

II. Si Gratia necessaria est ad credendum, juxta Origenem, aeque certum est, juxta eundem Patrem, gratiam esse necessariam ad recte operandum. Aperte enim declarat 1°. absque gratia neminem posse confiteri Jesum Christum, ac servare Dei mandata: quam veritatem ille confirmat exemplo Divi Petri, qui derelictus fuit propter audacem suam promissionem: etsi omnes scandalizati fuerint in te, ego non scandalizabor: *quasi qui valeamus*, inquit Origenes, *Christi implere Confessionem ex nobis, aut aliquid praeceptorum Dei*. 2°. Noster Auctor nitidissime asserit, nihil boni in hominibus unquam factum esse absque Verbi auxilio: *Nihil enim boni in hominibus factum est*, οὐδὲν γὰρ τῶν ἐν ἀνθρώποις καλὸν γεγένηται, *nisi quia Divinum Verbum ad eorum animas advenit &c.* 3°. docet, absque gratia nec quaeri ab hominibus Deum posse: *Nos autem affirmamus*, ait Sapientissimus iste Pater, *Deum a natura humana nullo modo quaeri, aut pure inveniri posse, nisi adjuvetur ab eo quem quaerit. Quique inveniuntur iis, qui postquam quidquid in se est fecerunt, se ille opus habere confitentur, qui se notum facit eis*. Hanc veritatem confirmat Origenes, scribens libro secundo contra Celsum: *Divina enim hujusmodi vox a solis illis auditur, a quibus audiri vult, qui loquitur*.

Necessitas Gratiae ad recte operandum. Tract. 35. in S. Matt. Tom. II. Geneb. pag. 214.

Lib.6. contra Celsu. num. 78. pag. 691.

Lib.7. contra Celsu. num. 42. pag. 725.

Lib.2. contra Celsu. num. 72. pag. 441.

III. 4°. Tandem necessaria est gratia ad Daemones superandos, & ad resistendum hujus saeculi tentationibus. „ Nam de victoria, inquit egregie Origenes, „ nemo se jactat, nemo suae virtuti quia superavit ad- „ scribit; *Sciens, quia Jesus est, qui victoriam tribuit* .... Ipse est (Jesus Christus) habet idem „ Presbyter paulo ante, qui pro nobis pugnat adver- „ sus Principatus & Potestates, & rectores tenebra- „ rum harum; *Ipse enim est* (*Christus*) *qui pugnat*. „ .... *Mors quippe Sanctorum est, ubi adversarius vincitur, tamquam qui sciant non sua virtute, sed Dei gratia victoriam factam, hymnum Deo gratulationis offerre*. Validissime sane Gratiae necessitas recitatis modo textibus comprobatur. Siquidem sine gratia quaeri ac inveniri Deus non potest; gratia necessaria est ad credendum, ad vincendos Daemones, ad superandas tentationes, ad malum vitandum, ad recte operandum; necessaria insuper ad quodlibet opus bonum. Ecquid ultra dici potest?

Necessitas Gratiae ad malum vitandum. Homil. 12. in Josue. num. 3. pag. 427. Ibid. n. 1. pag. 426.

Homil. 6. in Exod. num. 3. pag. 147.

IV. Quoad Gratiae efficaciam, suam mentem aperit Origenes cum nos hortatur, ut deprecemur Deum, ut inducat super nostras animas diluvium aquae suae, & in nobis vivificet quae judicat esse vivificanda: *Omnipotentis Dei*, ita scribit, ille in quadam homilia in Genesim, *misericordiam deprecemur, qui nos non solum auditores verbi sui faciat, sed & factores &c.* Dono igitur summi Dei, nos auditores sumus Verbi sui, & factores. Tanta est hujus gratiae vis & efficacia, juxta Origenem, ut non solum invitet volentes, sed & pertrahat ad salutem. „ Quis vos, o Catechume- „ ni, (sic eos alloquitur Origenes) in Ecclesia con- „ gregavit? quis stimulus impulit, ut relictis domi- „ bus in hunc coetum coeatis? Neque enim nos do- „ mos vestras singillatim circuimus; *sed Omnipotens* „ *Pater virtute invisibili subjicit cordibus vestris* ... „ *hunc ardorem, ut quasi inviti, & retractantes, ve-* „ *niatis ad fidem*. Ipse Unigenitus, habet etiam ali- „ bi, ipse inquam Filius Dei adest, ipse defendit, „ ipse custodit; *Ipse nos ad se trahit. Sed nec sufficit* „ *eum esse nobiscum*, (juxta suam promissionem: & „ ecce ego vobiscum sum omnibus diebus usque ad „ consummationem saeculi.) *Sed quodammodo vim no-* „ *bis facit, ut nos pertrahat ad salutem*: ait enim in „ alio loco: Cum autem exaltatus fuero, omnia ad „ me traham. *Vide*, subjungit Origenes, *quomodo non* „ *solum invitat volentes, sed & cunctantes trahit*. „ Deinde recitatis quibusdam aliis Evangelii Oraculis, quibus eandem veritatem confirmat, sic concludit. *Sic ergo non solum invitamur a Deo, sed & trahimur & cogimur ad salutem*. Postremae istae phrases intelligi debent solummodo in sensu horum verborum Evangelii: *Compelle intrare*; ex quibus Origenes infert illationem superius a nobis expositam. Caeterum haec loquendi

Vis et efficacia Gratiae. Hom. in Genes. num. 6. pag. 66.

Homil.7. in S. Lucam. 23. 138. Tom. II. Geneb.

Homil. 20. in Numer. num. 3. pag. 350.

(a) I. Corinth. cap. 12. vers. 8. 9.

III. SÆCULUM.

quendi formula summa observatione est digna in hoc Patre, qui aliunde arguitur, quod viribus liberi arbitrii nimium tribuerit.

V. Plura in medium afferre possem vetusti hujus Patris loca, in quibus efficaciam gratiæ ille tuetur: verum ne nimius sim, duo tantum exscribam ex ejus Opere contra Celsum testimonia, in quibus exempla proferuntur, quæ eandem hanc veritatem confirmant. Hinc in primo hujus Operis libro tradit, plures Christianæ Religioni nomen dedisse velut invitos. „ Irrideat licet Celsus, inquit Origenes, aut Judæus, „ quem introduxit; *dicam nihilominus, multos ad Re-* „ *ligionem Christianam accessisse velut invitos, ὅμως* „ *λελέξεται, ὅτι πολλοὶ ὡσπερεὶ ἄκοντες, προσεληλύθασι* „ *χριστιανισμῷ*. Spiritu quodam repente in illorum ani- „ mos agente, atque ita illos immutante, ut quod in „ illam conceperant odium deponerent, & pro illa „ mortem oppetere statuerent „. Addit Origenes eodem in libro, verbum Christi Domini habuisse occultam quamdam vim, admirabilem ineffabilemque ad persuadendum; & alibi, hæc habet. Vis quædam Jesu divinior: qui poterat cum vellet inflammatum inimicorum animum extinguere, & cogitationes tumultuantium dissipare. Tandem si prædicatio Apostolorum, vel potius ipsius Dei, qui eorum ministerio utebatur, promptissime & celerrime quocunque pervasit, id Dei voluntate evenit, qui ad suam voluntatem convertit eos, quos ne pœnis quidem quisquam hominum correxisset. *Et quos ne pœnis quidem quisquam hominum correxisset, hos correxit (sermo Dei), efformavit, ad suam voluntatem convertit*. Si enim fides habenda est Origeni, nulla est malitia, etiamsi naturalis, quæ facile a Divino Verbo mutari non possit: *Id habemus pro certo, malitiam vel illam quasi naturalem, non solum posse a Divino Verbo mutari, sed etiam id illi omnino non esse difficile*, O miram Divinæ Gratiæ efficaciam!

Lib. 1. contra Celsum. num. 46. pag. 161.

num. 27. pag. 345. & 346. Tom. II. ind. Joann. pag. 173. Edition. Huet.

Lib. 3. contra Celsum. num. 68. pag. 492.

Ibid. n. 69. pag. 493.

VI. Nec minus certum est, quandoque nos deseri a gratia, sed semper ex nostro defectu: hujusce rei manifestum exemplum præbent Israelitæ, quos propter eorum infidelitatem tradidit Deus in manus inimicorum suorum. Hinc pariter Christiani seipsos tradunt Dæmoni, & huic communi adversario vires ministrant in propriam perniciem, quando mandata Dei non custodientes, & Christum Dominum contemnentes, deseruntur a gratia. *Cum deserimur a gratia*, inquit Origenes. „ Propterea ergo fratres, subjungit ille, de- „ precemur Dominum confitentes ei infirmitatem no- „ stram, ne nos tradat in manus Madian . . . Quod „ & si tradamur, & acceperint potestatem nostri, ore- „ mus accipere a Deo virtutem, ut sustinere pos- „ simus „. Aliud hujusce veritatis exemplum præbet David, qui tentatus est, ut inquit Origenes, & gratia nudatus, ut propria experientia videret, quid possit humana infinnitas: *Tentatus est (David) & nudatus auxilio, ut videret quid humana possit infirmitas*. „ Recedente quippe præsidio Dei, prosequitur idem „ Origenes, ille castissimus Rex, ille admirabilis in „ pudicitia non potuit perseverare, sed in eo reper- „ tus est crimine, in quo sibi quasi continens applau- „ debat. Si quis ergo conscius puritatis suæ seipsum „ glorificaverit, non habens memoriam illius dicti (*a*): „ quid autem habes quod non accepisti? *Relinquitur, & derelictus discit experimento, quia in his bonis, quorum sibi conscius erat, non tam ipse sui extitit caussa, quam Deus, qui virtutum omnium fons est*.

Gratia quandoque nos deserit. Hom. 7. in Judicum. n. 1. pag. 472.

Homil. 9. in Ezech. Tom. I. Geneb. pag. 410.

VII. Hæc sunt notabiliora, quæ in Origene disserente de Divina Gratia perlegi, quibus addo alium textum ex ejus Periarchion excriptum, in quo docet, quod sicuti nos ex libero nostro arbitrio possumus Dæmonis tentationes superare, & vitare peccatum, sic possumus eadem virtute, hoc est ex libero nostro arbitrio Divinæ gratiæ resistere: *Et rursum possibile est*, ejus verba sunt, *ut cum nos divina virtus ad meliora provocaverit, non sequamur*. Omnia quæ adhuc protulimus ex Origene circa Divinam Gratiam accuratissima sunt: gratia est absolute necessaria, miram vim & efficaciam habet etiam in hominum corda; ab ea deserimur, & quidem ex nostra culpa; eidem resistere possumus, ut experientia ipsa edocemur. Ecquid magis orthodoxum proferri potest?

Possibile est resistere gratiæ. Lib. 3. Periarch. n. 4. pag. 141.

VIII. Verum utique est, sicuti in superiori capite observavimus, Origenem nimium tribuere viribus naturæ, ita ut videatur arctare efficaciam gratiæ, cum partem solummodo conversionis hominis ab illa repetat, alteram vero partem in libertatem humanam refundat. Ast attendere debemus 1°. hanc unam viam præsto illi fuisse ut posset conciliare Divinam gratiam cum libertate hominis; quod nemini mirum videri debet, Origeni sapientissimo cæteroquin viro evenisse, cum materia hæc illius ævo satis illustrata non esset. 2°. Origenes quosdam in particulari refellebat hæreticos, qui libertatem arbitrii tollere satagebant, ut astruerent fatalem quamdam necessitatem; hinc libertatis partes adeo tuetur Origenes, ut videatur partiri Opus nostræ conversionis inter gratiam & liberum arbitrium. Iis enim in rebus quæ nobis cordi sunt familiare est modum excedere, quando contra eos ineunda est disputatio, qui nostris opinionibus adversantur. Cujus rei frequentissima occurrunt exempla in pluribus Ecclesiæ Patribus, pluribusque profanis æque ac Ecclesiasticis Scriptoribus. 3°. Allata a nobis Origenis loca in favorem necessitatis & efficaciæ Gratiæ, ea donantur præcisione ac evidentia, quæ in iis desideratur, quæ afferri possent in confirmationem errorum oppositorum; immo in secundi hujusce generis testimoniis nullum adinvenire est, quod in sensu orthodoxo nequeat interpretari, & cujus obscuritas ac difficultas per clarissima alia ejusdem Scriptoris loca nequeat tolli: quod sane nobis jucundissimum esse debet. Cæterum non ego purgare intendo hoc loco Origenem ab omni labe circa Liberum arbitrium & gratiam; immo nec illud detrecto, eundem favisse principiis Semi-pelagianorum, quibusdam loquendi formulis, parum accuratis quæ illi exciderunt tunc temporis, quando multi extabant naturæ hostes, nullus gratiæ.

IX. Antequam huic argumento finem imponam, optimum erit monere Lectorem, ex quodam Origenis textu difficultatem oboriri, cum tradat ipse, duplex esse virtutum genus si attendatur earum principium, cum virtutes aliquæ dentur a Deo, & a gratia pendeant; aliæ vero a nobis procedant, & a proprio nostro pendeant labore: *Sunt ergo quæ dantur a Deo, & sunt quæ præbentur ab homine*. Ast antidotum idem Origenes præbet contra apparentem hunc errorem, cum declarat aperte, alio loco virtutes quæ a nostro labore pendent, absolute inutiles nobis esse, si absuerit ab illis Divinum auxilium. *Et si fuerit*, inquit ille, *quis perfectus inter filios hominum, si abfuerit ab illo sapientia tua, in nihilum reputabitur*. Et deinceps ait: *Sic & qui perfectus fuerit in castitate, aut in justitia . . . . Non fuerit autem ei castitas aut justitia, quæ venit ex Dei gratia, in nihilum reputatur hujusmodi homo*. Tales igitur sunt virtutes, quæ a nobis proveniunt, virtutes vanæ & inutiles, virtutes per quas homo in nihilum reputatur. Adscribamus quantum libet lubetque has virtutes laboribus nostris; nunquam in hoc peccabimus contra christianam humilitatem.

Difficultas circa Gratiam. Homil. 11. in Numer. num. 3. pag. 314.

Responsio ad hanc difficultatem. Tract. 33. in S. Matth. Tom. II. Geneb. pag. 105. & 106.

X. Aliqua dicenda remanent de Prædestinatione, de qua pauca in Origene habentur. Hanc nihilominus non uno in loco declarat esse gratuitam, præcipue vero in Commentario in Epistolam ad Romanos: ibi enim postquam docuit, omnes illos, qui participes fiunt justificationis per fidem in Jesum Christum, sive Judæi illi sint, sive Gentiles, justificari postquam a prioribus maculis mundati sunt, & aptos reddi perfruendæ gloriæ Dei; illico subjungit: *Et hoc, non ex meritis eorum, nec pro operibus facit* (Deus); *sed gratis gloriam præstat*. Clara adeo est hæc phrasis, ut nulli effugio locus esse possit. Prædestinati sumus gratuito ex parte Dei ad gratiam & ad gloriam. Idem confirmat Origenes inferius, cum ait, facile sibi inducere in animum non posse, homines quidquam operari posse, cui ut merces debeatur remuneratio; quia omnis nostra potestas ad recte operandum, sive cogitatione, sive ore, sive opere, a Dei liberalitate derivat; adeoque cum semper gratia nos præveniat, Deus ad nihil teneri potest. Hinc necessario sequitur, quod si nos prædestinati sumus ad gratiam aut ad gloriam, id fit gratuito, & ex sola misericordia. Tandem circa eandem veritatem Origenes docet, quod sicuti comprehendi nequit, nostram existentiam esse mercedem nostrorum operum; cum certum sit, nos existere ex beneficio illius qui nos creavit, & voluit nos esse; ita pura Dei gratia est si recipimus hæreditatem a Domino nobis promissam, non alicujus debiti solutio, non nostrorum operum merces.

Prædestinatio gratuita. Lib. 3. in Epist. ad Roman. pag. 314. Tom. II. Geneb.

Lib. 4. in eand. Ep. pag. 350.

Lib. 3. in eand. Ep. pag. 331.

XI. Hæc sunt, inquit egregie Dominus Matthæus Petit Dedier in suis animadversionibus Criticis in Bibliothecam Dupinii, hæc sunt, quæ, compulsus veritate, nec non evidentia Oraculorum Sacræ Scripturæ, professus est Origenes in favorem Divinæ gratiæ; quicunque tandem fuerint illius errores, ac anticipata judicia naturæ corruptæ, & Philosophiæ Platonicorum (*b*). Dissimulare tamen non possumus, plura occurrere in Origene testimonia, quæ absolute destruunt quæcunque superius ex eo protulimus circa prædestinationem:

(*a*) I. Corinth. cap. 4. v. 7.

(*b*) Tom. I. pag. 214.

III. SÆCULUM.

tionem: sufficiat legere ipsius Tractatum de Oratione; ibidem enim manifeste asserit, & quidem pluries, propter nostra merita, ac bona opera nostra Deum prædestinare nos ad gratiam & ad gloriam (*a*). Non est igitur sibi constans Origenes dum de Prædestinatione disserit, eadem sane de caussa, qua, ut supra diximus, sibi constans non est, dum agit de Gratia! Hæc autem dicta sint solo veritatis amore.

Dei Præsciētia non est caussa eorum omnium, quæ futura sūt. Tract. de Oration. num. 6. pag. 207. Tom. II. Recent. Edit. n. 6. pag. 6. Ibid. n. 5. pag. 9. Ibid. n. 6. pag. 12.

XII. Quoad Divinam Præscientiam, docet Origenes, & constantissime docet quotiescunque de ea sermo incidit, eam non esse caussam eorum omnium quæ futura sunt, & eorum præcipue, quæ a nostra voluntate pendent: *Non quod præscientia Dei*, inquit ille, *caussa sit eorum omnium quæ futura sunt; & quæ proprio motu, arbitrioque efficimur sumus*. Eadem habet tomo tertio Commentariorum in Genesim, & alibi; Agnoscit pariter, Græcorum plerosque in hoc deceptos esse, quod autumarunt, ex præscientia Dei tolli libertatem arbitrii: in quem errorem nunquam prolapsi essent, inquit Origenes, si probe novissent, Dei prænotionem non esse rerum caussam, sed idipsum quod futurum est esse caussam prænotionis.

CAPUT DECIMUMQUARTUM.

De Peccato Originali.

I. CRimini vertatur Origeni, quantum libet, quod quibusdam parum accuratis loquendi formulis circa gratiam & liberum arbitrium arma ministraverit Pelagianis; nam quoad peccatum originale, ne leviter quidem suspicari id poterit de hoc Scriptore, qui pluribus in locis de hac veritate sermonem habet, sed semper in sensu omnino Catholico, & orthodoxo, quin vel minima in eo appareat contradictio. 1°. Igitur indubitati principii loco ponit, neminem esse sine peccato; immo impossibile dicit, hominem esse, qui nunquam peccaverit, solo excepto Christo Domino: *Impossibile est*, sunt ejus verba, *ὅτι ἀδύνατον, hominem esse, qui nunquam peccaverit, excepto tamen homine a Jesu assumpto, qui homo peccatum non fecit*. Idipsum pluries repetit in Scriptis suis, tanta illi inerat persuasio, omnes homines originis labe pollutos nasci; hinc alio loco aperte docet, venisse Christum, ut omnes homines salvaret: *Venit enim, ut omnium hominum Salvator esset*. Vides igitur, omnes homines esse filios perditionis. In quo autem perditio hæc consistat, ex modo dicendis constabit.

Nemo a peccato immunis est, solo excepto Jesu Christo. Lib. 7. contra Celsū, num. 62. pag. 488. Lib. 4. contra Celsū, num. 4. pag. 504.

II. Cum Celsus diceret, eos, qui sine peccato sunt, meliore vita esse donandos, ad hæc verba *sine peccato* eum interrogat Origenes, num dicat esse sine peccato eos, qui ne ab initio quidem peccarunt, hoc est, qui peccati originalis participes non sunt, an eos qui mutati non peccant, hoc est, qui a via peccati recesserunt. *Tamen*, subjungit Auctor hic noster, *qui ab initio non peccaverint, nulli esse possunt*. Quam veritatem constanter adeo tuetur, ut asserat, nec infantes recens natos peccati esse immunes, idque probat auctoritate Sacrarum Scripturarum, quæ præcipiunt offerri piacularem victimam pro recens genitis, *Utpote qui*, inquit Origenes, *peccati non sint immunes, ὡς οὐ καθαρῶν ἀπὸ ἁμαρτίας*. Hinc David Propheta ait (*b*): In iniquitatibus conceptus sum, & in peccatis concepit me mater mea. Et de peccatoribus loquens idem David inquit (*c*): *Alienati sunt peccatores a vulva; erraverunt ab utero*.

Omnes homines peccato Originali subjiciuntur. Lib. 3. contra Celsum, n. 69. pag. 493.

Omnes orimur Originalis peccati labe infecti. Lib. 7. contra Celsū, num. 50. pag. 730. & 731.

III. Sed fidenter idem Propheta de præsenti vita verba faciens vera pronuntiat cum ait (prosequitur Origenes): Humiliata est in pulvere anima nostra (*d*): &: In pulverem mortis deduxisti me (*e*). Quo redit & istud: Quis me liberabit de corpore mortis hujus? (*f*) &: Qui (Christus Dominus) transfigurabit corpus humilitatis nostræ &c. (*g*) Tandem David Deum alloquens, inquit: Humiliasti nos in loco afflictionis (*h*): *Ubi locum afflictionis vocat (Propheta) terrenum hunc locum, quo Adam, seu homo e Paradiso ejectus advenit*. Hæc sunt Scripturarum oracula, quæ profert Origenes, ut probet peccatum originale; & reipsa validissima sunt, & hanc veritatem confirmant. Nam si verum est, piacularem victimam pro recens genitis offerendam esse, quia peccati non sunt immunes, juxta phrasim Origenis; si in iniquitatibus concepti sumus, & in peccatis conceperunt nos matres nostræ; si alienati sumus a vulva, si erravimus ab utero; si participes sumus omnium miseriarum hujus vitæ, quæ sunt consecutæ ex prævaricatione Adæ; dubitari nequit, æque nos participes esse ejusdem Adæ prævaricationis. Vel hoc verum est, vel Deus esset injustus.

Sequitur idem argumentū. Tract. 9 in S. Matth. Tom. II. Geneb. Homil. 8. in Levitic. num. 3. pag. 230. Tom. II. Recent. Edition.

IV. „ Nemo, inquit insuper Origenes cum Sancto „ Job (*i*), nemo a sordibus mundus est, ne si vita qui„ dem ejus unius diei fuerit, *Propter nativitatis nostræ* „ *carnalis mysterium*; super qua unusquisque nascens „ usurpare potest quod in psalmo quinquagesimo (*k*) „ ait David his verbis: quoniam in iniquitatibus con„ ceptus sum &c. Quod si placet, addit alio loco, „ audire quid etiam alii Sancti de ista nativitate sense„ rint, audi David dicentem: In iniquitatibus conce„ ptus sum: *Ostendens, quod quæcunque anima in carne* „ *nascitur iniquitatis, & peccati sorde polluitur*: & „ propterea dictum esse illud (quod jam superius me„ moravimus Job cap. 14. vers. 4.) quia nemo mundus „ a sorde, nec si unius diei sit vita ejus „. Animadvertamus hic, Origenem in postremo hoc textu explicare modum, quo peccatum originale contrahitur, & transfunditur. Idipsum pariter clarissime explicat, quando scribit, *Omnis homo qui ingreditur hunc mundum . . . hoc ipso quod in vulva matris est positus, & quod materiam corporis ab origine paterni seminis sumit, in patre & in matre contaminatus dici potest*: atque hinc, prosequitur ille, cum quadraginta dierum factus fuerit puer masculus, offertur ad altare, ut ibi purificetur, tamquam qui pollutus fuerit in ipsa conceptione, vel paterni seminis, vel uteri materni. *Omnis ergo homo*, concludit paucis interjectis, *in patre & matre pollutus est; solus vero Jesus Dominus meus in hanc generationem mundus ingressus est. Solus Redemptor*, habet insuper, *peccatum non habuit . . . . . constat reliquos omnes aliquando fuisse sub peccato*.

Homil. 12. in Levitic. num. 4. pag. 251.

V. Innumera occurrunt hujusce generis loca in Origene, quæ apertissime ostendunt, Patrem hunc admisisse tamquam catholicam veritatem, peccatum originale: quædam alia afferemus modo, quæ id evincunt. Docet igitur primo loco, quod ideo baptizantur infantes, quia per Baptismum deponuntur sordes nativitatis. *Et quia per Baptismi Sacramentum nativitatis sordes deponuntur, propterea baptizantur & parvuli*. Quid enim caussæ est, egregie inquit idem Pater in alia Homilia, cur Baptisma Ecclesiæ pro remissione peccatorum detur etiam parvulis? *Cum utique si nihil esset in parvulis, quod ad remissionem deberet & indulgentiam pertinere, gratia Baptismi superflua videretur*. Hoc sane erat peremptorium argumentum Divi Augustini, & quorumdam Patrum adversus Pelagianos, qui inficiabantur peccatum originale.

Probatur peccatum originale ex Baptismo parvulorum. Homil. 8. in S. Lucam. T. II. Geneb. Homil. 8 in Levit. n. 3. pag. 230. Tom. II. Recent. Edition.

VI. Tandem ut veritatem hanc magis magisque ostendat Origenes, ait in Commentario in Epistolam ad Romanos, propterea in veteri lege Matres post partum obtulisse hostiam, ut scilicet obtinerent remissionem peccati, infantis recens nati: *Per hoc*, e vestigio subjungit, *& Ecclesia ab Apostolis traditionem accepit, etiam parvulis Baptismum dare: sciebant enim, quia essent in omnibus genuinæ sordes peccati*. Quid ultra desiderari potest in præfatæ veritatis confirmationem?

Sequitur idem argumentū. Lib. 6. in Epist. ad Roman. Tom. II. Geneb.

VII. Nec valet objicere, quod cum Origenes crediderit præexistentiam animarum, non potuit certo credere peccatum originale; adeoque textus omnes, in quibus ille videtur loqui de hoc peccato, nequaquam respicere peccatum Adæ, sed unice actualia omnium parentum peccata, quæ eorum filiis communicantur, vel peccata, quæ admiserunt Animæ in alia vita, juxta systema de præexistentia animarum: non valet inquam id objicere. Nam quidquid sit de opinione Origenis hac in re, de qua pertractabimus in quarta Sectione, ubi compendium dabimus errorum Origenis, certum est, eum docuisse, per Adæ prævaricationem omnes homines evasisse peccatores, & Adæ peccatum in omnes ejus posteros transfundi; idque manifestissimis ejusdem Origenis textibus modo ostendemus.

Objectio contra peccatum Originale.

VIII. „ *Etenim omnes*, inquit ille, *in Adam moriun*„ *tur . . . . . & condemnati sunt in similitudine præ*„ *varicationis Adæ . . . . .* Nam videre est in serie „ eorum, quæ tanquam de uno dicuntur, maledictio„ nem Adamo inflictam, omnium esse communem; si„ cut quæ mulieri, ad omnem mulierem pertinere . . . „ Nam ad universam terram pertinuit istud: Maledicta „ terra

Responsio ad hanc difficultatem. Lib. 4. contra Celsū, num. 40. pag. 534. Ibid. pag. 535.

(*a*) Pag. 207. 208. & 209.
(*b*) Psalm. 50. vers. 7.
(*c*) Psalm. 57. vers. 4.
(*d*) Psalm. 43. vers. 26.
(*e*) Psalm. 21. vers. 16.
(*f*) Epist. ad Roman. cap. 7. vers. 24.
(*g*) Epist. ad Philip. cap. 3. vers. 21.
(*h*) Psalm. 43. vers. 20.
(*i*) Cap. 14. vers. 4.
(*k*) Vers. 7.

III. Sæculum.

Lib. 7. contra Celsum num. 28. pag. 714.

„ terra in operibus tuis, in molestiis comedes eas cunctis diebus vitæ tuæ (*a*). Hanc in molestiis, id „ est in laboribus comedit omnis homo qui mortuus „ est in Adam, & comedit omnibus diebus vitæ suæ. „ Et quia maledicta hæc omnis terra est, spinas & „ tribulos geminabit omnibus diebus vitæ ejus, qui „ in Adam e paradiso ejectus est: *In sudore etiam vultus sui panem comedit omnis homo πᾶς ἄνθρωπος donec in terram revertatur, unde sumptus est*„. Quæro, num hoc loco sermo fit de peccatis actualibus parentum, aut de peccatis, quæ patraverint animæ ante præsentem vitam, juxta systema de præexistentia animarum? Non sane: agitur quippe de peccato, per quod omnes homines in Adam moriuntur; agitur de prævaricatione, in cujus similitudine omnes homines condemnati sunt. Uno verbo agitur de peccato per primum hominem transfusum in omnes ejus posteros, tam quoad culpam, quam quoad pœnam: agitur ergo de peccato Originali.

IX. Origenes utitur comparatione Levi (qui decimam solvit Melchisedecho longe antequam nasceretur) ut explicet, quo pacto omnes homines peccaverunt in Adam, ejusque prævaricationis participes fuerunt. *Si Levi*, inquit ille, *generatione quarta post Abraham nascitur, in lumbis Abrahæ fuisse perhibetur, multo magis omnes homines . . . . in lumbis erant Adæ, cum adhuc esset in Paradiso, & omnes homines cum ipso vel in ipso expulsi sunt de Paradiso*. Quæ quidem verba clarissime designant transfusionem peccati originalis in omnes homines, qui ordinaria via nascuntur.

Lib. 5. in Epist. ad Roman. Tom. II. Lucub.

X. Contendant de hac re quantum libet hæretici, jam ex absoluta Apostoli sententia certum est, quod omnes homines, ne justis quidem exceptis, peccaverunt in Adam. *Absoluta sententia pronuntiavit Apostolus*, inquit Origenes, *in omnes homines mortem pertransisse peccati, in eo in quo omnes peccaverunt; non est opus in his singulos quosque dinumerare Sanctorum, cum sufficiat Apostoli sententia, quæ dicit in omnes pertransisse*. Vides igitur, peccatum & mortem in omnes homines pertransire ex Adæ peccato; quod peccatum Origenes hoc loco exponit veluti fontem universalis omnium hominum corruptionis. Hisce positis quæro nunc, num admisso etiam systemate de præexistentia animarum, erui possit, Origenem non agnovisse peccatum originale? Cæterum ex Adæ peccato & mors animæ profluit, & mors corporis, ut idem Origenes hisce verbis testatur: *Et per peccatum mors illa sine dubio, de qua & Propheta dicit: Anima quæ peccaverit, ipsa morietur &c.* Verum de hoc argumento satis.

Ibid.

CAPUT DECIMUMQUINTUM.

DE CIRCUMCISIONE, DE INVOCATIONE SANCTORUM, DE FINE MUNDI, ET DE RESURRECTIONE MORTUORUM.

Circumcisionis initium in persona Abrahæ. Lib. 1. contra Celsum num. 22. pag. 340. Ibid. p. 339.

I. Abraham omnium hominum primus est, juxta Origenem, qui circumcisione usus sit. *Qua (circumcisione) primus Abrahamus usus est*. Cujus veritatis, subjungit idem Pater, locupletissimus testis est Moyses: *Qui (Moyses) Abrahamum scribit primum hominum circumcisum fuisse*. Hinc a Judæis Abrahæ posteris Ægyptii cæteræque Nationes circumcisionem didicerunt, invito licet Celso, qui dicebat, Judæos illam ab Ægyptiis fuisse mutuatos. Verum non eadem ex caussa Nationes hæ diversæ circumcisionem usurparunt. *Non eadem*, inquit Origenes, *ejus usurpandæ caussa est apud Judæos, quæ apud Ægyptios aut Colchos*. Sed & diversa erat circumcisio Ismaelitarum, etsi ab Abrahamo descenderent, a circumcisione Judæorum. Circumcisio Judæorum infantium peragebatur octavo post ortum die: Circumcisio Ismaelitarum circa annum decimum tertium: Circumcisio Ægyptiorum appetente anno decimo quarto.

Diversæ ac variæ Circumcisiones. Lib. 5. contra Celsum num. 47. pag. 613. Ibid. n. 48. pag. 614. Comment. in Genes. Tom. II. Recent. Edition. num. 10. pag. 16.

II. Deus permisit Judæis circumcisionem; immo eamdem ipsis præcepit, non ut rem per se bonam, sed ut meram notam, qua a Gentibus discernerentur. *Liquet, circumcisionem & Sabbatum non esse per se bona. Sed ideo bona, quia ad tempus utilia fuerunt. Sciendum est, eum (Deum) ad instar signi, circumcisione . . . , voluisse illos discerni, ut quemadmodum pecora irrationabilia, quibus candentis ferri nota inusta est, facile reperiuntur; ita Judæi gentibus permixti, circumcisione manifesti fierent*. Hujus rei argumento est, prosequitur idem Pater, quod in Ægypto quidem circumcisionem acceperint, in deserto vero, quoniam soli erant, & ab Ægyptiis aliisque Palæstinæ vicinis gentibus separati, incircumcisi permanserint. Summa consideratione digna est comparatio, quam hic instituit Origenes, inter circumcisionem, & ferrum candens, quo irrationabilia pecora signantur.

Inutilitas Circumcisionis. In Josue. Tom II. Recent. Edition. pag. 394. & 395.

III. Sæculum.

III. Circumcisio carnalis Judæorum vetita est Christianis: *Quum Jesus a suis discipulis observari noluit*, egregie inquit Origenes. Solis Judæis permissa fuit, & quidem ob superius allatam rationem. Hanc extinxit Jesus ineffabili sua Divinitate. *Quocirca ejus Discipulis vetitum est, ne circumcisionem accipiant, illisque dictum est: Si circumcidamini, Christus vobis nihil proderit.* (*b*) Hæc Origenis verba, si late nimis, & generice sumantur, parum accurata sunt, cum certum sit, primis Ecclesiæ temporibus circumcisionem permissam fuisse, sicuti constat ex praxi Divi Pauli, qui circumcidit Timotheum Discipulum suum: si autem ea Origenis verba ad tempora nostra referantur, apprime verissima sunt, immo etiamsi referantur ad Origenis ætatem; quippe tunc temporis hæc cæremonia abrogata erat, & Christianis vetita.

Circumcisio Christianis vetita. Lib. 1. contra Celsum num. 22. pag. 340. Lib. 5. Contra Celsum num. 48. pag. 615.

IV. Verum, est & alia Circumcisio, quæ non solum non opponitur spiritui Christianæ Religionis, sed est veluti illius anima; Circumcisio scilicet spiritus, *Quam nos & suscipere, & habere jubet Apostolus*. Nos enim, inquit idem Apostolus in Epistola ad Philippenses, (*c*) sumus circumcisio, qui spiritu servimus Deo: est circumcisio, qua circumcisione nisi quis circumcisus fuerit, non introibit in sancta Dei; est tandem secunda circumcisio, quam Deus subrogavit circumcisioni veteris Testamenti; est circumcisio, quæ peragitur per mysticam petram, scilicet Christum: *Secundam circumcisionem per petram, qui est Christus*. Ut perfectam spiritualem circumcisionem assequatur homo, *Cuncta circumcidenda sunt membra*. Manus quidem circumcidendæ sunt a rapinis, a furtis, a cædibus: circumcidendi sunt pedes, ne veloces sint ad effundendum sanguinem, & ne intrent in consilium malignantium. Circumcidantur & oculi, ne concupiscant aliena, ne videant ad concupiscendam mulierem; gustus, ne deserviat cupiditatibus gulæ; odoratus, ne unguentis optimis gaudeat &c. Hæc est Christianorum circumcisio asperior valde circumcisione Judæorum. *Hæc est circumcisio*, inquit Origenes, *quæ petrinis machæris per Jesum populo Dei data est*.

Circumcisio spiritualis permissa, ac necessaria Christianis. Homil. 8. in Levit. pag. 230. & seq. Homil. 2. in Genes. n. 4. p. 68. Homil. 5. in Josue. num. 5. pag. 408. Homil. 3. in Genes. n. 6. p. 69. Ibid. p. 70.

V. Quoad secundum hujusce Capitis articulum, qui est de Invocatione Sanctorum, hanc permissam, immo & utilem docet Origenes hisce verbis; *Obsecratio, & postulatio & gratiarum actio non absurde potest & Sanctis offerri*. Cujus rei alibi egregiam hanc rationem reddit: *Eorum (Martyrum) animæ cœlesti altari non assistant frustra, sed precantibus remissionem peccatorum ministrant*. Et inferius, quando hortatur Ambrosium ad martyrium, inquit: *Scies enim tunc melius, quomodo diligendi sint, (filii tui) & prudentius pro illis orabis*. Et in quadam Homilia in Josue, *Ego sic arbitror*, inquit, *quod omnes illi qui dormierunt ante nos Patres, pugnent nobiscum, & adjuvent nos orationibus suis*. Falsum igitur est, Sanctos in Cœlo ignorare preces nostras, sicuti falso autumant Novatores.

Permissum est ac utile invocare Sanctos. De Oratione n. 14. pag. 221. Exort. ad Martyr. Tom. I. Recent. Edition. num. 30. pag. 293. Ibid. n. 38. pag. 303. Homil. 16. in Josue. num. 5. pag. 437.

VI. Ad finem mundi, tertium scilicet hujus capitis articulum quod attinet, declarat Origenes 1°. tempus hoc soli Deo notum esse: *Quod tempus solus Deus agnoscit*: quod quidem congruit verbis Christi Domini in Evangelio. 2°. docet pluribus in locis, mundum absumptum iri igne: *Non igitur negamus*, inquit ille, *igne purgandi vi prædito, mundum absumptum iri*. Idipsum alibi repetit, præcipue vero Homilia quinta in Genesim, ibique contendit, filias Loth audivisse, *in fine sæculi terram & omnia elementa ignis ardore decoquenda*. 3°. Veritas hæc adeo constans est, juxta Origenem, ut & Ethnici Philosophi hanc crediderint: *Mundi conflagrationem etiam a Philosophis inter Græcos minime contemnendis creditam*. Hanc Ethnicorum Philosophorum fidem ridebat Celsus; verum Origenes respondet, eum manifesto in errore versari, & conatur ostendere, nihil esse hoc articulo credibilius, nihil quod validiori fundamento innitatur. Videbimus inferius peculiares Origenis opiniones circa finem Mundi.

Solus Deus cognoscit verū tempus, quo mundus interire debet. Lib. 1. Periarch. n. 1. pag. 69. Mundus igne absumetur. Lib. 4. contra Celsum num. 2. pag. 515. Homil. 5. in Genes. n. 4. p. 74. Lib. 5. contra Celsum, num. 15. Pag. 588.

VII. Resurrectionem pariter mortuorum tuetur Origenes innumeris in locis: verum, ne nimii simus, notabiliora tantummodo afferemus. Docet ille, exempli caussa, quod omnes nos in propria nostra carne resurgemus, & quod resurrectionis repromissio non de alio corpore facta est, sed de nostro quod mortuum relinquitur, ut Sacræ litteræ ostendunt, & declarat ipsa Christi Domini resurrectio: *Quod omnis illa repromissio resurrectionis mortuorum, de hoc corpore sit* quod

In nostris propriis corporibus resurgemus. Lib. 2. de Resurrect. Tom. I. Recent. Edition. Pag. 34.

(*a*) Genes. cap. 3. v. 17.
(*b*) Ad Galat. cap. 5. vers. 2.

(*c*) Cap. 3. vers. 3.

III. SÆCULUM.

quod mortuum relinquitur, Sancta Scriptura ostendunt, sed & ipsa . . . Jesu Christi resurrectio declarat. Si certum est, inquit alibi Origenes, quod corporibus nobis utendum est, & corpora quæ ceciderunt resurgere prædicantur: *Nulli dubium est, ea, quæ ceciderunt, corpora resurgere.* Hoc utique corpus, addit ille alio loco, quod pro Christo pertulit, & cum anima toleravit sæva tormenta, resurgere debet. *Neque enim fas est, ut in aliis corporibus anima peccaverint, in aliis torqueantur; nec justi judicis, alia corpora pro Christo Sanguinem fundere, & alia coronari.*

Lib. 2. Periarch. c. 10. n. 1. Pag. 100. In D. Hieron. Ep. 38. ad Pammach.

VIII. Igitur eadem ossa, & sanguis, & caro, idest vultus & membra, totiusque compago corporis resurget in novissima die; & tota differentia quæ intercedit inter corpus quo nunc circumdamur, & corpus quod resurget, hæc est, quod istud erit incorruptibile, illud est corruptibile; unum est infirmum, aliud robore plenum; unum animale, alterum spiritale; unum abjectum, aliud gloriosum. Iidem ipsi resurgent homines, sed non in eodem statu, nec iisdem obnoxii passionibus, quibus obnoxii erant in præsenti vita: *Nos vero*, inquit egregie Origenes in quodam fragmento libri secundi de Resurrectione, *eosdem ipsos futuros esse homines dicimus, licet non eodem statu, neque in iisdem passionibus . . . Nos æquari Angelis oportet* ajebat Origenes, ut refert Methodius. Homines resurgent, non senes, non juvenes, sed in ætate perfecta: nulla erit sexuum distinctio: *In his tamen uxor non numeratur*, quia tunc homines neque nubent, neque nubentur. Sane qualis fuerit uniuscujusque præparatio in hac vita, talis erit & resurrectio ejus. Qui beatius hic vixerit, corpus ejus in resurrectione diviniore splendore fulgebit: impii e contra resurgent *in obscuris & atris corporibus.* Habes modo quæ notabiliora mihi visa sunt in Origene circa Dogma. Interim a Dogmatica Doctrina ad Doctrinam Moralem transilianus.

Ibid.

Lib. 2. de Resurrect. Tom. I. recent. Edit. Pag. 34. In S. Epiphan. Hæres. 64. In S. Hieron. Ep. 38. ad Pammach. Exhort. ad Martyr. Tom I. recent. Edit. num. 16. Pag. 184. Lib. 2. de Resur. T. I. Rec. Edit. pag. 34. Lib. 2. Periarch. c. 10. n. 8. pag. 103.

SECTIO II.

PUNCTA MORALIA.

Moralis Origenis Doctrina, non secus ac cæterorum Patrum, purissima est & accuratissima; immo ad ipsius laudem dici potest, eum pertractasse hanc Theologiæ partem majori perspicuitate, præcisione ac methodo præ cæteris Patribus, qui ante ipsum floruerunt. Jucundissimum sane est, eum, exempli gratia, differentem audire de Oratione ejusque utilitatibus ac proprietatibus; nec non de Martyrio, cum fieri nequeat, quin lectores inflammentur ad perferenda libenti animo tormenta & mortem pro nomine Jesu. Illud vero majoris utilitatis in Morali Doctrina Origenis deprehenditur, quod scilicet pathetice ostendit inane & nihilum virtutum pure humanarum, nec non actionum, quæ ex dilectione in Deum non procedunt. Insuper de peccato accuratissime ac summa præcisione loquitur, & peccatum mortale a veniali formaliter distinguit. Uno verbo multa alia pertractat, quæ gratissima erunt lectori, qui ædificari æque ac instrui desiderat.

CAPUT PRIMUM.

DE LEGIBUS, DE VIRTUTIBUS ET DE ACTIBUS HUMANIS.

I. DUas leges distinguit Origenes, Divinam unam, alteram humanam, ac docet, humanam legem observari debere, quando non adversatur divinæ, & debere anteponi legibus exteris. *Ubi scripta (Lex) Divina non adversetur*, inquit ille in suo Opere contra Celsum, *illam decet a civibus observari, & legibus exteris anteponi.* Si vero Divina lex, lex naturalis humanis hisce legibus adversetur, illico anteponi debet lex divina, cum ratio dictet, obediendum esse Deo potius quam hominibus, licet vitæ discrimen intercedat. *Sed ubi scripta legi lex . . . Dei contraria præcipit; vide, an non ratio velit, ut scriptis legibus valere jussis . . . soli Deo legislatori pareatur . . . etiamsi id facientem pericula, labores innumeri; mors, ignominia manerent.* Hoc sane principium inter primaria principia Religionis Christianæ recensetur. Optimi Cives esse debemus, Principibus fideles subditi, legum quas ipsi tulerunt diligentissimi observatores, nunquam autem cum jactura legis naturalis, nunquam cum jactura legis Divinæ quæ semper anteponi debet.

Leges Divinæ & humanæ. Lex Divina exteris anteponi debet. Lib. 5. contra Celsum. num. 37. Pag. 605.

II. Illud etiam summi momenti occurrit in Morali Origenis doctrina, quod superius jam in Sectione Dogmatica animadvertimus, scilicet virtutes pure humanas absolute inutiles esse ad æternam salutem, nisi Deus gratia sua suppleat earum defectum. Attuli jam supra nonnulla Origenis loca quoad hanc rem: alia nunc proferam. Sermonem habens Origenes de primitiis, quæ in veteri lege offerebantur Domino, ait, jure quidem Deum noluisse accipere aliunde primitias, nisi a sanctificatis. Poterat enim fieri, addit ille, ut & apud Gentiles invenirentur aliqua opera digna Deo: excoluerunt enim & inter illos aliqui virtutes animi: *sed* (Deus) *non vult ista offerri in primitiis. Ex illis vult Deus benefacta suscipere, quorum mens videt Deum, & qui sanctificati sunt Deo per fidem. Gentilis autem etiamsi aliquid honestum & probabile habere videatur in moribus, hoc ipso quod non Deo adscribit animi virtutem, sed jactantia sua deputat, non est sanctificata hujusmodi probitas, & ideo non recipitur inter primitias,*

Inutilitas virtutum Ethnicorum. Homil. 11. in Numer. num. 6. pag. 309.

III. Certum igitur est, secundum Origenem, virtutes Ethnicorum esse virtutes inanes, steriles & infructuosas; virtutes non sanctificatas, & per consequens virtutes profanas; virtutes, quæ Deo acceptæ esse non possunt, si procedunt a malis dispositionibus eorum, in quibus sunt. Appellat utique Origenes Opera quæ ab his Ethnicorum virtutibus proveniunt, *Opera digna Deo*, ut diximus sup.a, hoc autem intelligi non debet in eo sensu, quod sint sanctificata, juxta phrasim Origenis modo recitatam. *Hoc ipso quod non Deo adscribit animi virtutem . . . non est sanctificata hujusmodi probitas.* Et paucis interjectis: *Ex illis*, inquit, *vult Deus benefacta suscipere, quorum mens videt Deum, & qui sanctificati sunt . . . per fidem.*

IV. Non sufficit igitur facere opera bona, sed recte fieri debent, christiano modo, per spiritum fidei, pro Deo, aut pro mandato Dei, secus erunt opera inania. *Inanis dicitur omnis actus*, verba sunt Origenis, *& omnis sermo, in quo non est intrinsecus aliquid pro Deo, vel pro mandato Dei. Quando facimus mandatum Dei*, habet alibi, *& in conscientia nostra vana gloria sordes respergimus, ut placeamus hominibus, aut alia, quæcumque non placet Deo, boni operis caussa præcedit; quamvis faciamus præceptum Dei, tamen illud absque querela non facimus; & injuste id quod justum est sequimur.*

Inutilitas actionum, quæ ad Deum non referuntur. Homil. 25. in Numer. num. 3. pag. 367. Homil. 2. in S. Lucam. Tom. I. Geneb. Pag. 135.

V. Juxta hoc principium Origenis, nullus actus, nisi ad Deum referatur, est meritorius, licet bonus in seipso sit aut in suo officio. In præsentiarum vero inquirendum est, quo pacto, quave via opera nostra ad Deum possint referri: at unam solummodo viam indigitat Origenes, videlicet Dilectionem Dei. Hinc tradit, idcirco Deum non statuisse in Decalogo pœnas temporales contra prævaricatores suorum præceptorum, quia vult, ut non metu, sed amore ea custodiamus: sed castigat morte hos eosdem prævaricatores, ut discamus, quod si inobedientes erimus, plectemur ut servi. *Intuere*, inquit egregie noster iste Auctor, *ordinem divinæ sapientiæ, non continuo pœnas cum primis statuit præceptis: vult enim, ut non metu pœnæ, sed amore pietatis, patris præcepta custodias . . . Primo ergo benignitate vocaris, ut filius . . . quod si filius esse obediens non vis, contemptor plecteris ut servus.* Hæc Origenis observatio optima est, & ostendit necessitatem amoris Dei ad recte operandum.

Necessitas referendi proprias actiones ad Deum ex dilectione. Homil. 11. in Levit. num. 2. pag. 248.

VI. Etsi Origenes formaliter tradat necessitatem referendi opera omnia in Deum ex dilectione, nihilominus alio loco docet, opera quæ facit homo naturali justitia motus, non propter Deum, acceptabilia esse apud Deum. *Bene quis facit homini*, inquit ille, *naturali justitia motus, non propter Deum . . . opus illud oleum est vulgare, non magni odoris, & ipsum tamen acceptabile apud Deum.* Idque probat consilio, quod dedit Daniel Balthasari Deum non cognoscenti. Audi consilium meum Rex, ajebat hic Propheta, peccata tua eleemosynis redime. (a) Tale aliquid dicit & Petrus apud Clementem: *Quoniam opera bona quæ fiunt ab infidelibus, in hoc sæculo eis prosunt, & non in illo ad consequendam vitam æternam.*

Actiones quæ ad Deum non referuntur, prosunt solum in hoc sæculo. Tract. 35. in S. Matt. Tom. II. Geneb. pag. 110.

VII. Res ex se indifferentes permissæ sunt, si scandalum non intercedat; nam ab illis est abstinendum si adsit scandalum. Sic manducare carnem, vel non manducare, ex se indifferens est. Manducandum est, si in hoc frater ædificatur, vel saltem non scandalizatur; abstinendum vero, si contrarium eveniat. Idipsum dicendum de cæteris rebus, quæ ex se sunt indifferentes; nam vel bonæ, vel malæ efficiuntur prout vel ædificationem, vel scandalum operantur in fratrem.

Mam-

(a) Daniel. cap. 4. vers. 24.

III. SÆCULUM.

Opus quod in seipso indifferens est, bonum est vel malum, prout frater vel ædificatur, vel damnum fidei incurrit. Lib. 10. in Epist. ad Rom. T. II. Geneb. pag. 404. De Fide. Lib. 6. contra Celsū. num. 13. pag. 639. Homil. 17. in Gen. n. 7. pag. 109. Homil. 25. in Numer. num. 2. pag. 369. Homil. 2. in Genes. n. 3. p. 63.

Manducare carnem, & non manducare ... indifferens, inquit Origenes ... *manducandum est, si in hoc frater ædificatur; & non manducandum, si per hoc non crescit opus Dei. Bibendum est, si per hoc frater proficit ad fidem; & non bibendum, si per hoc frater damnum fidei, aut tu detrimentum charitatis incurras.* Uno verbo: *Omnia igitur fieri oportet ob hoc, ne destruatur Opus Dei.* Quidquid dici possit de hac veritate, ejus praxis tantum necessaria est Christiano, quantum molesta esse potest naturæ corruptæ.

CAPUT SECUNDUM.

DE VIRTUTIBUS THEOLOGICIS.

I. Fides, quæ inter theologicas virtutes primum locum tenet, in Divo Paulo tertium solummodo occupat inter dona Spiritus Sancti. *Tertium locum occupat fides.* Fides est regula vitæ hominum in terris, & præstat fiduciam vitæ futuræ: *Fides quæ in Christo est, & præsentis vitæ regulam tenet, & futuræ spei fiduciam præstat.* Sine fide impossibile est salvari. *Impossibile est salvari sine fide.* In Ecclesia una sola est fides, & est veluti vinculum, quo fideles inter se, & cum eorum Pastoribus uniuntur: *In Ecclesia licet omnes intra unam fidem continentur.* Hisce positis, nemo dubitare potest de utilitate & necessitate hujus virtutis.

Lib. 1. contra Celsū. num. 9. pag. 328.

II. Hæc sane non sentiebant Ethnici de fide: & Celsus hortabatur, ut in admittendis Dogmatibus rationem & rationabilem sequamur ducem. At, cum hujus vitæ necessitates, respondet egregie Origenes, tum hominum infirmitas in caussa sunt, cur perpauci huic se studio dedant; studio videlicet examinandi veritates Religionis. Sciscitemur, prosequitur Origenes, ab eorum qui credunt multitudine, utrum sit illis conducibilius sine examine credidisse; an, spreta fide simplici, non ante morum emendationem aggredi, quam doctrinæ principia penitus investigaverint? Manifestum est, perpaucis exceptis, reliquos ne id quidem assecuturos, *quod alii simplici fide consecuti sunt*, sed in corruptissima sua vita remansuros. Illam igitur sine

num. 10.

examine fidem, de qua tot turbas agunt, experti quam sit plerisque utilis, fatemur a nobis commendari iis, qui relinquere negotia omnia non possunt, ut se totos perscrutandæ doctrinæ tradant.

Ibid.

III. Illi autem, (Ethnici) quamquam fateri erubescant, idem faciunt tamen. Nam quis ad Philosophiæ studium incitatus, & in aliquam Philosophorum sectam aut forte aut quod in talem magistrum incidit, se conjiciens, aliter ad eam se applicat, quam quia illam credit reliquis præstantiorem? Ergo si ratio docuit

num. 11. pag. 329.

credendum esse uni cuipiam eorum qui Sectas apud Græcos & Barbaros induxerunt, quanto magis Deo rerum omnium Domino, & ei qui docet hunc solum esse colendum? Quod sane non impedit, quo minus ratione duce rem contemplemur, & proferamus eas quæ nobis occurrerint, & quas accurata investigatione eruerimus demonstrationes. At pulcherrime, & ad rem eodem loco, sed inferius hæc habet Origenes. Lubens

num. 14. pag. 332.

ergo illum (Celsum) interrogaverim, cur de antiquitate, quos nominatim recensuit, Barbarorum & Græcorum historiis adjungit fidem; ut fabulosas autem respuit hujus gentis (Judæorum scilicet) historias. Nam si eorum quisque summa fide narravit quæ ad se pertinebant, cur solis Judæorum Prophetis abrogemus fidem? aut si Moyses & Prophetæ in conscribendis Judæorum rebus suæ genti plus æquo gratificati sunt; cur non idem dicemus ab aliarum nationum Scriptoribus esse factitatum. Quod quidem Origenis argumentum validissimum est contra incredulitatem; quo utiliter & hodie uti possemus contra eos, qui vulgo *Spiriti forti* appellantur, qui semper dubitant quando agitur de Religione.

IV. Dicendum ergo cum Origene, quod si sæpe fides adjungenda est auctoritati hominum, quæ vade aliquo indiget; rationabilius est adjungere fidem Deo qui infallibilis est, & credere sincero corde veritates omnes, quas ipse nos edocet. Non sufficit autem has interius credere, sed earum publica professio est neces-

Fidem publice profiteri debemus. Exhortat. ad Martyr. num. 5. pag. 277.

saria. *Se enim ipsos decipiunt*, inquit Origenes, *qui ad consequendum in Christo finem sufficere putant illud: Corde creditur ad justitiam, non adjecto altero: Ore autem confessio fit ad salutem.*

V. Hinc vetustus hic Pater absolute damnat eos, qui Principibus adulantes ac Regibus, adorare se simulabant idola, cum in corde ipsorum certum esset, quia nihil est idolum: deinde docet, hunc vaferrimum agendi modum nullo pacto sociari posse cum sermone divino, qui æque vetat & colere affectu idola, & eadem adorare cultu exteriori. *Utrumque .... resecat sermo divinus, ut neque affectu colas; neque specie adores.* Et re quidem vera: *Dolus est eum alius quis lingua loquitur, & aliud volutat in corde.* Neque solum stultum est simulacris preces ferre, verum etiam ad id simulandum trahi exemplo multitudinis, quod faciebant nonnulli inter Ethnicos Philosophos. Hujusmodi simulationes christiano indignæ sunt: *Nihil enim in anima hominis vera pietate Deum colentis inesse debet adulterinum.* Hinc primi Christiani malebant tormenta & mortem subire, quam vel unum Verbum proferre, unde suspicio oriri posset, se fidei valedixisse, quemadmodum alibi jam observavimus.

III. SÆCULUM.

Sequitur idem argumentū. Homil. 8. in Exod. num. 4. pag. 158. Lib. 3. in Epist. ad Roman. Tom. II. Geneb. Pag. 328. Lib. 7. contra Celsū. num. 66. pag. 741. De spe. Homil. 9. in Exod. num. 3. pag. 164. In Ps. 42. pag. 707. Tom. II. Recent. Edition. In Ps. 41. pag. 704. In Ps. 44. pag. 713.

VI. Inter res, quæ ad Ecclesiæ ornamentum inserviunt, ejusque characterem constituunt, spes ab Origene numeratur, quam comparat Hyacinto: *Hyacinto spes regni cælorum conferri potest. Anima opus habet hac* (David) *commonitione: Spera in Deo.* Sancti qui sperant in Deo ac in ejus auxilio, armati sunt hoc salutari cornu, de quo loquitur Regius Propheta: *Sancti, quasi cornu, armati sunt Deo*: & in prolatione sancti hujus nominis sat virium habent, unde de inimicis propriis victoriam reportent, juxta hæc ejusdem Regis verba: In te inimicos nostros ventilabimus cornu. *Deus solus refugium; quapropter ad nullum alium confugiamus.* Spes in præsenti tantum vita locum habet: *Post hoc enim sæculum fruitur quis iis, quæ speraverat.*

In Ps. 136. pag. 850. De Charitate, sive dilectione Dei. Homil. 3. in Cantic. Tom. I. Geneb. pag. 337.

VII. Quoad Charitatem, seu Dei dilectionem hæc habet Origenes. *Deum diligere, nullus modus, nulla mensura est, nisi hæc sola, ut ei totum exhibeas, quantum habes.* Diligendus est Deus ex toto corde, ex tota anima, & ex totis viribus. *In hoc ergo nulla mensura est.* Absque divina hac virtute nec perfecte bona esse possunt opera nostra, nec meritoria vitæ æternæ, quemadmodum cum Origene diximus capite superiori. Virtus hæc est character, quo veri Abrahæ filii designantur, & distinguuntur ab illis, qui ut Ismael non sunt veri ejus filii. *Iste ergo qui in charitate perfectus est, & de Abraham nascitur, & filius libera est.* Qui vero non perfecta charitate, sed futuræ pœnæ metu & suppliciorum timore mandata custodit, est quidem & ipse filius Abrahæ, accipit & ipse dona, id est, operis sui mercedem: tamen inferior illo est, qui non servili timore, sed in charitatis libertate perfectus est: iste accipit repromissionem, licet ille accipiat benedictionem, hoc est, ut opinor ego, accipit temporalia bona: nam in diverso sensu hic Origenis textus interpretari nequit, si volumus hujus textus verba conciliare cum recitatis capite superiori ejusdem Scriptoris verbis; quod scilicet omnia opera, quæ pro Deo facta non sunt, sunt opera inania, de quibus rationem reddemus in die judicii; insuper quod irreprehensibiliter non operatur, sed injuste facit opera justitiæ qui servat mandata Divina non ut Deo placeat, sed ob alium aliquem finem; tandem, quod Deus vult, ut non metu pœnæ, sed amore pietatis ejus præcepta custodiamus: quæ quidem omnia essentialiter includunt dilectionem Dei. Quando igitur vetustus iste Auctor subjungit, eos, qui pœnæ metu & suppliciorum mandata custodiunt, & ipsos esse filios Abrahæ, & accipere benedictionem, hoc intelligi naturaliter debet in sensu a me exposito, uti & ipse Origenes videtur asserere, quando sermonem habens de bonis operibus infidelium ait: *Quoniam opera bona, quæ fiunt ab infidelibus, in hoc sæculo eis prosunt, & non in illo ad consequendam vitam æternam.* Igitur timor servilis confert temporalia bona; non sufficit autem ad consequendam vitam æternam: hinc dilectio Dei ad salutem est absolute necessaria. Hanc eamdem veritatem confirmat Origenes eodem loco cum ait, eos qui pœnæ metu operantur, & pœnæ metu mandata custodiunt, accipere benedictionem utique; minime vero repromissionem: quod quidem est eos excludere a Regno Cœlorum.

Homil. 7. in Genes. n. 4. p. 79.

Homil. 11. in Numer. num. 3. pag. 367. Hom. 2. in S. Lucam. Tom. I. Geneb. pag. 135. Homil. 11. in Levit. pag. 248. Rec. Edition. n. 2. Tract. 25. in S. Matt. Tom. II. Geneb. pag. 110.

CAPUT TERTIUM.

DE DILECTIONE PROXIMI, ET DE QUIBUSDAM ALIIS VIRTUTIBUS MORALIBUS.

Dilectio Proximi commensurari debet qualitati Personarū. Homil. 3. in Cantic. Tom. I. Geneb. pag. 307.

I. Si tenemur Deum diligere ex toto corde, uti hucusque diximus, ex tota anima, & ex tota virtute, & in hoc nulla mensura est: idipsum tamen dicendum non est de dilectione proximi, quæ dilectio, ut ordinata sit, qualitates personarum debet attendere. *Diligere ... proximum; est mensura aliqua: Proximum*, inquit (Christus Dominus) *tuum dilige, sicut temetipsum.* Si ergo aut in Dei dilectione minus aliquid feceris, (scribit Origenes) quam potes, & quam in viribus

III. SÆCULUM.

ribus tuis est: aut inter te & proximum tuum non servaveris æquitatem, sed aliquid differentiæ habueris; non est in te charitas ordinata, nec ordinem suum tenens. Si quis laboret in verbo Dei, atque animas nostras instruat & illuminet, viam salutis doceat, vivendique ordinem tradat; & hic quidem proximus est, sed *Multo amplius alio proximo diligendus, qui horum nihil egerit*. Quod si aliquis nos errantes, & in præcipitio positos peccati, ad lucem revocet pietatis, & de ipso jam interitu eripiat, ac retrahat ad salutem, atque ex ipsis faucibus æternæ mortis eripiat, hic quidem illa ipsa (si fieri potest) plenitudine charitatis, qua Deum diligimus, diligendus est post Deum. Si quis sit sanctæ vitæ vir innocens, immaculatus, & qui in justificationibus & mandatis Dei ingrediatur sine querela, hic vir propter opus suum, & vitæ suæ meritum habendus est in charitate superabundantius illo, qui nihil horum agit. Uno verbo habenda est ratio qualitati personarum, & beneficiis, quæ in nos contulerunt; hoc est, pro meritis etiam & caussis unicuique in omni castitate deferenda dilectio est. Erga Sanctos qui nos in Christo genuerunt, sed & Pastores atque Episcopos, vel qui verbo Dei præsunt Presbyteri, aut qui bene ministrant in Ecclesia, vel qui in fide præcellunt cæteros; erga hos omnes, pro uniuscujusque meritis affectio pensabitur charitatis longe eminentior, quam erga eos haberi potest, qui aut nihil horum, aut non integre egerunt. Sed & inter parentes fideles & infideles, concludit Origenes, & fratres fideles ac infideles, sororesque, potestne fieri ut non erga hos singulos diversus ordo habeatur charitatis? Hæc est Origenis doctrina quoad proximi dilectionem, toto cœlo diversa a falsa imaginatione quorumdam imperitorum devotorum, qui nullam in hoc articulo distinctionem admittere volunt. At, quidquid ipsi opinentur, semper verum erit, Charitatem, ad hoc ut sit virtus, debere esse recte ordinatam: sed talis nunquam erit, nisi attendat qualitatem personarum: quod quidem requirit necessario aliquam distinctionem.

Remissio injuriarū. Tract. de Oration. num. 28. pag. 254.

II. In genere ex dilectione proximi tenemur 1°. oblivisci injuriarum omnium, quas fratres & proximi nostri nobis intulerunt, quia debita propria recordabimur, quæ sæpe omisimus solvere non hominibus tantum, sed & ipsi Deo. Memores enim eorum, quæ cum deberemus, non reddidimus, sed fraudem fecimus præterito tempore, quo hæc vel illa proximo præstare debuimus, mitiores erimus in eos, qui debent nobis, nec debitum reddunt: maxime si non obliviscamur eorum, quæ in Deum peccavimus, & iniquitatis quam in excelsum locuti sumus, sive ignoratione veritatis, sive impatientia eorum quæ nobis acciderunt adversa. *Quod si nolimus in debitores nostros esse benigni, eadem patiemur ac ille, qui centum denarios conservo non donavit ... Nobis fit remissio peccatorum, per hoc quod & nos remittimus peccata fratribus nostris*: Sic enim dicit ipse Dominus & Salvator noster: (a) si remiseritis fratribus vestris ex corde peccata ipsorum, & vobis remittet pater vester peccata vestra: quod si non remiseritis fratribus vestris ex corde, nec vobis remittet pater vester.

Homil. 3. in Levitic. num. 4. pag. 190.

Correctio fraterna. Homil. 3. in Levit. num. 2. pag. 144.

III. 2°. Licet teneamur patienter ferre injurias proximi, cavere nihilominus debemus, ne unquam in peccatis alterius polluamus conscientias nostras, ne consensum male agentibus præbeamus. *Consensum autem dico, non solum pariter agendo, sed etiam ... reticendo* (notabilis quidem veritas!) Hinc Christus Dominus ait: (b) Si videris fratrem tuum peccare, argue eum inter te & ipsum solum. Quod si te non audierit, adhibe tecum alios duos vel tres. Quod si nec ipsos audierit, dic Ecclesiæ. Quod sane Evangelicum præceptum, (observat Origenes) in eo perfectius datum est, quod indicandi peccati modum disciplinamque constituit. *Non vult enim te ... continuo ... divulgare aliena peccata ... quod esset utique non corrigentis, sed potius inflammantis ... Non solum emendaveris peccatum, sed & duplicaveris*. Discamus ergo ex Evangelio ordinem servandum in correctione fraterna: *Disce ergo ex Evangeliis ordinem*, inquit Origenes eodem loco. Primo, inquit, solus inter te & ipsum; secundo, adhibe tecum alios duos vel tres: tertio, dic Ecclesiæ. Quilibet Christianus fratrem corrigere tenetur servato ordine modo recitato. *Peccatum quod commisit ille quem celat, ipse suscipiet, & pœna commissi revolvetur ad conscium*. Diversimode hodie opinantur homines & agunt sub specioso prætextu servandi unionem & concordiam: at quænam potest esse hæc concordia, quæ adversatur veritati?

Adversus detractionem.

IV. 3°. Ex eadem hac dilectione proximi tenemur ipsius famam tueri, & nunquam eam lædere sermonibus nostris: *Ad benedicendum enim*, inquit egregie Origenes, *& non ad maledicendum nati sumus*. Detractio est peccatum, quod, sicuti graviora peccata, excludit nos a Regno cœlorum. Exemplum Mariæ sororis Moysis ostendit, quam periculosum sit hoc peccatum. *Moneor*, inquit Origenes, *& utiliter ac necessario moneor ex hoc facto ... ne aperiam os meum ad derogandum non solum Sanctis, sed, & quibuslibet proximis meis*. „ Vides, subjungit e vestigio, quanta „ ex hoc indignatio Dei fuerit, quanta vindicta pro„ cesserit. Denique adversum peccatum istud simili in„ dignatione etiam in aliis Scripturæ locis Deum com„ moveri videmus. Ex iis igitur omnibus Divinæ Scri„ pturæ sermonibus, velut gladiis quibusdam utrinque „ acutis, obtrectandi fratribus, & derogandi Sanctis „ vitium resecemus „.

nem. Epist. Origen. Tom. I. pag. 5. Homil. 7. in Numer. num. 1. pag. 289.

V. Nec nos morari debent hæc Origenis verba: *Quibuslibet proximis meis*, quasi inde sequeretur, nobis unice vetitum esse lædere famam proximi, permissum autem id nobis esse quoad cæteros homines, qui hac proximi qualitate destituuntur: non, inquam, morari nos debent ea verba; nam Origenes ipse illi interpretationi viam omnem occlusit dicens, *Proximus, sæpe omnis homo dicitur*. Videtur utique alio loco contraria docere idem Auctor cum ait: *Non est inordinatus sermo divinus, nec impossibilia præcipit, nec dicit: Diligite inimicos vestros ut vosmetipsos, sed tantum: Diligite inimicos vestros*: ex quibus verbis videtur inferri posse, Origenem non recensere inimicos inter proximos. Verum, quidquid sit de hac opinione, cui non subscribo, vetustus iste Pater constantissime docet, nos debere juxta Scripturarum doctrinam diligere inimicos nostros, & non posse eos odisse. Igitur, secundum Origenem non possumus lædere ejus famam: & hoc est, de quo in præsentiarum agimus.

In Deuteron. T. II. Recent. Edition. pag. 390. Homil. 2. in Cantic. Tom. I. Geneb. pag. 307.

VI. Nimii essemus, si in animo esset exscribere omnia loca, in quibus Origenes disserit de cæteris moralibus virtutibus: hinc aliqua solummodo proferemus ejusdem peculiaria testimonia, quæ præ cæteris visa sunt nobis Christianorum moribus efformandis magis accommodata. Inter hæc quidem, ut ego opinor, locum obtinere illud debet, quod in eodem Auctore legimus de timore Dei. *Nihil*, inquit ille, *cor nostrum æque custodit ac timor Dei; siquidem timore Dei quilibet a malo declinat*. Pariter inter ea recenseri debet quod ille tradit de Castitate: vult quippe Origines, ut corpore simul & animo casti simus; cum, ut docet ipse, virtus hæc ab aliis virtutibus separata, grata Deo esse nequeat. Quicunque ergo, scribit ille, de castitate animæ solliciti non sunt, licet corpore casti sint, sunt ex illis quinque virginibus stultis, quæ virgines quidem fuerunt, & castitatem corporis servaverunt, oleum autem charitatis, & pacis, & reliquarum virtutum, in vasis suis condere nescierunt, & idcirco exclusæ sunt a thalamo sponsi: *quoniam sola carnis continentia ad altare Dominicum non potest pervenire, si reliquis virtutibus deseratur*.

Utilitas timoris Dei. In Psal. 140. pag. 818. Tom. II. Recent. Edition.

Castitas Christiana. Homil. 1. in Levitic. num. 5. pag. 187.

VII. Hoc tamen impedire non debet, quo minus castigemus corpus nostrum, & imponamus ei frænum continentiæ. *Impone ei*, inquit Origenes, *continentiæ frænum*; & manum disciplinæ ne auferas a carne tua, sicut imposuit manum carni suæ ille qui dicebat (c): Macero corpus meum, & servituti subjicio. *Jugula eam contra Dominum, mortificans .... membra tua*. Mortificatio hæc nobis necessaria est in præsenti vita: *Castigatio corporis, donec sumus in corpore isto corruptibili & passibili, sine dubio necessaria est*: & alicujus castitas talis est, quæ requirat macerari corpus suum, & subjici servituti, & quæ adhuc dicat: Castigo corpus meum &c.

Castigatio carnis. Ibid.

Homil. 9. in Numer. num. 7. pag. 299. Homil. 2. in Numer. num. 2. pag. 279.

VIII. Itaque non recte sentiunt qui corporis mortificationem contemnunt, immo cum hæreticis ipsis sentiunt, qui abstinentias rident & jejunia veluti quid superfluum ac mere judaicum. „ Abstinentia ciborum, „ inquit Origenes, & castigatio corporis, donec su„ mus in corpore isto corruptibili & passibili, sine „ dubio necessaria est „. *Sic ergo*, repetit inferius, *& nunc necessaria abstinentiæ ratio videtur, & postmodum non quærenda*. Quoad jejunium in particulari, Origenes aperte declarat, illud omni tempore servari posse: *Tu si vis jejunare secundum Christum, omne tibi tempus aptum est totius anni*. Quando ergo non est tibi humiliationis dies, qui Christum sequeris, qui est humilis corde, & humilitatis magister? Tu itaque si vis jejunare, jejunia secundum præceptum Evangelii, & observa in jejuniis Evangelicas leges, in quibus hoc modo Salvator de jejuniis mandat (d): Tu autem si je-

Necessitas abstinentiæ. Homil. 9. in Numer. num. 7. pag. 299.

Jejunium Christianorum. Homil. 10. in Levit. num. 2. pag. 265.

(a) Matth. cap. 9. vers. 14.
(b) Matth. cap. 18. vers. 15. 16.

(c) I. Corinth. cap. 9. vers. 27.
(d) Matth. cap. 6. vers. 17.

III. SÆCULUM.

Pag. 245.

si jejunas, unge caput tuum, & faciem tuam lava. Unge ergo caput tuum: *Sed observa, ne oleo peccati*: sed unge caput oleo exultationis, oleo lætitiæ, oleo misericordiæ. Jejunans ergo debes adire Pontificem tuum Christum, qui utique non in terris requirendus est, sed in cœlis. *Jejuna ab omni peccato*. Nullum cibum sumas malitiæ, nullas capias epulas voluptatis, nullo vino luxuriæ concalescas. Jejuna a malis actibus, abstine a malis sermonibus, contine te a cogitationibus pessimis: *Tale jejunium placet Deo*. Abstinere vero a cibis, quos Deus creavit, ad percipiendum cum gratiarum actione fidelibus, & hoc facere cum his qui Christum crucifixerunt, acceptum esse non potest Deo. Nec hoc tamen ideo dicimus, ut abstinentiæ christianæ fræna laxemus. Habemus enim Quadragesimæ dies jejuniis consecratos: habemus quartam & sextam Septimanæ dies, quibus solemniter jejunamus. *Est certe libertas Christiano per omne tempus jejunandi, non observantia superstitione, sed virtute continentiæ*.

IX. Origenes exponit deinceps magnas hujusce jejunii utilitates; asserit enim, per hoc jejunium servari apud Christianos incorruptam castitatem. *Nam quomodo apud eos castitas incorrupta servatur, nisi arctioribus continentiæ fulta subsidiis?* insuper, per has abstinentias eos facillime dare posse operam lectioni & studio Sacrarum litterarum: *Quomodo Scripturis operam dabunt?*, . . . *nonne per continentiam ventris & gutturis?* tandem per hoc jejunium efformari voluntarios Eunuchos, de quibus Evangelium loquitur: *Quomodo quis seipsum castrat propter regnum cœlorum . . . nisi abstinentia utatur ministra?* Quid ultra requiritur, ut Novatores fateri cogantur, se per summam injuriam damnare jejunia & abstinentias quas servat Ecclesia? Sancta hæc mater carnis castigationem præcipit ob eadem motiva, quæ ex Origene jam protulimus: monet filios suos, ut caveant a superstitione Judæorum, ut jejunent corpore & spiritu: Anne igitur Judæorum jejunia servat Ecclesia? Ast aliquo prætextu Novatoribus opus erat, ut Religionis contemptum tegerent.

X. Etsi Origenes fateatur, connubia legitima carere peccato, nihilominus videtur docere, matrimonii usum non esse omnino purum, & generationis actum non esse dignum præsentia Spiritus Sancti. *Connubia quidem legitima*, inquit ille, *carent quidem peccato, nec tamen tempore illo, quo conjugales actus geruntur, præsentia Sancti Spiritus dabitur*. Sermonem habens de incestu filiarum Loth; „ *Vereor*, inquit, *proloqui quod sentio*; „ vereor, inquam, ne castior fuerit harum incestus, „ quam pudicitia multarum. *Discutiant se & requirant . . . si ob hoc solum adeunt viros, ut suscipiant liberos; si post conceptum desistant*. Sunt quædam, addit ipse quæ sicut animalia absque ulla discretione indesinenter libidini serviunt; *quas ego nec mutis pecoribus comparaverim*. Pecora enim & ipsa sciunt, cum conceperint, ultra non indulgere maribus copiam sui . . . sed vos, o populus Dei, „ prosequitur idem Pater, intelligite Apostoli sermonem, quo ait (*a*): Sive manducatis, sive bibitis, „ sive aliud quid facitis, omnia in gloriam Dei facite. Quod enim post manducare & bibere dicit: Sive aliud quid facitis, inverecunda conjugii negotia „ verecundo sermone signavit, ostendens etiam ipsa ad „ Dei gloriam geri, si posteritatis solius contemplatione procurentur „. Hæc habet Origenes de Matrimonio; habet autem cum cæteris vetustis Patribus, qui ante ipsum floruerunt.

Effata Origenis circa usum Matrimonii. *Homil. 6. in Numer.* num. 3. pag. 288. *Homil. 5. in Genes.* num. 4. pag. 75.

XI. Antequam huic Capiti finem imponamus in medium afferenda sunt quæ sentit Origenes de Voto. *Scio*, inquit ille, *diversa vota in Scripturis referri*. Inde profert, ut exemplo aliquo utatur, votum Annæ matris Samuelis, votum Jephte, aliorumque in genere; illud vero esse Deo magis acceptabile dicit, quod votum Nazaræorum appellatur: *Votum Nazaræi, quod est super omne votum*. Nam filium offerre, vel filiam, prosequitur idem Presbyter, aut pecus, aut prædium, hoc totum extra nos est. *Semetipsum Deo offerre, & non alieno labore, sed proprio placere, hoc est perfectius & eminentius omnibus votis . . . Quid ergo magnum facies homo, si semetipsum offeras Deo, cui ipse se prior obtulit Deus?* Hæc Origenis verba placere nequaquam poterunt Novatoribus, qui contemnunt & irrident tria Religiosorum vota, per quæ homines semetipsos Deo offerunt, & quæ complectuntur perfectam illam oblationem, quam verbis modo recitatis Origenes tantopere commendat.

De Voto. *Homil. 24. in Numer.* num. 2. & pag. 364.

Ibid. n. 3. pag. 365.

XII. Huc referri possunt quæ docet Origenes de Juramento, servari scilicet non posse, quando est de re mala. *Absurdum enim videtur*, inquit ille . . . . *ut si per iracundiam dixero, me hominem occisurum . . . ne pejerare . . . . . videar, cogar ad explendum opus quod temere & illicite promisi*. Hanc eandem ob caussam contendit ille, excusari debere Judith si non servavit pacta cum Holoferne; immo asserit hoc fuisse bonum & beatum in ordine ad Deum. *Quid facere debebat Judith?* verba Origenis sunt, *servare ne pacta, vel ea prævaricari? In confesso est quia prævaricari. Illam namque prævaricari quoad Holofernem, beatum erat in ordine ad Deum*. Videtur hoc loco Origenes parum remittere de severitate suæ Moralis. Male utique egisset Judith servando pacta cum Holoferne, illud videlicet adimplens, quod illi promiserat: ast quomodo excusari omnino poterunt mendacium, dissimulatio, dolus, quæ omnia in hac promissione intercessere? Hoc siquidem nullo pacto conciliari potest cum superius tradita Origenis doctrina; stultum scilicet esse aliquid simulare, & in anima hominis vera pietate Deum colentis nihil inesse debere adulterinum.

De Juramento. *Homil. 3. in Levitic.* num. 4. pag. 196.

III. SÆCULUM.

Homil. 19. in Jerem. Tom. I. Huet. pag. 193.

Lib. 3. *in Epist. ad Roman.* Tom. II. Geneb. pag. 321. Lib. 7. *contra Celsum.* num. 66. pag. 741.

(*a*) I. Corinth. cap. 10. vers. 31.

ÇAPUT QUARTUM,

De Martyrio.

I. DE Martyrio integrum Tractatum concinnavit Origenes, ibique exhortatoriis rationibus ex propria charitate petitis duos Christi Confessores incitat ad Martyrium; Ambrosium scilicet Diaconum, & Prototectum Cæsariensis in Palæstina Ecclesiæ Presbyterum, qui pro Christi confessione in vinculis detinebantur. Egregium hoc Opus, in quo Origenes se ipsum prodit vehementer inflammatum ad martyrium subeundum, nihil aliud ferme est, quam series quædam oraculorum Sacræ Scripturæ, quibus prudentissime & ad rem utitur Origenes, ut ad mortem pro veritate perferendam incitet fideles. Refellit ibidem sapientissimus iste Doctor futilissimas rationes omnes, quas excogitaverant quidam Hæretici, quasque adoptabant falsa sæculi prudentia, & humana infirmitas, ut averterent iis in circumstantiis veros Dei famulos a regulis Evangelii. Totum hunc pulcherrimum & apprime utilem Tractatum de verbo ad verbum libentissime exscriberem, nisi vererer creare fastidium lectoribus; saltem præcipua hujus Tractatus loca exscribam, quorum lectio stimulos ad martyrium addere poterit illis Christianis, qui ab eodem magis videntur alieni.

II. Origenes initio Tractatus sui, ut ostendat Christi Confessoribus, eos pro nihilo reputare debere ærumnas hujus vitæ, inita comparatione cum mercede illa, quæ in cœlis reposita est iis qui persecutionem patiuntur propter justitiam; & memoria hujus mercedis debere eos per omne quod instat certamen gaudere, exultare, & tripudiare, „ Velim igitur, inquit Sanctos Martyres alloquens, vos per omne quod instat „ certamen, memores multæ illius mercedis, quæ in „ cœlis reposita est iis qui persecutionem & opprobria „ patiuntur propter justitiam, & propter filium hominis „. Et paucis interjectis, proposito exemplo Abrahæ, qui primo Domini mandato obediens exivit de terra sua, hortatur Martyres ut ipsius Abrahæ dispositiones imitantes, parati sint obedire voci ejusdem Dei, qui eisdem præcipere potest, non solum ut exeant de terra sua, sed etiam de universo mundo. *Nobis forte ab eo brevi dicetur: Exite de universa terra, cui obedire bonum est*.

Exhort. ad Martyr. Tom. I. n. 2. & 4. pag. 275. & 276.

III. Probatio igitur, prosequitur Origenes, & examen nostræ erga Deum charitatis instans esse tentatio putanda est: *Tentat enim vos Deus*, ut in Deuteronomio (*b*) scriptum est, *ut sciat, utrum diligatis Dominum Deum vestrum ex toto corde vestro, & ex tota anima vestra*. Deinde tradit, nullam deteriorem labem inuri posse animæ, quæ cum confessa non fuerit, qui vere unus & solus est Dominus; & enorme in Christiano peccatum appellat, jurare per alicujus hominis fortunam, quemadmodum tunc temporis jurare cogebantur fideles; nullum siquidem non movebant lapidem persecutores, ut tale jusjurandum a fidelibus obtinerent. Hac autem ratione impletur Confessionis mensura, inquit idem Pater, si per totum inquisitionis & tentationis tempus locum diabolo non demus in cordibus nostris, *Qui nos inquinare vult cogitationibus malis, aut negationis, aut dubitationis*: Si nos præterea nullo verbo maculemus quod a confessione alienum sit; si cuncta feramus & adversariorum contumelias, & ludibria, & risus, & infamiam, & misericordiam qua nostri misereri videntur quos nempe errantes & stultos arbitrantur, & deceptos vocant: ad hæc, si neque nos divellat atque distrahat liberorum uxorisve amor, aut alicujus eorum quæ carissima in vita

num. 6. pag. 278.

pag. 279. & 280.

num. 11. pag. 281.

(*b*) Cap. 13. vers. 3.

III. SÆCULUM.

vita putantur esse; ut aut possessionibus aut huic ipsi vitæ hæreamus, sed ab his omnibus aversi, toti Dei simus, ejusque vitæ quæ cum ipso & apud ipsum est, ut communionem habituri cum Unigenito ejus Filio, & his qui ejus participes sunt: tunc nos confessionis mensuram implevisse dicere poterimus. Si vero vel uno illorum aliquo defecerimus, non implevimus, sed inquinavimus confessionis mensuram.

IV. Ut ostendat deinde, quemlibet Christianum teneri etiam cum vitæ dispendio confiteri fidem Jesu Christi, sciendum, inquit, & illud est, nos id quod dicitur testamentum Dei, certis conventionibus suscepisse, quas tum fecimus, cum nos juxta Christianam Religionem victuros recepimus. num. 12. pag. 281. Evangelium autem dicit: Si quis vult post me venire, abneget semetipsum, & tollat crucem suam, & sequatur me (*a*): qui perdiderit animam suam propter me, salvam faciet eam (*b*): quid prodest homini, si mundum universum lucretur, animæ vero suæ detrimentum patiatur (*c*). Nunc vero appareat, verba Origenis sunt, an sustulerimus crucem nostram, & Jesum secuti simus: quod factum est si vivit in nobis Christus. Si nostram volumus animam salvam facere, ut ipsam anima meliorem recipiamus, martyrio perdamus eam. Si enim eam perdiderimus propter Christum, eamque illi profuderimus propter ipsum moriendo, veram salutem ei comparabimus. Sin minus, audiemus nihil illi prodesse, qui pag. 282. universum mundum sensibilem sua ipsius jactura lucratus fuerit; quique propriam semel animam perdiderit, ejusve detrimentum fecerit, eum nec mundum universum, si lucratus illum sit, posse pro amissa anima commutationem dare.

V. Deinceps recitatis Divi Petri verbis: Ecce nos num. 14. pag. 283. reliquimus omnia, & secuti sumus te &c. (*d*); „ Horum ego verborum caussa, inquit Origenes Ambrosium in particulari alloquens, optarim tot bonis affluere, quot tu, aut etiam pluribus, & sic Martyr esse Deo in Christo, quo multoties plura accipiam. „ Quapropter si martyr fuero, velim & liberos relinquere, & agros, & domos, ut apud Deum & Patrem Domini nostri Jesu Christi, a quo omnis paternitas in cœlo & in terris nominatur (*e*), multo „ plurimorum & sanctiorum liberorum pater dicar, „ aut, ut definite dicam, centuplorum. „ Origenes ut incendat Ambrosium ad hanc rerum omnium conculcationem, quæ quidem molesta esse debet naturæ, eidem repræsentat, quod Martyres, qui propter Dei in Christo charitatem, fallacem & quæsitam a plerisque gloriam, & possessiones, & naturalem in liberos amorem conculcant; martyres, inquam, isti, primas obtinebunt super illos, qui etsi martyres, pauperes tamen cum essent, nihil conculcaverunt: „ Ut igitur æquum „ est, ait Origenes, eos qui tormentis & laboribus „ probati non sunt, primas iis cedere, qui in equuleis „ & variis tormentorum generibus & igne patientiam „ exhibuerunt: sic & nos pauperes, etsi martyres erimus, ratio suadet primas vobis relinquere, qui „ propter Dei in Christo Charitatem omnia conculcatis „.

VI. Insuper Origenes in mentem revocat Ambrosio & Prototecto solemnes promissiones factas in Baptismo, ostenditque, eam libertatem, qua elegerunt servire vero Deo potius quam diis extraneis, pro ipsis evasisse necessitatem propter pacta inita cum Deo, quando iis qui illos erudiebant in fide responderunt: Serviemus Domino, quia ipse est Deus noster. „ Nunc „ autem, ait illis Origenes, id vobis dicendi locus „ non est: tunc enim dixistis: Absit a nobis, ut re„ linquamus Dominum, & serviamus diis alienis: Do„ minus Deus noster, Ipse est Deus. Sed & in Reli„ gionis fœdere olim doctoribus vestris spopondistis „ in hæc verba: Serviemus igitur Domino, quia ipse „ est Deus noster „. Hoc pacto Origenes incitabat Sanctos hos Confessores ad martyrium: motivum vero ab eodem modo allatum, ex præcipuis est, unde inflammari possint Christiani ad confessionem fidei tempore persecutionis.

VII. Validissimis momentis idem argumentum confirmat Origenes cum sermonem habet de gaudio Annum. 18. pag. 285. gelorum qui vident certamen Martyrum pro Christiana num. 22. p. 288. &c. Religione; de constantia Eleazari, ac septem fratrum Machabæorum; de præcepto, quod Christus Dominus n. 29. &c. pag. 291. dedit non inimicis suis, inquit Origenes, sed suis amicis, bibendi scilicet calicem suæ passionis; de exemnum. 34. pag. 296. plo Salvatoris ipsius, qui ob mortem quam passus est num. 35. pag. 297. Crucis, nunc sedet ad dexteram Dei Patris; de gloria quæ revelabitur in nobis propter tormenta quæ sustinuerimus; de periculo decedendi morte vulgari, & præcipue de voluntate Domini, qui forte ideo servavit Sanctos hos Confessores usque ad tempora persecutionis, ut proprio sanguine abluerentur, & mundarentur omni peccato. num. 39. pag. 300.

VIII. Validissimum æque est aliud momentum quod Origenes petit a naturali desiderio animæ adhærendi Deo, cum quo aliquam habet cognationem, eo quia intelligibilis est, invisibilis, & incorporea. *Est etiam manifestum*, inquit ille, ... *mentem cognationem habere cum . . . Deo . . . . Quid ergo*, egregie concludit, *refugimus & dubitamus, abjecto quod nos impedit corruptibili corpore, & terreno tabernaculo quod animam gravat, & onerat mentem sollicitam, vinculis absolvi carnis . . . . ut cum Christo Jesu propria beatitudinis requie perfruamur.* num. 47. pag. 307.

IX. „ Dudum Jesu sermones audivimus, prosequitur Origenes, & multo jam tempore ex Evangelii num. 48. pag. 307. „ præscripto viximus, ædificavimusque nobis omnes „ domum. Ubi vero ædificaverimus, an supra petram, & fodetimus in altum; an super arenam sine fundamento. Instat enim tempestas, ferens pluviam, & flumina, & ventos, vel, ut Lucas vocat, „ inundationem; & hæc illisa domui, vel non potuerunt eam movere, & propterea non cadet domus, „ quippe supra petram Christum fundata, vel ædificii „ debilitatem arguent, quod instante occasione cor„ ruet: quod a nostris absit ædificiis . . . . Quamobrem nos precemur, ut assimilemur viro sapienti, num. 49. pag. 306. „ qui ædificavit domum suam supra petram . . . Demonstremus animam nostram semen ejus suscepisse, „ non ut qui secus viam sunt, neque ut petrosa, ne„ que ut spinæ, sed ut terra bona . . . . . Quando „ igitur juxta Apostolum Dei agricultura, Dei ædifi„ catio estis; ut ædificatio Dei stemus inconcussi ad „ tempestatem; ut Dei agricultura neque de maligno „ curemus, neque de tribulatione aut persecutione quæ „ propter verbum oriatur, neque de fallacia divitia„ rum, aut de vitæ voluptatibus . . . . . festinemus „ ad eas divitias quæ fallaciam non habent, & ad „ voluptates, ut ita dicam, Paradisi deliciarum pro„ peremus „.

X. Tandem Origenes concludit admirabilem hunc num. 50. pag. 309. Tractatum, Sanctis Confessoribus repræsentans 1°. quod eorum sanguis ad Deum e terra clamabit, sicuti legimus in Scripturis de voce sanguinis Abel. 2°. quod forte aliqui ementur pretioso sanguine martyrum, sicuti omnes empti sumus pretioso sanguine Jesu Christi. *Forte etiam, ut pretioso Jesu Sanguine . . . . empti sumus, sic & pretioso Martyrum sanguine quidam ementur*, οὕτως τῷ τιμίῳ αἵματι τῶν μαρτύρων ἀγορασθήσονταί τινες. Quæ Origenis verba maxime attendenda sunt, cum probent Communionem Sanctorum. 3°. iisdem Confessoribus dicit, quod qui Martyr est, Deum sua morte clarificat. Hæc sunt præcipua, quæ deprehendere potui in Origenis Exhortatione ad Martyrium.

XI. Quia vero quoddam veluti martyrium, fortasse non minus Deo acceptum, ii sustinent, qui in ipso sinu Ecclesiæ persecutionem patiuntur ab impiis, qui quandoque conantur separare bonos a communione cæterorum fidelium; hinc operæ pretium erit tradere Origenis hac super re doctrinam, & præcipue modum ex eodem excribere, quo se gerere debeat fidelis in his circumstantiis. *Quid agēdum in persecutionibus, quæ a malis Christianis proveniunt.* Horum, inquit ille, (qui scilicet persequuntur justos) magis misereri, quam eos odisse debemus, & orare pro illis, quam eis maledicere: *Epist. Origen. T. I. Recent. Edit. p. 5.* ad benedicendum enim, & non ad maledicendum nati sumus. „ Nos hoc sentimus, ait insuper, quod eji„ ciantur de regno cœlorum, non solum qui grandia „ peccaverunt, verbi gratia fornicatores & adulteri, „ & masculorum concubitores, & fures, sed & qui „ in quempiam maledicta conferunt, & libenter con„ tentiones reperiunt. Unde cuncta nitimur agere „ consilio, & in moderatione sermonis, ut nulli au„ deamus maledicere „.

XII. Infamia utique est a populo Dei & Ecclesia injuste separari: Dedecus est in Ecclesia surgere de consessu Presbyterii, projici de Diaconatus gradu: non ideo tamen licet seditiones commovere, & congregare populos ad schisma faciendum; nunquam siquidem hæc fuit Origenis mens; nunquam hæc Origenes peregit quando persecutiones passus est ab inimicis suis: Nam illud docuit semper verbis & exemplo, debere nos cum omni humilitate & patienter talia sustinere; nam qui talia agunt, inquit ille, & a Deo *Homil. 10. & 11. in Ezechielē, Tom. I. Geneb.* misericordiam consequuntur, & frequenter etiam ab homi-

(*a*) Matth. cap. 16. vers. 24.
(*b*) Ibid. vers. 25.
(*c*) Ibid. vers. 26.

(*d*) Ibid. cap. 19. vers. 27.
(*e*) Ad Ephes. cap. 3. vers. 15.

III. SÆCULUM.

hominibus revocantur in pristinum gradum, & in gloriam quam amiserant. Ex præclara hac instructione perbelle eruitur quænam esset ipsius mens, quænam sui cordis optima dispositio. Vel ex hoc uno loco omnes deprehendere commode possunt, quam longe esset Origenes a commovenda seditione, vel ab excitando Schismate, necnon quam firmiter adhæreret Ecclesiæ, licet crudelissimas persecutiones ab adversariis suis pateretur. Apparet ex his discrimen inter Origenem & Tertullianum.

CAPUT QUINTUM,

DE ORATIONE.

I. DE Oratione pariter Tractatum conscripsit Origenes, in quo plurima occurrunt summa consideratione dignissima loca non solum quoad ejus utilitatem, verum etiam quoad dispositiones ad orandum necessarias, & quoad corporis compositionem Orationis tempore servandam. Ad Orationis utilitatem quod attinet, mentem suam aperit Origenes cum ait, omnes Sanctos magnam utilitatem ab Oratione accepisse. Ut vero a Christo Domino, qui est Sanctus Sanctorum, initium sumamus, hæc scribit Origenes: *Quod si Jesus orat, nec orat frustra, sed per orationem petita consequitur, sine oratione forte non accepturus, quis nostrum orare negligat?* Deinde utilitates enumerat, quas Sancti veteris Testamenti ab Oratione reportaverunt. Per Orationem siquidem Anna huic mundo edidit Samuelem, Ezechias ab illa infirmitate, qua erat moriturus; liberatus est; Mardochæus & Esther Judæorum salutem obtinuerunt; Judith Holofernem superavit; tres Pueri meruerunt ventum roris flantem, ignisque vires cohibentem accipere; Daniel obturavit ora leonum; Jonas e ventre Ceti egressus est; Ninivitæ meruerunt habere Deum propitium.

Utilitas Orationis. Tract. *de Oratione*. n. 13. & 14. pag. 216. & 219. T. I. Recent. Edit.

II. Quanta vero sunt, quæ unusquisque nostrum, si modo grato animo memor acceptorum beneficiorum laudes Deo pro his referre velit, poterit enarrare? Animæ enim, quæ diu sine prole manserunt, deprehensa ejus partis sterilitate, quæ princeps in ipsis esse debet, mentisque orbitate, a Spiritu Sancto per assiduam Orationem veluti gravidatæ, salutares sermones, veritatisque cognitione plenos generarunt. Quot etiam oppugnantibus nos sæpe multis adversæ potestatis millibus, divinaque nos dejicere spe volentibus, hostes prostrati sunt? Fallacem & probabilem sermonem diaboli ille contemnit, immo & principem militiæ adversæ ille jugulat sæpe, qui Dei laudibus confidit. Quot sunt, qui cum in tentationes incidissent superatu difficiles, nihil ab ipsis passi sunt? fateri igitur oportet cum Origene, Orationem majorem cæteris rebus præstare nobis utilitatem; immo maxime necessariam nobis esse, cum sine Oratione Divinas res intelligere non valeamus: *Maxime etiam necessaria est ad res divinas intelligendas oratio*, inquit Origenes in quadam sua Epistola ad Divum Gregorium Thaumaturgum.

Sequitur idem argumentum num. 13. pag. 217.

Tom. I. Rec. Edit. pag. 31.

III Hæretici illius ævi, infensissimi Orationis hostes objiciebant primo loco: Si Deus futurorum præscius est, & ipsa oportet fieri; si omnia juxta voluntatem Dei fiunt, & stabilia sunt ipsius decreta, nec quicquam eorum quæ vult, mutari potest; vana est Oratio. Origenes autem respondet 1°. experientia compertum esse, omnes nos libero arbitrio donari, idque reipsa probat pluribus rationibus ab eadem experientia depromptis. 2°. Dei præscientiam, non esse caussam eorum quæ futura sunt, quemadmodum supra in Sectione Dogmatica notavimus, & quæ proprio motu arbitrioque nostro effecturi sumus. Origenes econtra contendit, Decreta Divina supponere prævisionem nostrarum precum, quarum precum qualitate præcognita; ordinari a Providentia quid cuique pro dignitate conveniat. „ Hunc orantem assidue, Origenes sic Deum „ loquentem inducit, propter illam ipsam quam fundet orationem, exaudiam: hunc vero non exaudiam, „ aut quod indignus sit qui exaudiatur, aut quod ea „ petiturus sit, quæ nec ipsi capere expedit, nec me „ dare decet „. De hujus ratiocinii realitate respondere ego nollem. Subjungit Origenes, quod Deus, juxta prænotatam præscientiam, illi qui digne est oraturus, mittit Angelum illum ministrum, qui saluti ejus collaborare incipiat: illi vero, in quo Deus oppositas videt dispositiones, pessima quædam potestas, nacta occasionem, ut ipsius insidietur ignaviæ, prompta adesit. Hoc Origenis systema Lectoribus attento animo perpendendum relinquo.

Objectio adversus utilitatem Orationis. Tract. *de Oratione*. num. 5. pag. 206. Responsio Origenis. pag. 207.

num. 6. pag. 208.

IV. Orationis hostes objiciebant pariter hoc Sophisma: Aut ii qui orant electi sunt ante mundi constitutionem, nec fieri potest ut excidant ab illa electione; adeoque Oratione isti non indigent: aut electi non sunt, neque prædestinati, iique frustra orant, cum eorum Oratio vel millies repetita exaudienda non sit. Respondet Origenes, semper quidem juxta suum systema, quod cum Prædestinatio vel Reprobatio futura sit ex prævisis meritis, jam nullo pacto tollitur necessitas orandi. Hæc consequentia rectissima est, & talis esset pariter in systemate prædestinationis gratuitæ; quemadmodum videbimus in Divo Augustino, cæterisque Patribus, qui hanc Doctrinam tradiderunt.

Solvitur alia difficultas. *Ibid.*

V. Origenes nixus cuidam Apostoli oraculo (*a*) distinguit quatuor Orationis species: obsecrationem scilicet, hoc est emissas ab aliquo suppliciter preces, ut id quo indiget consequatur: Orationem, quam quis de majoribus rebus elatiore animo Deum glorificando emittit: petitionem, quæ est oratio ad Deum ab eo facta, qui majore quadam confidentia utitur: tandem gratiarum actionem, quæ est de bonis a Deo impetratis conjuncta Orationibus Confessio. Idem Origenes probat usum harum omnium specierum Orationis pluribus Veteris Testamenti locis, in quibus de illis reipsa sermo occurrit.

Quatuor Orationis species. num. 14. pag. 220.

VI. Distinguit insuper idem Auctor quatuor Orationis partes, quas dispersas asserit in Sacris litteris. Sunt autem hæ partes ejusmodi. Pro viribus in principio atque exordio Orationis gloria reddenda est Deo per Christum conglorificatum in Sancto Spiritu collaudato. Postea collocare quivis debet gratiarum actiones communes pro pertinentibus ad omnes beneficiis, tum pro eis, quæ privatim a Deo consecutus est. Post gratiarum actionem debere videtur suorum peccatorum amarus apud Deum accusator fieri, ac petere primum medellam, qua habitu ad peccandum impellente liberetur, deinde præteritorum remissionem. Post confessionem quarto loco videtur adjungenda petitio magnarum & cœlestium rerum & pro se & pro omnibus & pro familiaribus & amicis. *Has, quas dixi partes*, inquit Origenes, *dispersas in Scripturis invenimus*. Idque probat pluribus earumdem Scripturarum oraculis. Ac super his omnibus, sic concludit ille, oratio debet in glorificationem Dei per Christum in Spiritu Sancto desinere. Quod sane videtur valde conforme praxi Ecclesiæ, quæ in fine cujuslibet Psalmi recitat *Gloria Patri*, & in fine hymnorum omnium & Canticorum recitat quosdam versiculos, qui hanc glorificationem exprimunt.

Quatuor partes Orationis. num. 33. pag. 271.

pag. 272.

VII. Ut nostra Oratio nobis proficiat quædam necessario requiruntur dispositiones, & sunt sequentes. 1°. *Ne alienis cogitationibus mens obfuscetur*, verba sunt Origenis, *oportet orationis tempore eorum omnium oblivisci quæ ab oratione aliena sunt*. 2°. Oportet orantem levare puras manus, acceptas omnibus injurias remittendo, omnemque ex animo ita perturbationem ejiciendo, ut nemini sit iratus. 3°. Omnino utile erit, si quis ad orandum mente intentus, per ipsum quem inter orandum habebit statum, ita se composuerit, *Quasi qui Deo adstet, & cum ipso loquatur, tamquam inspiciente ac præsente*. 4°. Oportet orantem vitare inanem gloriam & ostentationem. Oratio Christiani debet in hoc opponi Orationi pharisæorum, qui reipsa non orabant, sed cupiebant videri ab hominibus orantes: Sed Christianus non debet esse ejusmodi *Neque* (orare debet) *ut videatur ab hominibus, sed ut appareat in conspectu Domini Dei*. 5°. Christianus intrare debet in cubiculum suum, nec foras respicere debet, nec inhiare ad exteriora, *Occlusisque omnibus sensuum ostiis, ne ab illis distrahatur*, aut eorum imagines in animum intromittantur, orare Patrem, qui absconditum ejusmodi nec fugit, nec deserit.

Dispositiones ad Orationem, & quomodo orandum. num. 9. pag. 210. *Ibid.*

num. 8.

num. 19. pag. 229.

num. 20. pag. 230.

VIII. „ Arbitror igitur, concludit Origenes, eum „ qui ad orationem accessurus est, si paululum substiterit, seque ipsum composuerit, promptiorem & at„ tentiorem per totam orationem fieri; item si omnes „ animi anxietates cogitationumque perturbationes ab„ jecerit, sibique pro viribus in memoriam reduxerit „ ejus ad quem accedit majestatem, & quam impium „ sit illi se laxum & remissum & quasi contemnentem „ offerre, si denique aliena deposuerit, sic venire ad „ orandum: animam ante manus, ut ita loquar, ex„ tendere: ante oculos mentem ad Deum dirigere: „ antequam stet, erigere humo superiorem animæ par„ tem & coram universorum Domino statuere: om„ nem denique earum, quas ab aliquo sibi passus vi„ detur,

Sequitur idem argumenti. num. 31. pag. 267.

(*a*) I. ad Timoth. cap. 2. vers. 1.

III. SAECULUM.

„ detur, injuriarum memoriam in tantum deponere, „ quantum & Deum quispiam vult immemorem esse „ eorum quæ inique gessit ipse, & in multos e pro- „ ximis peccavit, aut quæ præter rectam rationem „ quovis egisse modo sibi conscius est „. Omnia hæc respiciunt dispositiones Animæ.

Corporis compositio Orationis tempore servanda. Ibid.

IX. Quoad corporis vero dispositiones, cum innumeri sint corporis habitus, ille proculdubio omnibus præponendus est, inquit Origenes, quo extenduntur manus, & sursum oculi tolluntur. At ob peculiarem aliquam circumstantiam licet sedentem orare, aut etiam jacentem: *Ob circumstantiam enim, licet aliquando sedentem orare, puta propter ægritudinem pedum .... aut etiam jacentem, propter febres, aut ejusmodi morbos.* Genuum etiam flexio necessaria est, cum sua quis apud Deum peccata supplex accusaturus est, ut remittantur, & ab eis sanetur. Versus Orientem orandum, quia Oriens natura præstat reliquis cœli partibus. Mulieres in particulari quod spectat, oportet eas, inprimis cum orant, Deum revereri, ac omnem intemperantem muliebremque recordationem ex animæ præcipua parte expellere: ornari vero non intortis crinibus, & auro, & margaritis aut veste pretiosa, sed quibus decet mulierem pietatem promittentem ornari.

num. 32. pag. 270. & 271. num. 9. pag. 211.

De locis, in quibus orandum. num. 31. pag. 268.

X. Licet locus omnis aptus ad orationem efficiatur ab eo qui recte orat; nam Malachias ait (*a*): in omni loco incensum offerte mihi, dicit Dominus: & Apostolus scribit (*b*): volo igitur viros orare in omni loco; nihilominus potest quisque, quo suas preces quietior ac minus distractus absolvat, certum ac definitum in privatis ædibus, si spatium sit, eligere locum, ut ita dicam, sanctiorem, ibique orare: quod quidem intelligi debet de peculiaribus cujusque fidelis precibus; nam si loquamur de publicis precibus, peragebantur istæ etiam Origenis ætate iis in locis, quæ ad fidelium conventum erant statuta; quæ sane loca, ut inquit Origenes ipse, aliquid cum utilitate jucundi habebant: *Habet aliquid cum utilitate jucundi locus Orationis, ille scilicet quo fideles conveniunt. Credibile est enim,* illico subdit, *Angelicas potestates credentium cœtibus adesse, ipsiusque Domini, & Servatoris nostri virtutem, immo & Sanctorum spiritus, opinor etiam defunctorum: nam de superstitibus manifestum est.* Tradit insuper, Angelos custodes peculiarem eorum curam habere, qui Ecclesias adeunt ut glorificent Jesum Christum: hoc autem beneficio destitui asserit eos, qui conveniunt more humanarum societatum, eosque dicit non respici a Deo, qui eos permittit incidere in tentationes: quo fit, ut in periculo versentur amittendæ pietatis, & amittendæ fidei. Quæ omnia Origenis loca attente consideranda sunt, & inferenda cordi fidelium hujus ætatis, quorum pars maxima in Ecclesias conveniunt more humanarum Societatum.

Ecclesia est locus ad Orationem cæteris aptior. Ibid. pag. 269.

Ibid.

Quænam sint vera Orationis nostræ objecta. n. 8. pag. 210. num. 17. pag. 226. num. 14. pag. 219. & 220.

XI. Ut Deo acceptæ sint preces nostræ, nec peti debent exigua, nec rogandum est de rebus terrenis. *Non exigua petenda, nec de terrenis rogandum.* Orandum est pro iis, quæ præcipua & vere magna sunt & cœlestia; quod autem ad terrena attinet, Dei arbitrio relinquendum, qui scit, quid propter mortale corpus opus sit nobis antequam petamus eum. Orando magna, hoc est spiritualia, si petimus, parva, hoc est temporalia nobis adjicientur: quod si non adjiciantur, non ideo tristari debemus, cum temporalia bona non sint nisi umbra bonorum spiritualium.

pag. 224. & 225.

Vita Justorum Oratio perpetua. n. 12. pag. 216.

XII. Licet absque mendacio dici possit, vitam Justorum esse perpetuam Orationem: *Totam viri sancti vitam, unam aliquam magnam esse orationem;* eumque sine intermissione orare, qui debitis operibus orationem jungit, orationique convenientes actiones, uti docet Origenes in suo Tractatu de Oratione, præcipue vero in quadam Homilia in librum primum Regum; quo in loco tradit, nullo alio modo impleri posse præceptum Apostoli (*c*) *Sine intermissione orate*; nihilominus quædam dici horæ statutæ sunt pro oratione, & non minus quam ter singulis diebus habenda est oratio; mane scilicet, meridie, & vespere; quin immo & nocturno tempore: *Quæ (Oratio) non minus quam ter quaque die fieri debet .... sed neque noctis tempus sine hoc orationis genere recte transigemus.* Quam praxim Origenes confirmat exemplo Christi Domini, Danielis Prophetæ & Apostoli Petri. Hæc sunt notabiliora quæ in Origene deprehendere potui circa Orationem in genere.

Homil. 2. Tom. II. Recent. Edit. n. 9. pag. 486.

Quædam horæ ad Orationē statutæ. Tract. de Orat. n. 12. pag. 216.

Explicatio Orationis Dominicæ. n. 22. pag. 231.

XIII. Quoad Orationem Dominicam in particulari Origenes docet 1°. explanans primam petitionem, quod licet Deus in veteri Testamento appelletur Pater, tamen nullibi legere est, quod Hebræi eum Patrem appellaverint in suis orationibus. *Observatu dignum est in veteri, ut vocant, Testamento, inveniatur ne alicujus Oratio, qui Deum Patrem appellet .... non invenimus.* 2°. docet, quod cum dicitur Sanctorum Pater esse in cœlis, non ille figura corporea circumscribi putandus est & in cœlis habitare: nam comprehensus cœlis Deus, continentibus ipsum cœlis inveniretur minor; ideoque esset corporeus, divisibilis, corruptibilis: quod dicere impium est. 3°. scribit, nos per hæc verba; Adveniat Regnum tuum, postulare a Deo sanctam ejus gratiam. 4°. In hæc verba; Fiat voluntas tua sicut in cœlo & in terra, Origenes animadvertit, Divum Lucam illa omisisse; & docet, nos his verbis orare, in omnibus fieri voluntatem Dei. 5°. Panis, quem in hac Oratione a Deo petimus, est panis qui de cœlo descendit, qui sanitatem simul & bonam habitudinem & vires in anima efficit, immortalitatemque suam comedenti se communicat: non enim jubemur hoc loco orare de corporeo pane, qui in nostram carnem absumitur. Notavimus jam alibi quid doceat Origenes quoad Sacramentum Pœnitentiæ, explanans quintam petitionem. Circa sextam petitionem; Et ne nos inducas in tentationem, hæc habet: *Quare Oremus tentatione liberari, non ita, ne tentemur; fieri enim id non potest, maxime cum super terram sumus; sed ne tentati succumbamus.* Tandem in hæc verba; Sed libera nos a malo, ait: liberat autem nos a malo Deus, cum vincimus inimicum nostrum, Diabolum, scilicet, adversus ea quæ accidunt fortiter stando; ideoque his verbis gratiam petimus superandi omnes Dæmonis ad perniciem nostram conatus. Mente exciderat afferre hoc eodem in capite alium Origenis textum, in quo aperte declarat, per orationem nos superare communem hunc adversarium: *Hæc est Christiani pugna*, inquit ille, *qua superat inimicum.* Itaque si permulti inter Christianos non superant inimicum, dicendum quod perpauci sunt qui orare prout oportet norunt.

num. 23. pag. 233. & 234. num. 25. pag. 238. & 239. num. 26. pag. 240. & 241. num. 27. pag. 243. & 244. num. 29. pag. 259. Homil. 11. in Exod. Tom. II. Recent. Edit. n. 4. pag. 170.

CAPUT SEXTUM.

DE VOCATIONE AD STATUM ECCLESIASTICUM; ET DE OBLIGATIONIBUS HUJUS STATUS.

Quomodo hunc statum amplecti debeamus. Homil. 5. in Ezechiel. Tom. I. Geneb. pag. 401.

I. Quibus dispositionibus hunc statum amplexus sit Origenes, facile dignoscimus, si modum amplectendi hunc statum ex eodem exscribamus, nec non obligationes, quæ illius sunt propriæ. Summa formidine quilibet adscribi debet Ecclesiasticæ militiæ juxta Origenem, immo juxta veritatem ipsam. „ Idcirco „ formidans, sic ille scribit, judicium Dei, & ante „ oculos mihi proponens illum judicii ordinem qui in „ Scripturis continetur, recordor dicti illius: Pondus „ ultra te ne leves: sed & illud: (*d*) Noli quærere „ fieri Judex, ne non valeas auferre iniquitates. Quid „ mihi prodest, quia prior sedeo in cathedra resupinus, honorem majoris accipio, nec possum habere „ dignitate mea opera condigna? Nonne majori pœna „ cruciabor, quia honor justi mihi ab omnibus defertur, cum peccator sim „. Hæc est prima ac præcipua dispositio ad statum Ecclesiasticum, agnoscere scilicet nos esse indignos, & formidare hunc statum vel ipsis Sanctis prisque viris summe formidandum.

Lib. 8. contra Cels. num. 75. pag. 798. Homil. 2. in Numeri. num. 4. pag. 356.

II. Hinc Origenis ætate ab Ecclesiasticis dignitatibus illi arcebantur, qui easdem amabant, etsi aliunde digni essent; & digniores solummodo in partem sacri Ministerii admittebantur, necnon qui præ summa modestia Ecclesiarum curam recipere nolebant, quemadmodum scribit Origenes ipse libro octavo contra Celsum his verbis: *Qui dignitates amant, eos repudiamus; cogimus vero illos, qui præ multa modestia .... recipere nolunt.* Sed discant Ecclesiarum Principes, inquit alio loco, successores sibi non eos, qui con- „ sanguinitate generis juncti sunt, nec qui carnis pro- „ pinquitate sociantur, testamento signare, neque hæ- „ reditarium tradere Ecclesiæ principatum, sed refer- „ re ad judicium Dei, & non eligere illum, quem „ humanus commendat affectus sed Dei judicio totum „ de successoris electione permittere „. His vero, qui contrarium faciunt, & Ecclesias avaris, tyrannicis, indoctis, & irreligiosis Episcopis, Presbyteris vel Diaconis tradunt; his, inquam, convenit quod de columbarum venditoribus scriptum est: Unusquisque vero eorum, qui in Cathedra Ecclesiæ sedent, & diligunt primas cathedras in synagogis, videant an non ita in cathedra sua sedeant, ut cum advenerit Jesus, eam, utpote dignam quæ evertatur, sit eversurus. Quid

Tract. 15. in Sanct. Matth. Tom. I. Huet. pag. 442.

(*a*) Cap. 1. vers. 11.
(*b*) I. ad Timoth. cap. 2. vers. 8.

(*c*) I. ad Thessalon. cap. 5. vers. 18.
(*d*) Ecclesiast. cap. 7. vers. 6.

III. Sæculum.

Quid mirum igitur, si beatorum illorum sæculorum pastores, optimi erant Ministri, qui Ecclesiæ utilitatem semper promovebant! Si sanctissimæ istæ regulæ hodie etiam observarentur, de Pastoribus qui nunc Ecclesiis præsunt, æquo jure dici posset quod de Pastoribus sui ævi scribebat Origenes, eos scilicet dignos fuisse qui Dei moderarentur civitatem, si qua hujusmodi esset in hoc mundo; & eos etiam, qui a cæteris superabantur, & apud officiorum observatores haberi poterant desidiosi, in progressione ad virtutes præcelluisse iis, qui in urbibus Senatorum, & Præsulum dignitatibus præfulgebant, *Invenias quosdam Ecclesiæ Senatores, dignos qui Dei moderentur civitatem, si qua hujusmodi esset in hac rerum universitate.*

Lib. 3. contra Celsum, num. 30. pag. 466.

III. Verum non sufficit bona ad statum Ecclesiasticum vocatio; nec sufficit per legitimas vias hujusce status officia suscipere: oportet insuper omni diligentia implere ejusdem obligationes. Qui ad primas Ecclesiæ dignitates pervenerunt, humilitati præcipue studere debent, omnibus sibi subjectis ministrare, eorumque salutem omni studio promovere. Audiamus Origenem ipsum hac super re egregie loquentem: explanans Pater iste hæc Salvatoris ad Discipulos suos verba: Principes gentium dominantur eorum (*a*): sic Christum Dominum loquentem inducit. „ At inter vos „ Discipulos meos hæc ita se non habento; neque „ quibus aliquod traditum in eos est imperium, qui „ mihi fidem habent, vel aliquam in Patris mei & „ Dei ecclesia potestatem habere creduntur, fratribus „ suis impotenter imperanto . . . . Quod si quis pri„ mas etiam apud me tenere partes cupit, se nemini „ prælatum iri sciat, sed serviat servitutem in mode„ stia, & laudabili humilitate positam, quæque ser„ vienti prodesse, eos autem juvare & reficere pos„ sit, quibus ipsa exhibetur. Et deinceps ait: Prin„ ceps vero, (hoc est Episcopus) *tanquam qui ministrantibus ministras* „. Qui in Ecclesia potentia & dominatione distingui cupiunt, nec seipsos agnoscunt, nec officium veri Pastoris, qui servus est, non dominus illarum animarum, quas suæ curæ Jesus Christus commisit.

Humilitas & Mansuetudo Pastorum Ecclesiæ. Tract. 12. in Sanct. Matth. Tom. I. Huet. Pag. 419. & 420.

IV. Docet alibi Origenes, Principi Ecclesiæ imitandum non esse principem gentium, nec eos æmulandos qui imperium potestatemve suam impotenter exercent: *Sed Christus potius*, illico subjungit, *pro virili imitandus est, ad quem facillimi sunt aditus, qui cum mulieribus conversatur, & pueris manus imponit, & in pelvim aquam profundit, ac discipulorum pedes lavat . . . . Peccat in Deum*, scribit alio loco, *quicumque Episcopus, qui non quasi conservis servus ministras, sed quasi Dominus.* Ita se gerere debet erga fideles, sicuti Joseph erga Christum Dominum. „ Puto quod intelligebat Joseph, inquit Origenes Homi„ lia vigesima in Divum Lucam, quia major se erat „ Jesus, quod subjiciebatur sibi, & sciens majorem „ esse subjectum, trepidus moderabatur imperium . . . „ Quod cum intellexerit dignitate sublimior, subdi„ idem Auctor, non elevabitur superbia ex eo quod „ magis est, sed sciet ita sibi meliorem esse subje„ ctum, quomodo & Jesus subjectus fuit Joseph „. Ecclesiæ Principes, qui hisce veritatibus animum adjicient, ægre ferent signa omnia honoris quæ eorum dignitatis sunt propria; ex necessitate solummodo eadem admittent coram illis, qui observantiam eis debent; sed humiliter plorabunt coram illo, cui debent ipsi observantiam & honorem.

In Sanct. Matth. Tom. I. Huet. pag. 421.

Tract. 31. in Sanct. Matth. Tom. II. Geneb. pag. 101.

Homil. 20. in S. Luc. Tom. II. Geneb.

V. „ *Nos autem tales sumus*, loquitur idem Orige„ nes, *ut . . . Principum superbiam aliquando supere„ mus*: & satellites haud secus ac Reges tantum non „ conquiramus: quin etiam nos ad terrorem compo„ nentes, difficilesque ad nos aditus, pauperibus præ„ sertim facientes, tales iis accedentibus, & aliquid „ rogantibus nos exhibemus, quales tyranni princi„ pumve crudelissimi supplicibus sese non præbent, „ Frequenter, inquit alio loco, caussa superbiæ est ei „ qui ignorat habere Ecclesiasticam dignitatem, sa„ cerdotalis ordo, & leviticus gradus. Quanti Pres„ byteri constituti obliti sunt humilitatis: quasi idcir„ co fuerint ordinati, ut humiles esse desisterent. „ Quin potius humilitatem sequi debuerant, quia di„ gnitatem fuerant consecuti, dicente Scriptura (*b*); „ Quanto magnus fueris, tanto humilia teipsum. „

Tract. 12. in S. Matt. pag. 420. Tom. I. Huet.

VI. Hæc autem eo non dicimus, scribit insuper Origenes, quo nos ipsi inconsulto humiliemus sub potenti manu Dei, & juxta ipsius sermonem, suo ecclesiastico ministerio: quandoque autem juxta Apostoli effatum (*c*): Peccantes coram omnibus arguendi sunt, ut & cæteri timorem habeant: nonnumquam etiam potestate sua uti licet aliquos tradendo Satanæ in interitum carnis (hoc est excommunicando). *At 1°. id raro faciendum est. 2°. Neque vero qui peccat, inimici loco habendus est*, 3°. nulla corporali pœna mulctandi sunt; *Omnia enim crimina quæ vindicari vult Deus, non per Antistites & Principes Ecclesiarum, sed per mundi Judices voluit vindicari.* Quod quidem intelligi debet solummodo de pœnis, quas sæculares Judices infligunt reis, & quæ infamiam pariunt: nam quoad pœnas Canonicas certum est, penes Episcopos residere jus easdem infligendi iis omnibus qui illas incurrere ausi sunt.

Tract. 11. in S. Matt. pag. 422.

III. Sæculum. Lib. 9. in c. 13. Ep. ad Roman. Tom. II. Geneb. Pag. 398.

VII. Quoad excommunicationem in particulari cavere oportet, quod non feratur ex odio aut vindicta, & præcipue contra eos qui hac infamia digni non sunt, quemadmodum quandoque Origenis ætate eveniebat, sicuti ipse perhibet cum ait: Quandoque aliqui Ecclesiæ Principes injuste excommunicant quosdam fideles. *Sed . . . si non ita egit*, (qui excommunicatur) *ut mereretur exire, nihil læditur in eo, quod non recto judicio ab hominibus videtur expulsus . . . Et ita fit*, inquit alio loco, *ut interdum, ille qui foras mittitur, intus sit; & ille foris, qui intus retineri videtur.* Quod tamen impedire non debet, quo minus fideles omni humilitate & patienter hanc pœnam sustineant, & in pace expectent Dei judicium, sicuti jam supra observavimus capite quarto hujus Sectionis.

Tract. 23. in S. Matt. Tom. II. Geneb. Pag. 77. Homil. 14. in Levit. Tom. II. Recent. Edition. num. 3. Pag. 260.

VIII. Ad hæc tria insuper rigorose tenentur Ecclesiæ Principes: ad Orationem scilicet, lectionem seu meditationem Divinarum Scripturarum, & verbi Dei prædicationem. Quoad Orationem Origenes iis proponit exemplum Moysis, qui sua Oratione superabat hostes Israelitarum. *Oret ergo*, subjungit Origenes, *& Sacerdos Ecclesiæ indesinenter, ut vincat populus qui sub ipso, & hostes invisibiles Amalechitas, qui sunt dæmones.* Æque tenentur ad lectionem seu meditationem sanctorum librorum, ac ad prædicationem; siquidem Origenes paulo supra scribit: *Hæc duo sunt Pontificis opera, ut aut a Deo discat legendo Scripturas divinas & sæpius meditando, aut populum doceat . . . . Sed illa doceat, (Episcopus) quæ ipse a Deo didicerit, non ex proprio corde.*

Ecclesiarum Rectores pro iis orare debent, qui eorum curæ subduntur. Homil. 6. in Leviticum. num. 6. pag. 219.

Legere ac meditari Scripturas debent, necnon easdem populos docere. Ibid.

IX. Verum obire debet sanctum hoc munus unice ut placeat Deo, & ut propriis obligationibus satisfaciat, non blandiendo auribus suorum auditorum, non ut hominibus placeat, sed rigorose simul ac benigne, non secus ac Pater, qui indesinenter ingemiscit & plorat super filiis suis, quia emendari nolunt. Quod quidem faciebat Origenes, cui incumbebat prædicare populo verbum Dei. „ Atque utinam, sic alloquebatur populum suum homilia decima in Genesim, efficeremini etiam vos Isaac, & essetis gaudium matris ve„ stræ Ecclesiæ. Sed vereor, ne adhuc in tristitia & „ gemitu Ecclesia filios pariat. An non est ei tristitia „ & gemitus, cum vos non convenitis ad audiendum „ Dei verbum, & vix festis diebus ad Ecclesiam pro„ ceditis? . . . Quid igitur ego faciam, cui dispen„ satio verbi credita est? . . . Quid ergo faciam, „ Ubi, vel quando vestrum tempus inveniam? Pluri„ mum ex hoc, immo pene totum tempus mundanis „ occupationibus teritis in foro, aliud in negotiatione „ consumitis: alius agro, alius litibus vacat, & ad „ audiendum Dei verbum nemo, aut pauci admodum „ vacant. „ Deinde vehementer arguit eos, qui præsentes etiam & in Ecclesia positi, non sunt intenti sed communes ex usu fabulas terunt, & verbo Dei vel lectionibus Divinis terga convertunt. Postea sic prosequitur: „ Asperior fortasse vobis videor: *Sed* „ *non possum linire parietem lapsantem.* Timeo enim „ illud quod scriptum est; (*d*) Populus meus qui bea„ tificant vos, seducunt vos . . . Obsecro vos qui „ auditorio verbi semper adsistitis, patienter accipite „ donec paululum negligentes & desides commonea„ mus. Habetote, inquam, vos paululum patientiam: „ sermo enim nobis est ad negligentes & eos qui „ male habent: Sani enim non indigent medico, sed „ male habentes. „ Habes nunc verum modum prædicandi verbum Dei. Veritas sincere exponenda est, & peccatores validissime sunt arguendi.

Modus prædicandi Verbum Dei. Homil. 10. in Genes. Tom. 2. p. 86.

pag. 87.

X. Debent insuper Pastores esse fideles Verbi Dei dispensatores, non effundentes rationabilem & spiritalem cibum conservis quibuscumque simpliciter, & quibus non oportet, volentes se ostendere esse prudentes & doctos: rudioribus effundere debent verbum, quod mores eorum ædificet, & vitam componat; & verbum, quod ad sapientiam producit, iis, quorum mens potest sufferre hujusmodi lucis splendorem: eos autem non pigeat exponere rudioribus vilia, licet ab ingeniosio-

Sequitur idem argumentu. Tract. 31.

(*a*) Matth. cap. 20. vers. 25.
(*b*) Ecclesiast. cap. 3. vers. 20.

(*c*) I. ad Timoth. cap. 5. vers. 20.
(*d*) Isai. cap. 3. vers. 12.

III. SÆCULUM.

niosioribus contemnantur. Qui Ecclesias regunt, de spiritualibus rebus solliciti esse debent, non de temporalibus. Sacerdotes qui partem habent in terra, sunt potius sacerdotes Pharaonis, quam sacerdotes Dei; siquidem Jesus Christus sacerdotibus suis partem non concedit in terra, sed ipse est eorum pars. *Vis scire*, inquit egregie Origenes, *quid intersit inter Sacerdotes Dei, & Sacerdotes Pharaonis? Pharao terras concedit Sacerdotibus suis; Dominus autem ... non concedit ... sed dicit eis: Ego sum pars vestra*. „ Quomodo hæc, addit ille paucis interjectis, aut ipsi „ legimus, aut populis exponimus, qui non solum „ non abrenuntiamus his quæ possidemus, sed & acqui„ rere volumus ea quæ nunquam habuimus antequam „ veniremus ad Christum? „ Nulla hic opus est consideratione, cum Origenis verba satis superque sufficiant: quilibet hæc sibi accommodare debet.

(In Matth. Tom. II. Geneb. — Animus Rectorum Ecclesiarũ a mundo & temporalibus bonis distractus. Homil. 16. in Genes. num. 5. pag. 104.)

XI. Verum sicuti Sacerdotes nullam habere debent partem in terra; sic æquum est, eos a fidelibus, qui eorum curæ commissi sunt, sustentari. Origenes hac super re formaliter loquitur: ait siquidem, exempli caussa, Christianos teneri observare secundum litteram legem de primitiis, quam non abrogavit Christus in Evangelio, immo e contra disposuit, ut qui Evangelium annuntiant, de Evangelio vivant, & qui Altari deserviunt, de Altari participent. „ Primitias omnium „ frugum, inquit ille Homilia undecima in Numeros, „ omniumque pecudum Sacerdotibus Lex mandat of„ ferri ... *Hanc ergo legem observari, etiam secun„ dum litteram ... necessarium puto .... Decet*, „ sic ille prosequitur, *& utile est etiam Sacerdotibus „ Evangelii offerri primitias*. Ita enim & Dominus „ disposuit; ut qui Evangelium annuntiant, de Evan„ gelio vivant, & qui Altari deserviunt, de Altari „ participent. Et sicut hoc dignum & decens est, sic „ e contrario & indecens, & *indignum existimo & „ impium*, si quis non offerat primitias Sacerdotibus. Non enim mihi videtur, concludit eruditus iste Pater, hujusmodi anima habere memoriam Dei, nec cogitare, nec credere, quia Deus Solem suum producendo, & pluvias suas ministrando dederit fructus quos cepit, quos ita recondit quasi alienos a Deo: Si enim a Deo sibi datos crederet, sciret utique munerando Sacerdotes honorare Deum de datis & muneribus suis.

(De obligatione Primitiarum. Homil. 11. in Numer. num. 1. pag. 303. — num. 2. pag. 305.)

XII. At quidquid de hoc opinentur homines, semper verum erit, Christianos etiam teneri ad hoc præceptum de primitiis. Quando Jesus Christus arguit Pharisæos, qui decimam dabant menthæ, & cymini, & anethi, dum præteribant quæ majora sunt legis, non docet omittere minora legis, sed docet peragenda esse majora, & minora non omittenda. *Hæc oportet fieri, & illa non omitti. Vide ergo diligentius*, sic concludit, *quomodo sermo Domini vult fieri quidem omnimode quæ majora sunt Legis, non tamen omitti & hæc quæ secundum litteram designantur*. Perperam autem quis reponeret, hæc Christum dixisse Pharisæis, non Discipulis: nam ad Discipulos ait: Nisi abundaverit justitia vestra plusquam Scribarum & Pharisæorum, non intrabitis in Regnum cœlorum. (*a*) *Quod ergo vult fieri a Pharisæis, multo magis, & majori cum abundantia vult a Discipulis impleri*. Hæc Origenes ut ostenderet obligationem offerendi primitias.

(Ibid.)

XIII. Origenes eodem modo quo de primitiis, loquitur etiam de Decimis: ait enim: Lex Dei Sacerdotibus commissa est & Levitis, ut huic soli operam tribuant, & verbo Dei absque ulla sollicitudine vacent: *Sed interim ut vacare possint, laicorum uti ministeriis debent*. Si enim laicus quæ necessaria sunt non præbuerit Sacerdotibus & Levitis, occupati illi in talibus, idest corporalibus curis, minus legi Dei vacabunt; illis autem non vacantibus, neque operam dantibus legi Dei, tu periclitaris. *Obscurabitur enim lux scientiæ, quæ in illis est, te non subministrante oleum lucernæ*: „ & culpa tua illud eveniet, quod dicit Do„ minus, (*b*) quia cæcus cæco ducatum præbens, „ ambo in foveam cadent ... Ut ergo lux scientiæ „ in Sacerdotibus fulgeat, & lucerna eorum sit sem„ per accensa, *tu imple officium tuum*. Quod si forte „ susceptis a te quæ necessaria sunt ... illi neglexe„ rint eruditioni operam dare, & verbo Dei vacare, „ & in lege Dei meditari die ac nocte, *ipsi videbunt „ quomodo pro animabus vestris reddant Domino ratio„ nem*. „ Deprehenditur ex his laicorum obligatio præbendi necessaria Principibus Ecclesiæ; secus laici ipsi rationem reddent de defectibus omnibus occurrentibus in exercitio proprii ministerii ex parte Sacerdotum, qui propter laicorum duritiem cogantur solliciti esse de proprio victu. Hic Origenis locus attenta consideratione perpendi debet: insuper plurima alia ejusdem generis, si opus esset, proferre possem.

(De Decimis. Homil. 17. in Josue, num. 3. pag. 419.)

III. SÆCULUM.

XIV. Etsi Origenes vetet Ecclesiarum Rectoribus omnem sollicitudinem temporalium rerum, nihilominus docet modum, quo Ecclesiæ bona debent distribuere: fideles esse debent pariter & prudentes ad dispensandos Ecclesiæ redditus: Fideles quidem, inquit ille, ut non devoremus quæ sunt viduarum, & ut memores simus pauperum & occasionem accipientes ex eo quod scriptum est: (*c*) Dominus constituit his qui Evangelium prædicant, de Evangelio vivere: amplius quæramus cibo simplici & necessariis vestimentis, ut ne amplius teneamus nobis, quam demus esurientibus fratribus & sitientibus, atque nudis, & eis qui necessitatem patiuntur in sæcularibus curis. Prudentes autem, ut unicuique secundum dignitatem uniuscujusque subministremus: non enim similiter est agendum in eis qui ab infantia duriter sunt educati & stricte, & in eis qui large & deliciose nutriti sunt. Nec eadem sunt ministranda viris & mulieribus, aut multum senibus & juvenibus, aut in juvenibus quidem & debilibus, propter quod non possunt sibi acquirere escas, & eis qui vel ex parte possunt sibi acquirere escam, & eis qui vel ex parte possunt sibi succurrere. Requirendum est autem & si multos habeant natos non negligentes, sed omnia facientes, & non sibi sufficienter occurrentes. Hæc omnia inquirere debet, secundum Origenem, qui vult bene dispensare Ecclesiasticos redditus, ut etiam in istis fidelis & prudens dispensator inventus, beatus efficiatur.

(Distributio Bonorum Ecclesiæ. Tract. 35. in S. Matt. Tom. II. Geneb.)

XV. Simul uniantur modo omnes obligationes Episcoporum ab Origene hic positæ, serio examine perpendantur omnia quæ ab iisdem requirit ad rectam temporalium æque ac spiritualium bonorum dispensationem, & nullo negotio deprehendemus, Episcopos utique propter eorum dignitatem aliquid esse & putari inter homines, sed eos semper incedere debere ante Deum in timore & tremore, ut recenseri possint inter eos dispensatores fideles, quibus merces promissa est. „ Nos, inquit Origenes Homilia septima in Ieremiam, putamur aliquid esse, quia in clericatus vo„ bis ordine præsidemus ... Nolite tamen debetis, „ non statim in eo esse salvandos, quia clerici sumus; „ multi enim & Presbyteri pereunt, & laici beatissi„ mi reperiuntur. „ Sacerdotium igitur non salvat, sed ii salvantur, qui ita vivunt, ut & ipsi ex ordine capiant fructum, & ornamento suæ sint dignitati. Verum ad alia nos conferamus.

(Animadversio Origenis circa Statum Ecclesiasticū. Homil. 7. in Jerem. Tom. I. Huet.)

CAPUT SEPTIMUM.

DE MALO, ET DE PECCATO IN GENERE.

I. POstquam disseruimus de Legibus, de Virtutibus, & pietatis Operibus, theologicus ordo postulat, ut nonnulla dicamus de malo & de peccato in genere, necnon deinceps de quibusdam peccatis ac vitiis in particulari, quorum mentio occurrit in Origene. Si eidem fides est habenda, difficile est cognoscere originem mali. Celsus ipse, Origenis adversarius, asserebat, non facile esse homini Philosophiæ ignaro cognoscere quæ malorum origo sit: at Origenes respondet: *Ajo, ne Philosopho quidem facile esse malorum originem cognoscere*. Fortasse etiam Philosophus cognoscere nullo modo potest, nisi Deo aspirante discat intelligatque & quid mala sint, & quomodo orta fuerint, & quonam modo tollenda sint. Id enim planum facit vel Philosophicarum Sectarum diversitas. Ex Christianis etiam perpauci sunt, qui malorum originem perspectam habeant: nec illam assequi potest quisquis ignoraverit quæ ad diabolum & angelos ejus pertinent; & quis esset ille antequam diabolus fieret; quomodo factus fuerit diabolus; quæ caussa fuerit, cur qui angeli ejus vocantur, cum illo a Deo defecerint. „ Si qua ergo quæstio, concludit Origenes, inter ho„ mines opus habeat longa inquisitione, & scrutatu „ nobis sit difficilius, *Certe hæc est, quæ ad malorum originem spectat*.

(Facile non est originem malorum cognoscere. Lib. 4. contra Celsũ. num. 65. pag. 553.)

II. Ex his facile inferri potest quid sentiret Origenes de origine mali: perspicuum est, juxta ipsum hanc consistere in apostasia malorum angelorum, quemadmodum seipsum alibi explicat, & præcipue libro sexto contra Celsum: ibi enim postquam probavit veritatem hanc Sacrarum Scripturarum auctoritate, hæc habet: *Ex quibus omnibus discere est, hinc malum originem & prin-*

(Origo Mali. Lib. 6. contra Celsũ. num. 43. pag. 666.)

(*a*) Matth. cap. 5. v. 20.
(*b*) Ibid. cap. 15. vers. 14.
(*c*) I. ad Corinth. cap. 9. vers. 14.

III. SACULUM.

principium habere, quod quidam alii amissis, illum secuti sunt, qui primus alas amiserat. Quo sane posito dici non potest, Deum esse auctorem mali. Oppositum ex sacris litteris erui posse autumabat Celsus; in iis siquidem quædam occurrunt phrases, quæ Deo veluti veræ caussæ videntur malum tribuere: at Origenes hanc objectionem refellit distinguens varias mali species 1°. quod attinet ad illud quod est malum in se, vitium scilicet, peccatum, hujus nequit esse auctor Deus, *Nos . . . dicimus Deum non esse malorum, seu vitii, vitiosarumque actionum auctorem.* Quod si revera esset eorum auctor, quomodo consisteret id, quod de judicio prædicatur, malos pro peccatorum ratione pœnas daturos? *Mala igitur, si quis illa hoc proprio sensu intelligat, Deus non fecit.* Sin autem, prosequitur Origenes, de malis corporeis & exterioribus, quæ per abusionem vocantur mala, sermo fiat, concedemus aliquando contigisse, ut Deus quædam eorum faceret, idque ut aliquos per illa converteret. Et quid absurdi hæc doctrina habere potest? Sicut enim, quamvis per abusionem mala appellemus pœnas illas, quas patres, magistri, pædagogi infligunt iis quos erudiunt, & medici iis, quos sanandi caussa urunt vel secant, & dicamus patrem filii, aut magistros, aut pædagogos aut medicos mala facere; non tamen accusamus eos qui verberant vel secant: sic nihil absurdi dicere mala quædam a Deo induci ad convertendos & sanandos qui hujusmodi molestiis opus habent.

Deus non est auctor mali, hoc est peccati. Ibid. n. 55. Pag. 675. pag. 676.

III. At, inquiet aliquis, si falsum est, Deum esse auctorem mali in allato sensu, saltem verum erit, Deum tolerare malum, quod impedire posset si vellet: & Origenes ipse in suo Tractatu de Oratione concedit, quod Deus malitiam in quibusdam peccatoribus negligit & contemnit crescere & ita diffundi, ut insanabilis fiat. Docet utique Origenes non uno in loco, Deum tolerare malum, etsi impedire illud posset; sed subjungit, illud ordinari ad universi utilitatem: *Quatenus rei sunt, ordinantur quidem ad universi utilitatem.* Universus siquidem terrarum orbis est magna domus, in qua uti scribit Apostolus, (a) non solum sunt vasa aurea & argentea, sed & lignea & fictilia. Quoad illud vero quod habet Origenes ipse, Deum scilicet in quibusdam peccatoribus negligere & contemnere malitiam crescere & ita diffundi, ut insanabilis fiat, illico rationem reddit hujus assertionis inquiens; *Quo diutius immorati malo, & peccato concupito ad nauseam usque satiati, damnum tandem suum sentiant:* quodque prius amplexi sunt oderint, ac curati possint redditam animarum sanitatem firmius retinere. Origenes de hoc argumento pluribus disserit, sed non admodum accurate; hinc caute legendus est.

Objectio. Resolvitur. Lib. 6. contra Celsum, num. 44. pag. 666. Tract. de Oration. num. 29. pag. 261.

IV. Præterea Deus tolerat malitiam hominum, quia *Utitur ea ad caussas necessarias.* Per ipsos enim in quibus est malitia, claros & probatos efficit eos, qui ad virtutum gloriam tendunt. Nam si perimeretur malitia, non esset utique qui contrairet virtutibus. Virtus autem non habens aliquid contrarium, non claresceret, nec splendidior & examinatior fieret. Non probata vero, nec examinata virtus, nec virtus est. Hujusce rei exemplum habemus in Joseph. Tolle malitiam fratrum ejus, tolle invidiam, tolle illud omne parricidale commentum, quo sævierunt in fratrem usquequo venderent eum. Si hæc auferas, vide quantam simul premeris dispensationem Dei. Simul enim abscindes cuncta illa quæ apud Ægyptum per Joseph pro salute omnium gesta sunt. Non fuisset interpretatio somnii Pharaonis, si per invidiam fratrum non fuisset Joseph distractus, & venisset in Ægyptum: nemo intellexisset quæ Deus revelaverat Regi, nemo frumenta congregasset in Ægypto, nemo necessitatem famis sapienti provisione curasset; periisset Ægyptus; periissent & finitimæ regiones fame. Interiisset etiam ipse Israel, & semen ejus quærens panem, si Ægyptum non fuisset ingressum, nec egressi fuissent ex ea filii Israel cum mirabilibus Domini. Nusquam plagæ in Ægyptios, neque virtutes illæ quas fecit Deus per Moysen & Aaron. Nemo rubrum mare siccis vestigiis incessisset. Cibum mannæ mortalis vita nescisset. Lex a Deo hominibus data non fuisset.

Alia caussa, cur Deus toleret malū. Homil. 14. in Numer. num. 2. pag. 322.

V. Origenes confirmat hanc eamdem veritatem Judæ exemplo, cujus malitiam & proditionem si auferas, abstuleris pariter crucem Christi & passionem ejus. Si non fuisset mors Christi, utique nec resurrectio fuisset. Quod si Christus non fuisset primogenitus ex mortuis, nec spes nobis resurrectionis fuisset: tandem, *Si non haberemus qui adversum nos obsisterent, agones non essent, nec victoribus munera ponerentur, nec regnum cælorum vincentibus pararetur.* Ex quibus omnibus colligitur, quia Deus non solum bonis utatur ad opus bonum, sed & malis; & nihil evenire, quod inutile sit quoad Deum; & omnibus rebus illum uti ad universi utilitatem. Denique exemplum Baalam Origenes proponit; licet enim pseudopropheta esset, nihilominus prophetavit de nativitate Salvatoris; quæ quidem prophetia eo magis gentilibus utilis est, quo per Baalam prolata, cui fides ab universis gentibus habebatur.

Sequitur idem argumentū. Ibid. Pag. 323. num. 3. pag. 324.

VI. Quoad peccatum, Origenes docet 1°. quod peccatum in Sacris litteris appellatur mors: *Peccatum mortem vocat*; quod quidem nomen reipsa peccato convenit, cum peccatum ad mortem nos perducat: siquidem *toties mori credimur, quoties peccamus ad mortem.* 2°. ait: *Onus monte gravius omne peccatum*; quamobrem dicebat Psalmista: (b) sicut onus grave gravata sunt super me, 3°. scribit, peccatum esse rem fœtidam, & æquo jure peccatores comparari porcis, qui in stercore fœtido volutantur. *Peccatores porcis comparantur, qui in peccatis velut in stercore fœtido volutantur.*

Peccatum in S. Scripturis appellatur Mors. Fragm. lib. 10. Stromat. Pag. 42. Tom. I. Recent. Edition. Peccatum est onus grave. In Exod. pag. 135. Tom. II. Recent. Edition.

VII. Scribit alibi Origenes, malas cogitationes esse fontem ac principium peccati; sine illis enim nec essent homicidia, nec adulteria, nec alia peccata his simillima. *Fons itaque & omnis peccati principium sunt malæ cogitationes.* Hinc nos hortatur servare cor nostrum: *Propterea unusquisque omni custodia suum cor servare debet.* Ait insuper, per peccatum nos amittere Dei imaginem: *Cum interficitur (homo) ab homicida illo, (diabolo) tum perdit Dei imaginem*: quod quidem intelligi debet de peccato mortali; agitur quippe de peccato, qui dat mortem. Præterea docet, per peccatum nos amittere meritum nostrorum certaminum ac laborum. *Si post luctam,* inquit ille, *& certamina recidivam pastaris & pecces, omnes labores tui venerunt in manus Nabuchodonosor.* Alludit hoc loco Origenes ad labores Jerusalem, de quibus sermo est in Jeremia Propheta; & idipsum probat hisce verbis Ezechielis: (c) Justus si se averterit a justitiis suis, & fecerit delictum, non recordabor justitiarum ejus quas fecit.

Alia peccati idea. Homil. 11. in Genes. n. 2. p. 90. Fons & principiū peccati sūt malæ cogitationes. In S. Matt. Tom. I. Huet. Pag. 154. Effectus peccati. In S. Joann. Tom. II. Huet. pag. 317. Homil. 18. in Jerem. Tom. I. Huet. pag. 179.

VIII. Ast peccatum horrere debemus 1°. quia juxta Origenem, *Omni qui facit peccatum, semen diaboli inest, quod quamdiu in animo est, nihil eam recti sinit agere posse,* 2°. quia peccatum sculptum adeo remanet super cor nostrum, ut nobiscum veniat ad tribunal Christi. „ Et si quidem, inquit idem Auctor, „ esset peccatum meum attramento conscriptum, forsitan delerem illud: nunc autem scriptum est in stilo ferreo . . . sculptum est super pectus cordis mei, „ *ut mecum ad tribunal veniat*, & compleatur illud „ quod a Christo prophetatum est: (d) Nihil absconsum quod non manifestabitur, & nihil occultum, „ quod non palam fiet. „

Tract. de Oratione. num. 22. Pag. 233. Homil. 16. in Jerem. Tom. I. Huet. Pag. 157.

IX. Cum dixi superius numero septimo hujusce capitis, malas cogitationes esse fontem ac originem peccati, omisi afferre quæ habet Origenes libro tertio Periarchion, falsum scilicet esse quod Dæmon ad omnia peccata quæcumque commiserint homines tentet, sicuti Origenis ætate opinabantur simpliciores nonnulli ajentes: *Quod si Diabolus non esset, nemo hominum omnino delinqueret.* Hæc autem non opinatur Origenes: *Hæc ita esse*, inquit ille, *non arbitramur.* Docet igitur, quædam semina peccatorum intra nos esse, quæ ad malum urgent independenter a suggestionibus Dæmonis; cum vero indulserimus ultra quam satis est hisce peccatorum initiis ac seminibus, tunc nos recedere a recto. Veritatem hanc Origenes totis viribus probare contendit: deinde concludit, nos in quædam peccata ex nobisipsis prolabi, in quædam vero ex Dæmonis suggestionibus. Qui plura hac super re desiderat, adeat caput secundum libri tertii Periarchion; ibi enim materiam hanc Origenes pertractat ex professo.

Non semper Dæmō ad peccatū nos tentat, sed sæpe nostra mala voluntas. Lib. 3. Periarch. c. 2. p. 138. &c.

X. Vidimus jam quid sentiat Origenes de peccato in genere, de ejus principio ac effectibus; videamus modo quid doceat idem Scriptor de divisione peccati. „ Quod inæqualia sint peccata, inquit ille, Scripturis „ utentibus nulli dubium est. „ *Alia quippe magna, alia minora ab iis esse dicuntur.* Et in hæc Christi Domini verba: (e) Quid prodest homini, si mundum universum lucretur, animæ vero suæ detrimentum patiatur; (nam sic legebat Origenes: *Animam autem suam perdat, aut damnum faciat*: distinguens interitum a damno) in hæc, inquam, verba Christi Domini, habet: *Unde videtur ostendi, quod quædam peccata* ad

Divisio peccati in mortale & veniale. Homil. 9. in Ezech. Tom. I. Geneb. Pag. 428. Homil. 10. in Exod. Tom. II. Recent. Edition. Pag. 167.

(a) II. ad Timoth. cap. 2. vers. 20.
(b) Psalm. 37. vers. 5.
(c) Cap. 18. vers. 24.
(d) Matth. cap. 10. vers. 26.
(e) Ibid. cap. 16. vers. 26.

ad damnum quidem pertineant, non tamen ad interitum. Quia, subjungit, *qui damnum passus fuerit, ipse tamen salvari dicitur, licet per ignem. Unde*, prosequitur idem Pater, *& Joannes Apostolus in Epistola sua* (a) *dicit quaedam esse peccata ad mortem, quaedam non esse ad mortem*. Sed distinguere hæc peccata facile non est, uti aperte docet ipse Origenes hisce verbis: *Quæ autem sint species peccatorum ad mortem, quæ vero non ad mortem, sed ad damnum, non puto facile a quoquam hominum posse discerni*. Attendi debent hæc verba, *a quoquam hominum*, quibus moderari deberet quorumdam Casuistarum hac in re sive audacia, sive facilitas.

Peccata venialia non occidunt animam. *Homil. 12. in Levit. num. 3. pag. 251.* Illorum omni tempore pœnitere possumus. *Homil. 15. in Levit. num. 2. pag. 262.*

XI. Igitur peccata minora, seu venialia non perimunt animam, ut eruitur tum ex Origenis verbis modo allatis, tum ex ejusdem Homilia 12. in Leviticum. *Si forte alicui . . . lapsus acciderit*, inquit ille, *semper est recuperandi facultas, . . . si nos aliqua culpa moralis invenerit, quæ non in crimine mortali, non in blasphemia fidei . . . sed vel in sermonis, vel in morum vitio consistat . . . ejusmodi culpa semper reparari potest, nec aliquando tibi interdicitur de commissis hujusmodi pœnitudinem agere*. Perspicuus est locus iste, posita veritate hujus lectionis, *culpa moralis*, quæ conformior videtur & scopo Auctoris, & sequentibus ejusdem textus verbis: at in omnibus ferme editionibus legitur *mortalis*, ut animadvertit Dominus Delarue postremus Origenis editor, qui hanc lectionem tueri videtur adversus eruditum Arnaldum, qui stat pro altera lectione *moralis*. Ego autem hanc haud levis momenti controversiam Criticis dirimendam relinquo.

Peccata mortalia animā occidunt. *Homil. 12. in Levit. num. 2. pag. 262.* Quo pacto horum remissio obtineri possit. *Homil. 6. in Exod. num. 9. pag. 150.*

XII. Idipsum autem dici non potest de peccatis mortalibus, quæ animam occidunt, & cum vita gratiæ stare non possunt. *Si autem anima vivat*, inquit Origenes, *hoc est, si non habet in se mortale peccatum &c.* Reparari autem potest *per pœnitentiam plenissimæ satisfactionis*, inquit eodem loco: sed non usquequaque desperet peccator; misericors enim est & miserator Dominus, & creaturæ suæ non vult mortem, sed ut convertatur, & vivat. *Pœnitendo, flendo, satisfaciendo, deleat quod admissum est*. Docet utique idem Pater ex auctoritate Evangelii, quædam esse peccata, cujusmodi est blasphemia contra Spiritum Sanctum, quæ non remittuntur neque in præsenti, neque in futuro sæculo; quemadmodum eruitur ex pluribus locis Operum Origenis: at per blasphemiam contra Spiritum Sanctum ille intelligit relapsum in malum, & contemptum inspirationum Divini hujus Spiritus: *In malum iterum labentes, & consilia Spiritus Sancti, qui in eis est, respuentes*. Quod quidem fere semper perducit ad finalem impœnitentiam, quæ, proxime loquendo, est solum crimen quod absolute non remittitur.

Peccata quæ non remittuntur. *In S. Joann. Tom. II. Huet. Pag. 57.*

XIII. Antequam huic capiti finem imponamus animadvertendum est cum Origene, parvum seu veniale peccatum non esse negligendum sub prætextu quod parvum est, & facile obtineri potest ejusdem remissio: non, inquam, negligendum est, quia ex uno peccato generatur & aliud. *Sed nec contemnas*, inquit præclare Origenes, *etiamsi parvam videas intra te fermentari malitiam . . . neque de parvo peccato negligas; quoniam ex uno generatur & aliud*. Sicut enim ex justitia generatur justitia, & ex castitate castitas (si quis enim primo tenuiter castus esse cœperit, accepto castitatis fermento quotidie castior efficitur) *Ita & qui semel intra se, licet parvum, malitiæ reposuerit fermentum, quotidie semetipso nequior efficitur ac deterior*. Igitur proprium damnum ipse vult, qui parva peccata contemnit.

Parva peccata negligenda non sunt. *Homil. 23. in Numer. num. 7. pag. 360.*

CAPUT OCTAVUM.

DE IDOLOLATRIA, ET DE QUIBUSDAM ALIIS PECCATIS IN PARTICULARI.

Adversus Idolorum cultum. *Homil. 8. in Exod. num. 4. pag. 158.* Quid primi Christiani sentirent de Idololatria. *Lib. 3. contra Celsū.*

I. VIdimus jam supra, eos ab Origene damnari, qui Regibus adulantes adorare se simulant idola, cum in corde ipsorum certum sit quia nihil est idolum: insuper diximus cum eodem Patre, æque adversari Evangelio & affectu colere eadem, & specie adorare: *Utrumque ergo resecat sermo divinus, ut neque affectu colas, neque specie adores*. Videamus modo quid sentiat ipse, & quid sui ævi fideles sentirent de Idololatria. *Religionis nostræ . . . . candidatis*, inquit ille, *ante omnia contemptum idolorum, omniumque statuarum indimus, mentemque horum a cultu & veneratione creaturarum, ad Deum universitatis hujus conditorem attollimus*.

Lib. 1. contra Celsū. num. 5. pag. 323.

II. Celsus ipse, licet Christianorum infensissimus hostis, quid sentirent Christiani de Idololatria exponit, & veluti confirmat dicens, ab illis propterea deos manufactos non existimari, quod a recta ratione alienum sit deorum in numero habere, improborum, sæpe etiam injustorum artificum opera. Deinde ut ostendat, neque hanc sententiam esse Christianorum propriam, aut ab illis inventam, Heracliti verba refert dicentis: *Qui ad res inanimatas, tamquam Dii essent, accedit eum perinde facere, ac si quis cum parietibus confabularetur*. Hanc veritatem confirmat Origenes, & Heraclito addit Zenonem qui in libro de Republica ait: Nihil opus erit sacella construi: nihil enim sacrum, nihil alicujus pretii, nihil sanctum existimandum est, quod a fabris operariisque construitur. Igitur vel ipsi Ethnici contemptui habebant Idololatriam.

Quid de Idololatria sentirēt Ethnici Philosophi. *Ibid.*

III. Nil mirum igitur, quod Christiani semper vehementi odio prosecuti sint hoc crimen; quod Origenes doleat, quosdam Sacerdotes illud remisisse; necnon quod asserere videatur, illud condonare esse supra eorum potestatem. *Sunt nonnulli . . . . qui gloriantur . . . . quasi possint idololatriam condonare . . . . quasi . . . . solvendum sit etiam quod ad mortem est peccatum*. Ex quibus concludi posset, Origenem habuisse Idololatriam veluti crimen quod remitti non potest. At observandum est, hunc Auctorem idipsum dixisse de adulterio & de fornicatione: siquidem post hæc verba: *idololatriam condonare*, subjungit; *adulteriaque & fornicationes remittere*. Certum autem est ex eodem, remissionem obtineri posse de adulterio: ait enim: „ Commisisti adulterium, accepisti Diaboli numisma . . . sed, subjungit paucis interjectis, si quis forte hujuscemodi pecuniam a diabolo deceptus accepit, non usquequaque desperet: misericors enim est, & miserator Dominus, & creaturæ suæ non vult mortem, sed ut convertatur & vivat. *Pœnitendo . . . . deleat quod admissum est* „. Nunquam igitur in ea fuit sententia Origenes, quod adulterium, & per consequens etiam idololatria, remitti non possit, cum eodem modo de utroque crimine loquatur. Hinc quando Origenes reprehendit quosdam Sacerdotes, eo quod abuterentur propria potestate remittentes crimen idololatriæ, tunc sese conformat Disciplinæ sui ævi, quæ majorum criminum reis non permittebat absolutionem dari posse, nisi post diuturnam ac sinceram pœnitentiam. Illud nihilominus reponi posset, Idololatriam Origenis ætate unum fuisse ex gravioribus illis peccatis, quorum absolutio denegabatur etiam in mortis articulo. Saltem certum est, Patres Eliberitani Concilii recensuisse Idololatriam inter casus exceptos, ut constat ex primo & secundo ejusdem Concilii Canone: in primo siquidem hæc legimus verba: *Placuit ut quicumque post fidem baptismi salutaris, ad templum idoli idololatraturus accessit . . . . nec in fine eum communionem* (hoc est absolutionem, juxta illius ætatis phrasim) *recipere*.

Num Idololatria sit crimen, quod juxta Origenē remitti non possit. *Tract. de Orat. n. 28. pag. 256.* *Homil. 6. in Exod. num. 9. pag. 150.*

IV. Origenes insuper sermonem faciens de idolothytis, probat quam noxium sit idolothytis uti, & ait, *Cujus quid homicidio facere eum, qui idolothytorum sit particeps, cum suos fratres interficiat, propter quos Christus mortuus est*. Deinde planum est, *Socios fieri dæmoniorum, qui mensam dæmoniorum participant*; & fieri non potest, ut idem sit & mensæ Domini, & mensæ dæmoniorum particeps. Tria hæc momenta satis sunt, secundum Origenem, ut Christiani intelligant, perniciosum esse publicis idolorum epulis vesci, eosque participes illarum fieri non debere! Urget vero Origenes præcipue postremum allatum momentum, quo magis moveri debebant fideles illius ævi, qui propterea omnia faciebant, ut semper essent mensæ Domini participes; quemadmodum ibidem disertissime testatur Origenes: *Propterea omnia facimus, ut semper simus mensæ Domini participes*.

Vetitum est participare res idolis sacras. *Lib. 8. contra Celsū. num. 24. pag. 760.*

V. Eadem de caussa vetat etiam Christianis nutriri suffocatis. Ad suffocata quod attinet, verba sunt Origenis, cum sanguis ex eis non expressus fuerit, & sanguinem ferant alimentum esse dæmonum, qui partibus ex illo exhalatis nutriuntur, illis interdicit nobis Scriptura, ut ne nos dæmonum cibo nutriamur. *Fortasse enim, si suffocatis vesceremur, quidam hujusmodi Spiritus eisdem nobiscum vescerentur*. Ex quibus omnibus constat, quam religiosi essent in hac materia veteres fideles: & merito quidem: nam ab Apostolorum temporibus usque ad ætatem Origenis viguit semper præceptum abstinendi a suffocatis. Legi hac super re debent Canones Apostolis adscripti (b); S. Clemens Ale-

Veteres abstinebāt se a suffocatis. *Ibid. n. 30. Pag. 763.*

(a) Epist. 1. cap. 5. vers. 16.

(b) Can. 62.

III. SÆCULUM.

Alexandrinus in suo Pædagogo (*a*); Martyr Babyla in Eusebio (*b*); Tertullianus in Apologetico (*c*); & Minutius Felix in suo Octavio.

Peccatum est juxta Origenem, aliquid edere cum dubio aut suspicione quod idolis immolatum fuerit. *In S. Matth.* Tom. I. Huet. pag. 250.

VI. Verum ut de idolothytis iterum disseramus, Origenes urget adeo Obligationem abstinendi ab iis, ut aperte asserat, illos qui his epulis vescuntur peccare non solum quando certo constat idolis immolatas fuisse, sed etiam quando vel sola habetur suspicio. *Suspicantes autem*, inquit ille, *& ea de re dubitantes, si talibus utamur, non ad Dei gloriam eis usi sumus .... cum non ipsa solum suspicio .... comedentes condemnet, sed & de ea re dubitatio.* Quam assertionem suam probat Origenes quodam Divi Pauli textu, perperam, ut mihi videtur, intellecto. Ait siquidem Apostolus (*d*): Qui dubitat, si manducaverit, damnatus est, quia non ex fide; omne autem quod non ex fide, peccatum est. Verum, ut mihi videtur, hæc Divi Pauli verba non sunt consentanea menti Origenis. In Divo Paulo enim agitur de hoc dubio; num scilicet quidam cibi manducari possint: in Origene vero agitur de alio dubio; videlicet, num cibi quibus vescimur, idolis fuerint immolati. Divus Paulus proponit dubium juris; Origenes vero dubium facti. Igitur Origenis scrupulus non confirmatur auctoritate Apostoli, immo omnino tollitur, cum alibi idem Apostolus scribat (*e*): Omne quod in macello vænit, manducate, *Nihil inquirentes*. Ast omni excusatione dignus est Origenes hac super re, perpensis gravissimis rationibus ab eo allatis ut ostendat, perniciosum esse publicis Idolorum epulis vesci.

VII. Etsi de innumeris vitiis sermonem habeat Origenes, ac ex ejus Operibus uberiores exscribi possint Tractatus Morales; nihilominus ut brevitati studeam, quoad unum vel alterum tantummodo vitium ea proferam, quæ notabiliora in eodem Auctore deprehenduntur. Ut autem, a vana humanaque gloria initium sit, vitium hoc in Veteri æque ac in novo Testamento damnatum reperitur. *Humana gloria occupationem*, inquit Origenes, *contendimus interdici non solum, Jesu doctrina, sed etiam Scriptura veteri.* Humilitas Christiana, quæ humanæ gloriæ opponitur, tanti momenti est, ut hanc Christus Dominus nos docuerit verbo & exemplo: verbo quidem, cum ait: Discite a me quia mitis sum & humilis corde: exemplo autem; quia cum in forma Dei esset, semetipsum exinanivit formam servi accipiens, & habitu inventus ut homo humiliavit seipsum factus obediens usque ad mortem, mortem autem Crucis. In quo autem consistat Christiana hæc humilitas, ab Ipso Origene audiamus. Necesse non est, inquit ille, ut qui humiliter sentit, is indecenter & indecore se demittat, procumbat humi pronis genibus, infelicium sibi vestem induat, fædetque cinere caput. Quod si qui præ sua simplicitate non intelligentes in quo sita sit humilitas, illa quæ diximus abjecta factitant, non in doctrinam conferenda culpa est; sed ignoscendum eorum simplicitati qua fit ut ignorent hujus virtutis naturam; quam virtutem ille revera habet, qui humiliat se sub potenti manu Dei, & versari amat in magnis atque admirabilibus, & quæ ipsum superant rebus, nempe in Dogmatibus, quæ vere magna sunt & admirabilia.

Adversus vanam humanamque gloriam. Lib. 7. contra Cels. num. 24. pag. 711.

Idea veræ Humilitatis. *Ibid.* lib. 6. n. 15. pag. 641.

VIII. Summa Vanitas est, & Christianæ humilitati apprime opposita, gloriari de bonis, gratiæ aut naturæ. „ Sunt quidam, inquit humillimus iste Auctor, „ in eo se jactantes, quia filii Regum sunt, & nobili familia nati. Sunt alii, qui de eo sublevantur, „ quia potestatem habent occidendi homines. Alii „ super divitiis suis applaudunt. Alii superbiunt super domo splendida, super possessionibus multis. „ At istiusmodi homines, vel ne umbram quidem & „ imaginem elationis suæ possunt ostendere, vel eorum gloria in confusione est, vel in iis gloriantur, „ in quibus non est penitus gloriandum. Insuper aliquis elevatur ob sapientiam suam, alius ob castitatem, rursumque alius erigitur, quia vincula pro „ Christo portaverit. Recta quidem videntur hæc omnia, & subjicienda quadam persuasione ad gloriandum; sed ne in his quidem (si sequimur veritatem) „ rationabiliter quis effertur; nam Paulus ipse, qui „ habuit materiam elationis .... ne in talibus quidem sine periculo sublevari potuit: hinc benignus „ & providus Pater, ad tuitionem donorum suorum „ tradidit Angelum Satanæ, qui eum colaphizet, ne „ extolleretur „.

Varia Vanitatis Objecta. *Homil. 9. in Jerem.* T. I. Huet.

IX. Insuper alia vanitas est, eaque major, gloriari de meritis Majorum suorum. „ Nihil mihi conducit „ Martyr Pater, inquit egregie Origenes, si non bene vixero, & ornavero generis mei nobilitatem, „ hoc est testimonium ejus & confessionem, qua illustratus est in Christo. Nihil prodest Judæis dicentibus: Abraham Pater noster est: quæcumque dixerint, quæcumque sibi assumere voluerint, si non habuerint fidem Abraham, incassum gloriantur .... „ Unum autem hoc scito, (ait præterea, Ambrosium, „ alloquens qui pro Christi fide in vinculis detinebatur) non qui filii sunt carnis, hos esse Filios Dei: „ & sicut tunc dicitur ad eos qui de semine Abraham „ sunt .... opera Abrahæ facite; sic & filiis tuis „ dictum iri .... si filii Ambrosii estis, opera Ambrosii facite .... Nemo nostrum, concludit vetustus hic Pater, confidat in justo patre, in matre „ sancta, in fratribus castis „.

Homil. 4. in Ezech. Tom. I. Geneb. pag. 399.

Tract. de Martyr. pag. 299. Tom. II. Recent. Edition. num. 38.

Homil. 4. in Ezech. Tom. I. Geneb. pag. 399.

X. Pauca dicenda supersunt de ebrietate, quam vivis adeo coloribus depingit Origenes, ut vel in ipsam proniores emendari debeant; ait siquidem: *Est ergo ebrietas vini perniciosa in omnibus; sola namque est, quæ simul cum corpore & animam debilem reddat.* In ebrietatis ægritudine corpus simul & anima corrumpitur; spiritus pariter cum carne vitiatur. Omnia membra debilitat, pedem, manum, linguam resolvit, oculos tenebrat, mentem velat oblivio, ita ut hominem se esse nesciat nec sentiat. *Vinum terræ nudat mentem spiritualium cognitione.* Ebrietas fuit caussa incestus Loth. *Audite ebrietas quid agat*, inquit Origenes; *audite quantum facinoris concilies temulentia. Ebrietas decipit quem Sodoma non decepit.* Omnes quibus in usu est inebriari absque ullo scrupulo, exemplum Loth attendant, sicuti eos monet Origenes his verbis: *Audite & cavete vos, quibus istud malum, non in crimine, sed in usu est.*

Adversus Ebrietatem. *Homil. 7. in Levit.* num. 1. pag. 220.

In Genes. Tom. II. Recent. Edition. pag. 34. *Homil. 5. in Genes.* n. 3. p. 74.

XI. Diximus jam in primo hujus Operis tomo, quosdam veteres nullum non movisse lapidem, ut excusarent incestum hujusce Patriarchæ: Origenes autem idipsum non sentit: id unum asserit, eum insidiatum non esse, aut violenter eripuisse pudicitiam filiarum: in quo, inquit ille, excusari posse videtur: subjungit vero: *Sed neque circumventus fuisset a puellis, nisi inebriari potuisset.* Unde videtur mihi prosequitur ille, in parte culpabilis, in parte excusabilis inveniri. *Excusari namque potest, quod a concupiscentia & voluptatis crimine liber est; & quia neque ipse voluisse arguitur, neque volentibus consensisse: subjacet vero culpa, quod decipi potuit, quod vino nimis indulsit. Et hoc non semel*, addit Origenes; unde minori culpa reus esset; *Sed iterum fecit*; quo fit, ut ejus incestus voluntarius sit in suo principio.

Quid sentiret Origenes de incestu Loth. *Ibid.*

XII. Quod filias hujus Patriarchæ attinet, minus excusabiles sunt patre suo, quia arte & studio patrem deceperunt. Origenes earum culpam vocat *grande crimen*: nihilominus easdem excusat ob motiva boni universalis, quæ eisdem benigne attribuit. 1°. enim nescierunt, quod Sodomiticis regionibus igne vastatis, multum adhuc spatii integrum residebat in mundo. 2°. recuperandi generis humani desiderium habuerunt, atque instaurandi sæculi, quod igne consumptum opinabantur. *Et quamvis*, addit Origenes, *grande eis crimen videretur furari concubitum Patris; gravior tamen eis videbatur impietas, si humanæ, ut putabant, posteritatis spem, servata castitate, delerent.*

Quid sentiret idem Pater de filiabus hujus Patriarchæ. *Ibid* n. 4. p. 74. & 75.

CAPUT NONUM.

IN QUO HABITO SERMONE DE STUDIO AC LEGITIMO USU SCIENTIARUM PROFANARUM, PAUCIS EXHIBETUR IDEA VITÆ AC MORUM VETERUM CHRISTIANORUM.

I. FAteri debemus cum Origene, Studium Scientiarum mundi perniciosum esse posse Christiano, qui post egressum, descensum semper timere debet in Ægyptum, hoc est versari cum disciplinis mundi postquam legi Dei nomen dedit: quam veritatem experientia didicit Origenes, & traditam asserit in Sacris litteris exemplo Ader seu Adad, quem confundere videtur cum Jeroboamo. „ Solet tamen, verba sunt Origenis, „ Divina Scriptura e terra filiorum Israel in Ægyptum „ descensum in malis ponere, *tacite innuens quibusdam* „ *malum esse versari cum Ægyptiis, hoc est cum mundi* „ *disciplinis, postquam legi Dei nomen dederint.* Ader „ certe Idumæus, prosequitur idem Pater, quamdiu „ fuit in terra Israel non gustavit Ægyptiorum panes, „ idola non fabricatus est: cum vero a Sapiente Salomone aufugiens descendit in Ægyptum, velut fugiens „ a Dei

Periculum Scientiarum profanarum. *Ep. Origen. ad D. Gregor. Thaumat.* Tom. I. Recent. Edition. n. 2. p. 31.

(*a*) Lib. 3. cap. 3.
(*b*) Hist. Ecclesiast. Lib. 5. cap. 1.
(*c*) Cap. 9.

(*d*) Ad Roman. cap. 14. vers. 23.
(*e*) I. ad Corinth. cap. 10. vers. 25.

III. SÆCULUM.

„ a Dei sapientia, cum Pharaone affinitatem iniit, du- „ cta uxoris ipsius sorore, & procreato ex ea filio, „ qui inter liberos Pharaonis educatus est. Quare etsi „ in terram Israel reversus est, in id reversus est, ut „ Dei populum divideret, eoque induceret, ut de au- „ rea vitula diceret: Hi sunt Dii tui Israel qui eduxe- „ runt te de terra Ægypti „. Error facti deprehenditur hoc loco in Origene, qui confundit, ut omnibus perspectum est, Ader cum Jeroboamo. „ Ac ego sane „ experientia doctus affirmaverim, prosequitur Orige- „ nes, paucos admodum inveniri, qui perceptis Ægy- „ pti utilitatibus, ex ea egressi sint, & quæ ad Dei „ cultum pertinent, constituerint „. *Multos vero esse Ader Idumæi fratres.* Inde hæreses, juxta Origenem promanarunt; nos vero addere possumus, ipsius Origenis errores inde promanasse; ideo enim erravit vetustus hic Pater, quia Philosophiæ principiis veritates Religionis voluit accommodare.

Studium, & legitimus usus profanarū scientiarū. *Ibid.* n. 1. & 2. p. 30.

II. Verum si Christiano perniciosum est versari cum mundi disciplinis postquam Sacrarum Scripturarum studio ac deliciis vacavit; fateri nihilominus oportet, summæ utilitatis esse, ante Theologiam has Disciplinas addiscere, in hunc tamen finem, ut sint veluti præludia ad divinam Scripturarum scientiam percipiendam. *At ego*, inquit præclarissime idem Origenes citata Epistola ad Divum Gregorium Neocæsariensem discipulum suum, *te omnibus .... viribus incumbere velim in Christianam doctrinam, ut finem; ad hunc vero assequendum a te optarim, quasi auxilium e Græcorum Philosophia adhiberi ea, quæ seu circulares disciplinæ, seu præludia ad Christianismum esse possunt.* Idque confirmat egregia hac consideratione in eum Exodi locum, in quo sermo est de spoliis Ægyptiorum, quæ secum abstulerunt Israelitæ. „ Et forsitan, inquit ille, tale quid tacite indicat „ quod in Exodo scriptum est ex persona Dei, ut ju- „ beantur filii Israel petere a vicinis & contubernalibus „ vasa argentea & aurea, itemque vestes, ut spoliatis „ Ægyptiis, materiam habeant ad ea apparanda, quæ „ ad divinum cultum pertinent „.

Praxis Origenis hac super re erga suos Discipulos. *Euseb. Histor. Eccl.* Lib. 6. c. 18

III. Origenes hæc quæ sentiebat de studio & usu Philosophiæ, praxi confirmabat. Si enim Eusebio fides, Origenes Christianæ Doctrinæ Philosophiam & humanas litteras sociare consuevit. Quoscumque enim ex Discipulis solertia & acumine ingenii præditos animadverterat, eos in Philosophiam introducebat, Geometriam illis tradens & Arithmeticam aliasque prævias Disciplinas: inde ad varias Philosophorum sectas eos perducens, & libros a veteribus Philosophis conscriptos exponens, commentarios quoque in singulos scribens, & reconditos sensus penitus inquirens. Ex rudioribus vero atque hebetioris ingenii discipulis, multos ad humanarum artium studium cohortabatur asserens, non mediocrem illos facultatem ex hujusmodi studiis accepturos esse ad Sacrarum Scripturarum intelligentiam. Quæ docendi methodus optima sane est, ut eruitur ex sanctissimis & doctissimis viris, qui ex ejus schola prodierunt.

IV. Cæterum non permittit Origenes Discipulis, præcipue si adolescentes sint, legere obscœnas comœdias, impurosque jambos, qui corrumpunt bonos mores: & ipsius ætate abducebantur adolescentes ab iis præceptoribus, qui talia docebant; quemadmodum testatur idem Origenes libro tertio contra Celsum. Qui mos hodiedum etiam perseverat in Scholis Christianis, in quibus non nisi honesti Auctores leguntur & Opera castigata, quæ ne minimum quidem lædere possint puritatem adolescentum.

Lib. 3. contra Celsū. num. 58. pag. 486.

Vita & mores veterū Christianorum. Lib. 5. contra Celsum. num. 6. pag. 581. Lib. 3. contra Celsū. num. 25. pag. 341. Veteres fideles Divinitatis simulacra non habebant. *Ib.* Lib. 7. num. 66. pag. 741. Num apud primos Christianos extarent templa. *Ibid.* Lib. 3. num. 35. pag. 469.

V. Nunc vero de vita & moribus veterum Christianorum verba facturi, exscribamus notabiliora quæ hac de re habet Origenes. Christiani nihil præter Deum adorant. Mori maluerint, quam Deum Jovis nomine appellare. Nulla Dei simulacra habebant: *Neque enim credimus*, inquit Origenes, *simulacra divinæ esse imaginis, ut quæ Dei invisibilis & incorporei formam non referant.* Videtur insuper Origenes quodam loco asserere, Christianos rejecisse templa æque ac statuas & simulacra Divinitatis: exprobrat siquidem Ethnicis, quod suis Numinibus falsis templa & statuas erigunt; deinde subdit: *Nos autem a nostro erga Divinitatem cultu res illas rejicimus.* Verum Origenes allatis verbis nequaquam significare vult, penes Christianos nulla fuisse templa, Ecclesias nullas fuisse; cum alio loco conceptis verbis asserat, suo ævo per totum Orbem Ecclesias conditas fuisse. Unum extabat olim, inquit Origenes, templum Hierosolimitanum, in quo Judæi omnes tenebantur orare: pro hoc autem templo, quod Deus destruxit, excitavit idem Deus innumera alia, *Ecclesias nempe per totum orbem conditas.* Ait alio loco, ardente Maximini persecutione incensas fuisse majori ex parte Christianorum Ecclesias: Scimus autem, inquit ille, & apud nos terræ motum factum in locis quibusdam, & factas fuisse quasdam ruinas, ita ut qui erant impii extra fidem, caussam terræmotus dicerent Christianos: *Propter quod persecutiones passæ sunt Ecclesiæ, & incensæ sunt.* Et Homilia decima in Josue sermonem instituens de ornatibus Ecclesiarum & Altarium, ait: „ Verumtamen sciendum est, quod si qui tales sunt in „ nobis, quorum fides hoc tantummodo habet, ut ad „ Ecclesiam veniant .... *ad ornatum quoque Alta-* „ *ris vel Ecclesiæ aliquid conferant*, non tamen adhi- „ beant studium, ut etiam mores suos excolant, „ sciant sibi partem sortemque a Jesu Domino cum „ Gabaonitis esse tribuendam „. Tandem Homilia undecima in Numeros indecens & indignum esse ait, ut is qui Deum colit, & ingreditur Ecclesiam Dei, *Qui scit Sacerdotes & Ministros adsistere Altari*, non offerat primitias Sacerdotibus. Certum igitur indubitatumque est, tunc temporis penes Christianos & Templa fuisse & Altaria.

In Psalm. pag. 81. *Hexapl.* Tom. I. Tract. 28. *in Sanct. Matth.* Tom. II. Geneb. pag. 88. *Homil.* 10. *in Josue.* num. 3. pag. 423.

Homil. 11. *in Numer.* num. 2. pag. 305.

Veterum devotio non erat alligata Templis, Altaribus, aut Imaginibus. Lib. 8. contra Celsū. num. 17. pag. 755.

VI. Verum in rebus hisce exterioribus ac sensibilibus propriam pietatem non ponebant Christiani; cum ipsis aliunde constaret, animum cujusque justi ipsi esse altare, ex quo vere & spiritaliter boni odoris suffitus emittuntur; preces scilicet a pura conscientia oblatæ. Unde in Apocalypsi Joannis (*a*) legimus: Odoramenta autem sunt Orationes Sanctorum: & apud Psaltem, (*b*): fiat oratio mea sicut incensum in conspectu tuo. Statuæ vero & dona Deo convenientia, inquit Origenes, non ea sunt quæ mechanici fabricant, sed quæ a Dei verbo formata & expolita sunt intra nos; virtutes videlicet, quibus imitamur Primogenitum omnis creaturæ. Quisquis igitur virtutes sibi comparavit, *in eo sunt statua, quibus persuasum nobis est honorari debere .... Dei invisibilis imaginem, Unigenitum Deum.* Ex quibus omnibus eruitur, Christianorum cultum spiritualem esse debere, & in puritate conscientiæ præcipue debere consistere: quod tamen non excludit externam quamdam compositionem, quæ nonnisi utilissima esse potest præcipue rudioribus, qui hoc adjumento indigent, ut facilius ad Deum mentem convertant. Cæterum nemo ex hoc Origenis loco inferat, nullas in Ecclesiis sui ævi fuisse imagines: oppositum jam vidimus in Tertulliano, & in quibusdam aliis Ecclesiæ Patribus.

Veteres satagebāt eos persuadere, qui ad Christianam fidem convertebantur. Lib. 6. contra Celsū. num. 10. pag. 637.

VII. Neminem cogebant amplecti Christianam Religionem; immo absque examine nemini concedebatur, eidem nomen dare; nisi ad examen subeundum impotens omnino fuisset. Aliis vero non dicebant (id quod Celsus Christianis exprobrabat:) Crede eum, de quo tibi loquor, esse Dei filium: toti erant, ut interrogationibus & responsis eosdem persuaderent. *Sunt quidem, quos, cum nihil magis possint, ad credendum hortemur; sed alios, quantum licet, interrogationibus & responsis persuademus. Nec dicimus .... crede eum esse Dei filium .... nam de singulis rebus plura conamur argumenta afferre, quam supra exposuimus.*

Eosdem studiose accurateque examinabant. *Ibid.*

VIII. Tantum aberat, ut quempiam cogerent ad Christianam Religionem amplectendam, ut potius determinatum tempus haberent pro instituendo examine eorum qui accedebant. *Non .... cuicumque ad nos accedenti .... præcipimus ut primum credat .... sed in tradenda nostra doctrina habemus rationem, quibus quisque sit moribus, & quomodo affectus sit.* Licet vero Christiani tunc temporis hortarentur peccatores, ut Doctores audirent qui a peccando deterrent; insipientes, ut acuentibus adjuvantibusque ad intelligendum dociles aures præberent; pueros, ut sensum animumque virilem conciperent; infelices denique ad vitam felicem, seu ad beatitudinem excitarent; nihilominus ii solummodo, qui progressionem ad virtutem fecissent sancti scilicet ac puri, mysteriis initiabantur. Nemini denegabatur instructio, nec medicina denegabatur spiritalibus peccatorum morbis; sed Religionis Jesu mysteriis non initiabantur nisi ii, quorum jam anima purgata erat: Sapientiam enim, ajebat Apostolus (*c*) loquimur inter perfectos: & in libro Sapientiæ (*d*) legimus, Sapientiam in malevolam animam non introituram, nec habitaturam in corpore subdito peccatis. *Nec injustum igitur*, concludit Origenes, *nec furem, nec murorum effractorem, nec veneficum, nec sacrilegum, nec mortuorum spoliatorem, nec alios quoscumque Celsus exaggerando numerare posset, ad Mysteriorum notitiam vocamus .... sed ad sanationem advocamus.* Hæc est sapientissima praxis, quam observabant fideles erga peccatores, qui ad Christianam Religionem accedebant: primo horrorem vitii inspirabant, & amorem virtutis; deinde

Lib. 3. contra Celsū. num. 59. pag. 487.

Ibid. n. 60. pag. 487.

Ibid. n. 61. pag. 487.

(*a*) Cap. 5. vers. 8.
(*b*) Psalm. 140. vers. 2.

(*c*) I. ad Corinth. cap. 2. vers. 6.
(*d*) Cap. 1. vers. 4.

III. SAECULUM.

deinde docebant eos Mysteria Religionis Jesu; tandem, quando eam assecuti erant puritatem, de qua loquitur Origenes, quando scilicet puri erant non ab omni scelere tantum, sed etiam ab iis peccatis, quæ pro levioribus habentur, tunc initiabantur Religionis mysteriis; *Quæ*, inquit idem Pater, *nonnisi pro puris & sanctis instituta sunt.*

IX. Eccui hisce positis mirum videbitur, quod Origenes summis laudibus prosequatur Ecclesiam ævi sui? & disertissime dicat, quod Ecclesiæ Dei a Christo edoctæ, si cum populorum Conciliis, quibuscum habitant, comparentur, in mundo tamquam lumina sunt: nec non quod ii qui inter Christianos deteriores sunt, præstantiores sunt multis eorum, qui in popularibus cœtibus vivunt. *Ecquis enim*, inquit ille, *non fateatur, eos qui in Ecclesia deteriores sunt, & in meliorum comparatione pejores, præstantiores esse multis eorum, qui in popularibus cœtibus vivunt?* Dejiciebantur utique etiam tunc temporis aliqui aut libidine, aut quovis alio crimine: ast cæteri illos lugebant ut perditos & Deo mortuos: *Ut perditos & Deo mortuos lugent*: eosdem vero, prosequitur Origenes, quasi e mortuis excitatos ducunt, si eam morum mutationem fecerint, cujus ratio haberi debeat: *tardius tamen admittuntur, quam qui primo recipiuntur.* Qua quidem Ecclesiæ severitate cæteri, ut nemini dubitare fas est, in officio detinebantur, & viriliter illecebris carnis aliisque naturæ corruptæ malis inclinationibus resistebant.

Ibid. n. 29. pag. 466.

Ibid.

Ibid. n. 51. pag. 481.

X. Quidam inter veteres Christianos, tum eximiæ puritatis amore, tum ut castius Deo famularentur, abstinebant iis etiam venereis voluptatibus, quæ in legitimo Matrimonio permittuntur. *Quidam*, verba Origenis sunt, *tum eximia puritatis amore, tum quo castius ad cultum divinum accedant, venereis voluptatibus etiam lege permissis abstinebant.* Immo puritatem adeo colebant, ut per quartas, tertias, & secundas etiam nuptias timerent ne ejicierentur de regno Dei. *Nunc vero*, inquit Origenes, *& secunda, & tertia, & quarta nuptia . . . . reperiuntur; & non ignoramus, quod tale conjugium ejiciet nos de regno Dei.* Interius utique Origenes loquitur mitius scribens 1°. *forsitan ejicientur.* 2°. *Non quo in æternum mittatur incendium, sed quo partem non habeat in regno Dei.* Quæ distinctio notabilis quidem est, at æque perniciosa, cum partem habere in regno Dei, & in æternum mitti incendium, nullum habeat medium: non enim hic locus est loquendi de Purgatorio. Cæterum Origenes mentem suam apertius prodit alibi cum ait posse quemlibet ad secundas nuptias legitime transire, & propter has non debere nec posse vocari adulterum; prout docet & ipse Apostolus: *Ut jam non sit adultera si fuerit cum alio viro*: nec non participem futurum vitæ æternæ, non tantæ tamen, quantæ qui toto vitæ suæ tempore continentiam coluit: *Quæ bis nubit, participem quidem salutis alicujus; non tamen tanta beatitudinis, quanta illa qua colit puritatem.* Quod quidem satis superque demonstrat Orthodoxam Origenis doctrinam circa secundas nuptias. Sed unde discessimus revertamur, scilicet ad mores Christianorum.

Puritas Christianorum. Lib. 1. contra Celsũ num. 26. pag. 345.

Homil. 17. in S. Lucam. Tom. II. Geneb. pag. 145.

Tolerantia circa secundas nuptias. Homil. 6. in Genes. num. 3. pag. 77. Homil. 2. in Jerem. Tom. I. Huet. pag. 188.

XI. Tantum aberant a seditione commovenda Christiani, ut nullius hominis cædes eisdem licita esset. „ Si seditio locum dedisset Christianorum societati, „ quemadmodum Celsus aliique Ethnici opinabantur, „ *Certe Christianorum legislator*, inquit Origenes, *non „ prohibuisset omnino ullam hominis occisionem. Nec do„ cuisset vim homini nunquam juste a suis discipulis in„ ferri posse, quamvis injustissimo* . . . . Neque enim „ Christiani suam a seditione ducentes originem leges „ admisissent ita pacificas, ut propter eas factum fue„ rit, ut veluti oves interficerentur, nec per eas lice„ ret de persecutoribus sumere supplicium „.

Mansuetudo Christianorum. Lib. 3 contra Celsũ. num. 7. pag. 451.

XII. Sumpto in toto rigore allato principio, scilicet nullius hominis cædem Christianis licitam esse, nemini mirum videbitur, quod Origenes scribat: *Nec enim jam contra gentem ullam arma capimus, nec bellum gerere discimus, facti pacis filii per Jesum, quem sequimur Ducem.* Idipsum alibi bis repetit, & præcipue libro octavo contra Celsum; ibi enim apertissime dicit, quod Christiani orationibus suis magis auxilio sunt regnantibus, quam qui gestare arma videntur; & quod non militant sub Imperatore, etiamsi eos ad id cogeret: *Non equidem sub illo (Imperatore) militamus, etiamsi nos ad id cogeret.* Inficiari non possumus, allata Origenis verba plus æquo duriora esse; & opinionem, quam ea verba complecti videntur, esse errorem oppositum Evangelio docenti fideles omnes obedientiam & subjectionem Principibus terræ. Excusari autem Origenes potest 1°. quia postremo hoc loco, ut reor, non agitur nisi de Sacerdotibus ac Dei ministris, quibus non bella gerenda, sed alia, & quidem toto cœlo diversa incumbunt officia, & quorum puræ innocentesque manus nunquam debent humano sanguine fœdari. 2°. quoad alia vero loca, in quibus Origenes videtur asserere, & ipsos simplices fideles nec arma capere, nec bellum gerere, nec sub Imperatore militare; hæc omnia intelligi debent de bellis injustis: docet siquidem idem Origenes libro primo contra Celsum, bella quandoque justa esse posse, & æquum esse reprimere rebelles: *Sicut enim*, inquit ille, *qui simul conveniunt, ut tyranni urbem invadentis occidendi rationem ineant; illi recte faciunt.* καλῶς ἂν ποιοῦσι. Et libro quarto contra eundem Celsum postquam descripsit pugnam Apum, nec non Vesparum, hæc habet: *Fortasse etiam hac imago bellorum quæ gerunt Apes, nobis documento est, quemadmodum juste & ordinate* πρὸς τὸ δικαίως ἢ τεταγμένως πολεμεῖν, *gerenda bella sint, si quando inter homines geri opus est.* Constat igitur, & quidem manifesto constat, Origenem citatis locis de injustis bellis solummodo sermonem habere: quod si aliter ipse sentiret, hæc esset peculiaris quædam Origenis opinio opposita praxi primorum Ecclesiæ Sæculorum: vidimus siquidem in Tertulliano (*a*) veteres fideles arma cum aliis ferre consuevisse.

Lib. 5. contra Celsũ num. 33. pag. 603.

Lib. 7. contra Celsũ num. 26.

Lib. 8. contra Celsũ num. 73. pag. 797.

III. SAECULUM.

Lib. 1. contra Celsũ num. 1. pag. 320.

Lib. 4. contra Celsũ num. 82. pag. 564.

XIII. Illud insuper observandum est, Majores nostros recusare consuevisse Magistratus, ea quidem de caussa, ut diviniori, & magis necessario Ecclesiæ ministerio ad hominum salutem servarent, quemadmodum testatur Origenes prope finem Operis sui contra Celsum. Hoc autem modo loquitur Origenes propter pericula circa fidem, quæ hisce Magistratibus adnexa erant: nam primi Christiani nunquam refugissent publica vitæ munia, si sub Christianis Principibus floruissent. Cæterum Orationi præcipue vacabant pro Imperatoris & imperii incolumitate: si autem suppetias ferre temporalibus armis detrectabant, ferebant tamen suppetias, sed divinas, armis spiritalibus; hoc est obsecrationes faciebant, orationes, postulationes, gratiarum actiones pro Regibus, ac omnibus qui in sublimitate positi erant.

Lib. 8. contra Celsũ num. 75. pag. 798.

Ibid. n. 73. pag. 796. & 797.

XIV. Paucis habes vitam & mores Majorum nostrorum: scilicet summo odio prosequebantur, & horrebant quidquid Idololatriam saperet, & a veri Dei cultu avertere posset: propriam pietatem non ponebant in sensibilibus rebus, nec in iis quæ magis necessariæ sunt rudioribus ut facilius ad Deum mentem convertant, uti sunt templa, altaria, eorumque ornatus: accuratum examen instituebant illorum, qui ad Christianam Religionem accedebant: mirum ordinem servabant in suis conventibus: benigni simul & severi erant in prolapsos in majora crimina post Baptismum: eximiam animæ & corporis puritatem diligebant: summam in rebus omnibus mansuetudinem præferebant, & a tumultu belli & honorum quamquod maxime aberant. Uno verbo, Deum, & magnum æternæ salutis negotium unice præ oculis habebant. Num talis est vita nostra, num tales nostri mores? Si gloriamur de Patribus Sanctis, cur opera eorum non facimus?

XV. Fateri nihilominus oportet, haud parum lolii electo tritico immixtum fuisse etiam Origenis ævo, immo semper in Ecclesia aliquos impios fuisse. Origenes, exempli caussa, exprobrat quibusdam fidelibus sui ævi, eo quod non conveniebant ad audiendum verbum Dei, & vix festis diebus ad Ecclesiam procedebant. Alii præsentes quidem & in Ecclesia positi, non erant intenti, sed communes ex usu fabulas terebant, & verbo Dei vel lectionibus divinis terga convertebant. Alii, Apostolo licet præcipiente, *sine intermissione orate* (*b*) nec ad orationes conveniebant, nec privatis in ædibus orabant. Alios notare possem defectus illius sæculi cæteroquin beati proprios; non eos autem notare possem, qui cum defectibus nostri hujus sæculi comparari valeant. Nihilominus memores simus horum verborum Origenis, quæ in aliis etiam Ecclesiæ Patribus deprehendimus, quod scilicet qui sub nomine christiani male agit, & turpiter conversatur, ille maledicit Christo. Vide hac de re Origenis Homiliam decimam septimam in Numeros prope finem.

Defectus qui Origenis ætate reperiebantur in aliquibus fidelibus. Homil. 10. in Genes. pag. 86. & 87. & Homil. 13. in Exod. num. 3. pag. 173.

Homil. 17. in Numer. num. 6. pag. 339.

SECTIO III.

PUNCTA DISCIPLINÆ.

I. SI aliquam nobis præstitit ædificationem Moralis Doctrina, quam ex Origene exscriptam supra exposuimus; præstabit pariter quidquid idem eruditus Pater

(*a*) Apologet. cap. 37. 42. & alibi.

(*b*) I. ad Thessalon. cap. 5. vers. 17.

III. SÆCULUM.

Pater docet circa Disciplinam, quæ illius ævo in Ecclesia vigebat. Videbimus itaque quænam esset tunc temporis praxis Ecclesiæ quoad Catechumenos, quoad celebrationem Eucharistiæ, & administrationem Pœnitentiæ. Videbimus quid perageretur diebus Dominicis, ac cæteris festis diebus; & quinam essent festi dies, qui primis sæculis celebrabantur. Videbimus tandem quænam essent munera & officia Ministrorum Ecclesiæ, ac viduarum; & alia, quæ nonnisi grata esse poterunt curioso lectori.

Tres Catechumenorũ Classes. Lib. 3. contra Celsũ. num. 51. pag. 481.

II. A Catechumenis fit initium, quos Origenes in tres Classes dividit: primæ classis illi erant, quibus ingressus in Ecclesia nondum permittebatur, quia recens ad fidem conversi erant, ideoque tempus aliquod requirebatur, ut recta eorum intentio innotesceret, & ut exorcizari possent. Secundæ classis erant illi, qui recens inceperant nuperque admissi erant, & necdum symbolum purificationis acceperant. Tertiæ tandem classis erant illi, qui pro viribus se comprobaverant id habere propositum, ut nihil vellent, nisi quæ Christianis placeant. Hos inter quidam constituti erant, qui in vitam & mores eorum, qui admittebantur, inquirerent, ut scelerum reis interdicerent aditu in suum commune Concilium; illorum autem dissimiles ex animo amplexi, meliores in singulos dies efficerent. Quando autem malos habitus in Catechumenis notabant, præcipue si libidini dediti essent, illos a christianis cœtibus prohibebant. *Ea vero est agendi ratio in eos qui peccant, maxime qui libidini se dedunt, ut illos a suo cœtu prohibeant.*

Modus purgandi Catechumenos. Homil. 6. in Levit. num. 2. pag. 216.

III. Origenes alio loco Catechumenos ipsos alloquens, sed & vos, inquit, qui sacrum Baptisma desideratis accipere, & gratiam Spiritus promereri, *Prius debetis ex lege purgari*. Quod quidem intelligi debet de Exorcismis & jejuniis quæ Baptismo præmittebantur. Prius debetis, prosequitur Origenes, audito Verbo Dei, vitiorum germina resecare, & mores barbaros ferosque componere, ut mansuetudine & humilitate suscepta, possitis etiam gratiam Sancti Spiritus capere. Eosdem præcipue hortabatur, ut legem Dei legerent ac meditarentur, ad hoc ut Dei lex eorum mores emendaret ac corrigeret: *Debes ergo prius meditari legem Dei, ut si forte actus tui intemperati sunt & mores inconditi, lex Dei te emendet & corrigat.*

Catechumeni Ecclesiæ præceptis parere debebant. Homil. 4. in Josue. num. 1. pag. 405. Sacris Mysteriis initiabantur coram Presbyteris & Levitis. Ibid.

IV. Catechumeni ratione sui status Ecclesiasticis præceptis parere debebant, uti alio loco tradit Origenes: *Cum Catechumenorum aggregatus es numero, & præceptis Ecclesiasticis parere cœpisti*. Quando autem ad Baptismum sufficienter dispositi erant Catechumeni, tunc veniebant ad mysticum Baptismi fontem, *Consistente Sacerdotali & Levitico Ordine*; & initiabantur venerandis illis magnificisque Sacramentis, *quæ*, inquit idem Pater, *norunt illi quos nosse fas est*. Ex quibus eruitur, quod non omnibus indiscriminatim pandebantur Religionis nostræ mysteria: & in Superiori Sectione jam vidimus, non consuevisse eadem mysteria manifestari Catechumenis, nisi postquam a vitiis purgati erant, & in virtute firmati. Illud vero adnotare cum Origene omiseram, quod Exorcismi cæremonia peragebatur manuum impositione, quam comitabantur orationes multæ, ac multa jejunia.

Homil. 24. in Josue. num. 1. pag. 453.

Arcebantur ab omni dignitate Ecclesiæ, qui post susceptum Baptismum lapsi erãt. Lib. 3. contra Celsũ. num. 51. pag. 482. Tamquam Deo mortui, fletu digni habebantur. Ibid. Difficillime absolutione donabantur. Ibid. In gravioribus criminibus semel tantum pœnitentiæ locus concedebatur. Homil. 15. in Levit. num. 2. pag. 262.

V. Quoad Pœnitentiam observatione dignum est 1°. quod ab Ecclesiasticis dignitatibus illi omnes arcebantur, qui post Baptismum in graviora crimina puta in Idololatriam, Adulterium aut fornicationem lapsi erant: *Et qui post professam Religionem lapsi sunt*, inquit Origenes, *ab omni posthac dignitate & præfectura in Ecclesia Dei arcentur*. 2°. Christiani ut perditos & Deo mortuos lugebant eos, qui libidine aut quovis alio crimine dejecti erant, uti diximus superius in Sectione secunda: quod quidem designare posset excommunicationem, de qua infra verba faciemus; 3°. tardius absolvebantur, & nonnisi postquam dedissent haud dubia conversionis signa: *Si eam morum mutationem fecerint, cujus ratio haberi debeat, tardius tamen admittuntur*, 4°. in gravioribus criminibus semel tantum pœnitentiæ locus concedebatur: *In gravioribus enim criminibus*, inquit Origenes, *semel tantum pœnitentiæ conceditur locus*. In aliis Editionibus post hæc verba *semel tantum*, hæc leguntur, *vel raro*: verum additio hæc non extat in Manuscriptis, nec eamdem refert Magister Sententiarum dum laudatum Origenis textum citat. Hinc suspicantur nonnulli, inquit D. Carolus de la Rue, additionem hanc factam fuisse a Scoto, qui ignorans Disciplinam primis Ecclesiæ sæculis vigentem, qua semel tantum concedebatur pœnitentiæ locus lapsis in crimina graviora, communem opinionem Scholasticorum sui ævi ibidem inseruerit. At Pater Morinus probat, nec publicam nec secretam pœnitentiam iis impositam fuisse, qui iterum incidissent in crimina canonica, propter quæ jam semel publicam pœnitentiam egissent. Vide hac de re differentes laudatum P. Morinum lib. 5. cap. 27. & Patrem Petavium in suis Annotationibus in Divum Epiphanium Hæresi 59.

VI. At num inferri ex hoc potest, Ecclesiam non habere potestatem remittendi hæc peccata? minime gentium: oppositum siquidem ipsius Origenis, & aliorum æque antiquorum Patrum auctoritate demonstravimus supra. Id unum igitur inferri potest ex severiori hac Disciplina, scilicet primis Ecclesiæ sæculis fideles summopere exhorruisse relapsus in crimina: hinc minus proni esse deberent Confessarii in impartienda absolutione iis qui in eadem prolabuntur peccata, cum hujusmodi absolutiones communiter perniciosæ sint & dantibus & accipientibus. Hanc veritatem maximi momenti semper mente retineamus, (cujus permulti animarum moderatores obliviscuntur) videlicet, quod licet Ecclesia quandoque exteriorem Disciplinam immutet, idem tamen in ea spiritus semper perseverat.

Ab Ecclesiæ communione ejiciebantur qui magna delicta patraverant. Tract. 25. in S. Matt. Tom. II. Geneb. pag. 115. num. 51. Pag. 483. Homil. 12. in Jerem. Tom. I. Huet. pag. 122.

VII. Hæc consuetudo in Ecclesia tenuit, ut de gravioribus criminibus convicti excommunicarentur. *In Ecclesiis Christi*, verba sunt Origenis, *consuetudo tenuit talis, ut qui manifesti sunt in magnis delictis, ejiciantur ab oratione communi*. Disciplina hæc contra eos præcipue vigebat, qui libidinose vivebant, uti docet idem Pater libro tertio contra Celsum. Si qui autem peccatores jam excommunicati, petiissent fidelium communionem, sæpe hæc gratia iis denegabatur, ne laxatis frænis, sceleribus panderetur via: Si enim, inquit Origenes, consideraverimus populi damnum in unius venia, haud dubium est quin faciat ejici unum de Ecclesia, ut multi remaneant incolumes. *Quæ ista bonitas*, habet alio loco idem Pater, *quæ ista misericordia est, uni parcere, & omnes in discrimen adducere?*

Homil. 7. in Josue. num. 6. pag. 414. Ii soli ab Ecclesiæ communione ejiciebantur, qui in magnis delictis ac indubiis manifesti erant. Ib. Tract. 35. in S. Matt. Tom. II. Geneb. pag. 115. Homil. 21. in Josue. num. 1. pag. 447. Excommunicatio erat postremum remedium erga peccatores.

VIII. Non ejiciebantur autem fideles ab Ecclesiæ communione pro levi aliqua culpa, sed solummodo pro gravioribus criminibus, quæ manifesta essent. *Hoc non ideo dicimus*, inquit Origenes, *ut pro levi culpa aliquis abscindatur . . . Qui manifesti sunt in magnis delictis*, prosequitur idem Pater . . . *Quorum peccata manifesta sunt. Ubi enim peccatum non est evidens, ejicere de Ecclesia neminem possumus*. Insuper antequam quis de Ecclesia ejiceretur commoneri debebat: sed si forte commonitus quis, inquit Origenes, & correptus pro delicto semel & iterum ac tertio, nihil emendationis ostenderit; si oleo perunctus, si emplastris mitigatus, si malagmate mollitus, non cedit tamen medicamentis tumoris duritia, *Solum superest remedium desecandi*. Habes modo quæ ad legitimam excommunicationem necessaria sunt: requiruntur scilicet peccata gravia ac manifesta; præmitti debent admonitiones & correptiones; tandem talis esse debet peccatoris duritia, ut absoluta inde enascatur necessitas postremi hujus remedii.

Homil. 7. in Josue. num. 6. pag. 414. Peccatores occulti uti excommunicati ante Deum habebantur. Homil. 2. in Judic. num. 5. pag. 463.

IX. Etsi ii solummodo de Ecclesia ejicerentur, quorum delicta erant manifesta; nihilominus ut reipsa excommunicati ante Deum ii etiam habebantur, quorum delicta manifesta non erant hominibus. Id aperte docet Origenes cum ait: dupliciter traduntur homines de Ecclesia in potestatem Zabuli: (hoc est duæ sunt excommunicationes) Uno modo cum alicujus delictum manifestum fit Ecclesiæ, & per Sacerdotes de Ecclesia pellitur: alio autem modo quis traditur Zabulo, cum peccatum ejus manifestum non fit hominibus; Deus autem qui videt in occulto; perspiciens ejus mentem & animam vitiis ac passionibus servientem, istum talem ipse Dominus tradit Satanæ. Igitur etiam Origenis ætate duæ excommunicationes agnoscebantur, una in foro externo, altera in foro interno. Qui exempli gratia magnum aliquod peccatum patraverat, habebatur uti vere excommunicatus in foro interno etiam ante sententiam Episcopi, per quam quis excommunicatus remanet etiam in foro externo. *Peccavit aliquis fidelium?* ajebat Origenes: *iste etiamsi nondum abjiciatur per Episcopi sententiam, jam tamen per ipsum peccatum quod admisit, ejectus est*. Ast etsi hoc modo a fidelium communione ejectus esset intrabat tamen Ecclesiam. *Et quamvis intret Ecclesiam, &c.* Hæc olim de excommunicatione sentiebant fideles: non enim necessarium credebant terribilem apparatum, imprecationes, cerei extinctionem; sed quilibet uti vere excommunicatus habebatur, patrato crimine, etiam ante Episcopi sententiam. Quod quidem ad impedienda crimina optimum erat.

Homil. 14. in Levitic. num. 2. pag. 258.

Fideles, qui sacra mysteria celebrabãtur, osculo pacis se invicem su-

X. Quoad Eucharistiam indigitavi jam in prima Sectione summam devotionem, qua ad eamdem accedebant fideles, necnon summam diligentiam, qua Corpus Christi sumebant, ne vel minima specierum pars caderet. Illud autem insuper observandum est hoc loco, in celebratione sacrorum Mysteriorum consuevisse fideles sese invicem suscipere osculo pacis, quod appellabatur sanctum osculum, quia castum erat, since-

Lib. 10. in Epist. ad Roman. Tom. II. Geneb. pag. 411.

rum, & veræ dilectionis symbolum, *Mos Ecclesiæ traditus est*, verba Origenis sunt, *ut post orationes osculo se invicem suscipiant fratres. Hoc autem osculum sanctum appellat Apostolus, quo nomine illud docet primo . . . ut castum sit, tum deinde pacem in se, simplicitatemque habeat in charitate non ficta*. Ejusdem osculi meminit insuper Origenes Homilia prima in Cantica.

Tom. I. Geneb. pag. 316.
Varii in Ecclesia Ordines ac gradus.
Tract. 5. in S. Matt. Tom. I. Geneb. pag. 37.
Requirebatur præsentia populi in ordinando Episcopo.

XI. Tradam modo notabiliora quæ in Origene occurrunt quoad Ecclesiasticum Ordinem. Jesus Christus habebatur uti visibile caput Ecclesiæ; Episcopi & Presbyteri uti hujusce capitis oculi; *Diaconi cæterique Ministri* uti manus. Quod quidem ostendit, præter Episcopos, Presbyteros, & Diaconos, alios etiam tunc temporis in Ecclesia fuisse inferiores ordines. In ordinatione Episcopi requirebatur præsentia populi. *Requiritur in ordinando Sacerdote & præsentia populi*; ut sciant omnes, subjungit idem Origenes, & certi sint quia eligitur ad Sacerdotium *præstantior . . . ex omni populo, doctior, sanctior . . . in omni virtute eminentior. Et hoc astante populo, ne qua postmodum retractatio cuiquam, ne quis scrupulus resideret.*

Homil. 6. in Levit. num. 3. pag. 216.
Episcopis & Presbyteris priores in Ecclesia sedes attributæ erãt.
In Sanct. Matth. Tom. I. Huet. pag. 443.
Presbyteri non poterant in Ecclesia concionari, nisi ex electione & approbatione Episcopi.
Homil. 2. in Lib. 1. Regum. pag. 490.
Etiam Diaconi conciones ad populũ habebant.
Homil. 1. in Ps. 37. Tom. I. Recent. Edition. pag. 681.

XII. Episcopi & Presbyteri primas habebant in Ecclesia sedes: *Episcopi & Presbyteri quibus priores*, inquit Origenes, *sedes attributæ sunt*: non ideo tamen credere debemus eandem tunc temporis fuisse Episcopi & Presbyteri potestatem, jurisdictionem, & characterem, 1º. enim ante Presbyteros notantur Episcopi: *Episcopi & Presbyteri*, 2º. si Presbyteri aliquod in Ecclesia munus obibant, illud obibant dependenter, & de mandato Episcopi: & ut de instructione ac prædicatione verba faciamus, Episcopus arbitratu suo proponebat argumenta quæ pertractari debebant in cœtibus Ecclesiasticis, ac in concionibus: *Arbitratu suo partem quam vult, proponat Episcopus, ut in id studium nostrum conferamus*. Hinc coram ipsis Episcopis Presbyteri conciones habebant. Alio loco idem Origenes testatur, ministerium verbi ipsis etiam Diaconis creditum fuisse; & hoc apud Græcos fieri consuevisse satis aperte prodit Homilia prima in Psalmum 37. hisce verbis: *Omnes Episcopi . . . Presbyteri vel Diaconi erudiunt nos*, & erudientes adhibent correptiones, & verbis austerioribus increpant. Insuper docet alibi, Legem Dei commissam esse Sacerdotibus & Levitis, ut absque ulla sollicitudine, Verbo Dei unice vacarent: *Lex Dei Sacerdotibus commissa est & Levitis, ut huic soli operam tribuant, & verbo Dei absque ulla sollicitudine vacent*: & hac præcipue de caussa laici præbebant necessaria Sacerdotibus & Levitis, ut scilicet legi Dei operam darent, quemadmodum idem Origenes ibidem testatur.

Homil. 17. in Josue. num. 3. pag. 439.
Cælibatus Episcoporũ & Presbyterorũ.
Homil. 23. in Numer. num. 3. pag. 318.
Tom. I. Huet. Pag. 363.

XIII. Episcopi & Presbyteri cælibem vitam ducere tenebantur. „ Certum est, ajebat Origenes, quia impeditur sacrificium indesinens iis qui conjugalibus „ necessitatibus serviunt. Unde videtur mihi, quod *illius est solus offerre Sacrificium indesinens, qui indesinenti & perpetuæ se devoverit castitati*. In Clerum nunquam admittebantur Bigami, & hæc lex vigebat etiam quoad Diaconos, ut eruitur ex quodam Origenis loco in S. Matthæum. Quam Disciplinæ partem accurate observatam fuisse, superius validissimis momentis jam ostendimus. Diaconis præcipue Dispensatio pecuniæ commissa erat. *Diaconi*, inquit idem Pater, *qui Ecclesiæ pecunias non recte dispensant*. Hoc autem non erat unicum eorumdem munus, reclamantibus licet recentioribus Hæreticis, quos invictissime in antecessum Origenes refellit.

Ascetæ.
Lib. 5. contra Celsũ. num. 49. Pag. 615.
Virgines.
Lib. 8. in Epist. ad Roman. Tom. II. Geneb. Pag. 383.
Lib. 7. contra Celsũ. num. 48. Pag. 729.
Viduæ.

XIV. Præter Ecclesiasticos, de quibus modo verba fecimus, quidam alii a populo distincti erant, ut Ascetæ, Virgines, ac viduæ. Ascetarum meminit Origenes libro quinto contra Celsum, eorumque abstinentiam summis laudibus prosequitur. *Vide . . .* inquit ille, *quam dispar sit Pythagoricorum . . . & nostrorum Ascetarum ratio*. Virgines erant fœminæ quædam peculiari modo Deo consecratæ: *Virgo consecrata Deo, &c.* quæ perpetuam virginitatem servabant, non propter temporale aliquod bonum, sed unice ut Deo placerent. Tandem Viduæ ad castitatem suadebant adolescentulas, & omnia præstabant charitatis officia, quæ poterant. Viduis vero non permittebatur docere viros: *Indecens quippe est*, inquit Origenes, *ut mulier magistra viri fiat*: quod quidem esset invertere ordinem, & mulieres principarentur viris.

Homil. 6. in Isaiam. Tom. I. Geneb. pag. 356.
Festi dies spirituales.
Lib. 8. contra Celsũ. num. 21. pag. 758.

XV. Etsi Origenes cum vetusto quodam Scriptore asserat, quod *Festum . . . nihil aliud est, quam officium facere*; & tunc homines digne festum celebrare, quando opera virtutis faciunt, semper orant, & incruentas hostias sine intermissione Deo offerunt; nihilominus docet, quosdam per annum peculiares dies esse devotioni fidelium sacros; iis quippe Homilia decima in Genesim exprobrat, quod vix festis diebus ad Ecclesiam procederent: *Vix festis diebus ad Ecclesiam proceditis*. Et paucis interjectis: „ Dicite mihi, „ inquit, vos qui tantummodo festis diebus ad Ec- „ clesiam convenitis: „ *Cæteri dies non sunt festi? non sunt dies Domini?* Certum igitur indubitatumque est, primis Ecclesiæ sæculis quosdam fuisse dies solemnes, & peculiariter Deo sacros.

Festi dies Christianorum.
Homil. 10. in Genes. n. 1. p. 86. Ibid. n. 3. Pag. 88.
Celebratio diei Dominicæ.
Lib. 8. contra Celsũ. num. 22. pag. 758.
Homil. 7. in Exod. num. 5. pag. 154.
Alii Festi dies apud Christianos.
Lib. 8. contra Celsũ. num. 22. pag. 758.
Homil. 23. in Numer. num. 4. P. 359. 360.
Differentia inter Festos dies & solemnitates.

XVI. Dominica inter sacros hos dies recensebatur, & die isto Sacra Scriptura legi consueverat. *In nostra Dominica die*, inquit Origenes, *semper Dominus pluit manna de cælo*. Cæteri principaliores festi dies erant Parasceve, Pascha & Pentecoste, ut non uno in loco tradit idem Origenes, & præcipue libro octavo contra Celsum; ibi enim horum trium dierum festorum expresse meminit. De festis autem diebus Paschatis & Pentecostes sermonem habet in particulari Homilia vigesimatertia in Numeros. Alibi vero notat, discrimen aliquod ponendum esse inter festivitatem & solemnitatem, cum omnis festivitas, secundum ipsum, non sit solemnitas: *Non omnis . . . festivitas est solemnitas*. Sabbatum, exempli gratia, apud Judæos erat festivitas quædam, non autem solemnitas; cum tamen dies Azymorum una simul & festivitas esset & solemnitas. Cæterum vetitum in genere erat fidelibus adesse solemnitatibus Ethnicorum, ut fatetur Origenes cum Celso verba faciens; & celebrare solemnitates Gentium idem fuisset ac introducere anathema in Ecclesias: *Qui . . . cum Christiani sint, solemnitates gentium celebrant, anathema in Ecclesias introducunt*. Nescio an hodie multi scrupulo simili angantur dum profanis intersunt solemnitatibus.

In Deuter. pag. 389. & 390.
Vetitum erat Christianis celebrare solemnitates gentium.
Lib. 8. contra Celsũ. pag. 758.
Homil. 7. in Josue. num. 4. pag. 413.
Fideles celebrabant Divinum officium propria lingua.
Lib. 8. contra Celsũ. num. 37. pag. 769.
Corporis compositio Orationis tẽpore.

XVII. Perfecta unio quæ tunc temporis vigebat inter fideles, & præcipue in Oratione facienda, non eos impediebat, quominus laudes Dei celebrarent qualibet lingua; Græci scilicet græce, Romani latine, cæteræque gentes Deum propria lingua laudabant: *Græcos græce, Romanos latine, & sic singulas gentes Deum propria lingua precari* καὶ ὕμνεῖν ἕκαστος κατὰ τὴν ἑαυτοῦ διάλεκτον ᾄδεται τῷ Θεῷ; *& laudes ejus pro viribus concelebrare*: certi siquidem erant, omnium linguarum Dominum nos exaudire quacumque lingua precemur. At inter Christianos maxima erat uniformitas circa corporis compositionem, quam servabant tempore orationis: apud ipsos siquidem communiter in more positum erat, orare versus Orientem, extendere manus, oculos sursum tollere, orare flexis genibus, non sedere autem nisi propter ægritudinem; quæ omnia a nobis notata sunt Sectione superiore cum de Oratione pertractavimus.

Tract. de Oration. Pag. 266. 267. & 270.
Jejunium Quadragesimæ.
Homil. 10. in Levit. num. 2. Pag. 246.
Jejunium Feriæ quartæ & sextæ.
Ibid.
Ibid.

XVIII. In Ecclesia pariter receptum erat jejunare tempore Quadragesimæ: *Habemus enim Quadragesimæ dies jejuniis consecratos*. Loquitur insuper Origenes de duobus in qualibet hebdomada jejuniis, scilicet quartæ & sextæ feriæ, & scribit hæc duo jejunia solemniter servari: *Habemus quartam & sextam septimanæ dies, quibus solemniter jejunamus*. Verum præter hæc jejunia, quæ omnes obligabant, liberum erat cuilibet jejunare pro sua devotione per omne tempus, dummodo nulla superstitio in hisce jejuniis partem haberet: *Est certe libertas Christiano, per omne tempus jejunandi, non observantia superstitione, sed virtute continentiæ*.

Veteres Fideles Hospitum pedes lavabant.
Homil. 4. in Genes. num. 2. Pag. 71.
Homil. 8. in Judic. num. 5. Pag. 476.
Recitabãt sacrosãcta Evangelia super infirmos.
Lib. 3. contra Celsũ. num. 24. pag. 401.
Sepultura Fidelium.
Lib. 8. contra Celsũ. num. 30. Pag. 704.

XIX. Veteres fideles ex devotione hospitum pedes lavabant sequentes exemplum Patriarchæ Abrahæ, qui fidelium ac credentium Pater est; sed hoc humilitatis opus peragebant præcipue sequentes exemplum Jesu Christi. Legebant sacrosancta Evangelia super infirmos, ut Origenes narrat libro tertio contra Celsum; iique hoc modo quandoque curabantur, ut se vidisse testatur idem Pater: *His & nos vidimus multos gravibus incommodis curatos*. Tandem peculiarem curam ac sollicitudinem habebant de sepultura fidelium, quoniam eorumdem corpora veluti organa animæ considerabant: *Ejus (animæ) organa cum honore sepulturæ traduntur; ut nobis constitutum est*. Quod autem tunc temporis haberetur quidam locus pro sepultura fidelium, clarissime eruitur ex sequentibus Origenis verbis: neque enim decet, ait ille, animæ ratione participis domicilium indecore & ubicumque projici, ut brutorum animalium cadaver. Hæc sunt quæ legi in Origene circa Disciplinam illius ævo in Ecclesia servatam. Nunc vero sermo fit de peculiaribus ejusdem Patris opinionibus, necnon de erroribus, qui eidem attribuuntur.

III. SECULUM.

SECTIO IV.

IN QUA BREVITER TRADUNTUR PECULIARES AC NOTABILIORES ORIGENIS OPINIONES, NECNON PRÆCIPUI ERRORES, QUI IN EJUS SCRIPTIS DEPREHENDUNTUR.

I. MOlestum æque ac superfluum foret singulatim hic enumerare errores omnes qui in Scriptis Origenis deprehenduntur, necnon peculiares omnes ejusdem opiniones. Alii id præstiterunt accurate adeo ac diligenter, ut temerarium foret aliquid novi hac in re pertentare. Hinc notabiliora solummodo proferemus, ut faciamus satis muneri nostro, & curiositati quorumdam Lectorum, qui conqueri possent de hac omissione, quæ cæteroquin nullum præjudicium afferre potest. Ut igitur a Sacra Scriptura initium sit, illud primo loco observandum venit, Origenem docuisse, sacram tum veteris tum novi Testamenti Scripturam, si in sensu litterali sumatur, plura complecti falsa, absurda, ac impossibilia: Hæc siquidem ille habet libro quarto Periarchion: *Dei verbum in lege ac historia interponi curavit offendicula & impossibilia quædam.* Et inferius: *Interseruit Scriptura historia quod factum non erat, immo aliquando quod fieri non poterat ..... Spiritus Sanctus idem in Evangeliis & Apostolorum scriptis fecit; cum nec illa secundum corporalem sensum omnino sinceram habeant historiam, eorum quæ contexta sunt, & tamen facta non sunt; nec leges & præcepta habeant rationi consentanea.*

Errores Origenis supra Sac. Scripturā. Lib. 4. Periarch. n. 15. & 16. Pag. 174.

II. Quoad vetus Testamentum in particulari credidit ille, plura ibidem reperiri, quæ litteraliter sumpta nullam habent connexionem, impossibilia sunt, rationi repugnantia, Deo indigna, & inferiora etiam legibus pure humanis. Quod paradoxum ille tuetur præcipue libro septimo contra Celsum: ibi enim docet, duplicem esse legem, alteram litteralem, spiritualem alteram: litteralem, quam Deus ipse in Scripturis (a) vocat *judicia non bona, præcepta non bona.* Et Homilia decimaseptima in Exodum hæc habet: „ Si „ quis est, qui legens Moysen murmurat adversus „ eum, & displicet ei lex, quæ secundum litteram „ scripta est, *quod in multis non videtur servare con-* „ *sequentiam*, ostendit ei Moyses petram, quæ est „ Christus & adducit eum ad ipsam, ut inde bibat, „ & reficiat sitim suam. „ Durius autem seipsum exprimit Homilia septima in Leviticum; ibi enim expresse ait: *Si adsideamus litteræ* (veteris Testamenti) *erubesco dicere & confiteri quia tales leges dederit Deus.* Numquid æque portentosum proferri potest? Cui & hoc insuper adjungit, Leges scilicet Romanorum, Atheniensium, vel Lacædemoniorum magis rationabiles esse, quam quædam veteris Legis præcepta sumpta in sensu litterali: *Videbuntur enim magis elegantes & rationabiles hominum leges, verbi gratia, vel Romanorum, vel Atheniensium, vel Lacædemoniorum.* Quæ quidem illatio ultra limites progreditur; recte tamen fluit ex suo principio.

Lib. 7. contra Cels. n. 20. & 21. Pag. 108.

Homil. 11. in Exod. num. 2. Pag. 169.

Homil. 7. in Levit. n. 5. Pag. 226.

III. Docet pariter idipsum Homilia quarta in Leviticum: ibi enim postquam dixit, quod nisi velamen abstulerit Evangelium de facie Moysi, non potest videri vultus ejus, nec sensus ejus intelligi; insuper quod in Ecclesia Apostolorum discipuli adsunt his quæ Moyses scripsit, & defendunt ea, quod & impleri queant, & rationabiliter scripta sunt; aperte declarat Judæorum Doctores, sequentes litteram veteris Testamenti, facere ejusdem præcepta impossibilia & irrationabilia: *Judæorum vero Doctores & impossibilia hæc & irrationabilia, sequentes litteram, faciunt.* Si ad leges Moysi gradum facimus, inquit alio loco, *Plurima* (litteraliter sumptæ) *absurdum, alia impossibile præcipiunt.* Nonne absurdum est, exempli gratia, inquit Origenes, vetare vulturum usum, cum nemo unquam vultures comederit, nec extrema fame urgente? „ In lege quidem Moysi, prosequitur idem Pa- „ ter, præcipitur exterminari omne masculinum quod „ non fuerit octava die circumcisum: quod valde in- „ consequens est; cum oporteret utique, si lex se- „ cundum historiam servanda tradebatur, juberi ut „ parentes punirentur qui filios suos non circumcide- „ runt, ut & hi qui nutriunt parvulos. Si vero „ etiam de impossibilibus legibus inquirendum est, „ invenimus Tragelaphum dici animal quod subsistere „ omnino non potest, quod inter munda animalia „ etiam edi jubet Moyses: & Gryphum, quem nul- „ lus unquam meminit vel audivit humanis manibus „ potuisse succumbere, manducari prohibet Legisla- „ tor; sed & de Sabbati opinatissima observatione ita „ dicit (b): Sedebitis unusquisque in domibus ve- „ stris, nullus movebitur de loco suo in die Sabba- „ torum: quod utique impossibile est observare secun- „ dum litteram; nullus enim hominum potest tota „ die ita sedere, ut non moveatur de loco, in quo „ sederit. „ Hoc pacto Origenes conatur derogare auctoritatem sensui litterali Sacræ Scripturæ.

Homil. 4. in Levitic. num. 7. Pag. 201. Homil. 5. in Levitic. num. 1. Pag. 205.

Lib. 4. Periarch. num. 17. Pag. 176. & 177.

IV. Asserit insuper, vetus Testamentum secundum litteram plura complecti quæ falsa sunt. Negat, exempli gratia, Abraham Patriarcham mentitum esse Abimelech regi, & pudicitiam conjugis prodidisse. *Hæc Judæi putent*, inquit ille, *& si qui cum eis sunt litteræ amici, non spiritus.* Alio loco ait, historiam Rebeccæ litteraliter sumptam esse fabulosam, additque, narrationem hanc, sicuti & alias plurimas, complecti mysteria, non veram historiam. *Sæpe jam dixi, quod in his non historiæ narrantur, sed mysteria contexuntur.* Nec aliter sentit de Obstetricibus Ægyptiis, quarum historiam uti falsam ostendere contendit quadam subtilitate, quam ineptiam verius dixeris: quo fit ut asserat, historiam hanc sumptam secundum litteram non solum nihil consequentiæ habere, sed insuper plurimum habere inanitatis: *Hoc si ita accipiatur ut scriptum est, non solum nihil consequentiæ, sed inanitatis habere plurimum videbitur.* Tandem indubia argumenta in confirmationem erroris sui se adinvenisse credidit in libro Josue, & præcipue in libri hujus capitibus octavo & nono, ubi legimus: Et scripsit Josue super lapides Deuteronomium coram filiis Israel. „ Quomodo potuerit, inquit in hunc locum Orige- „ nes, tam magnum librum, vel adsistentibus & per- „ manentibus ibi filiis Israel describere, ita ut non „ discederent usquequo Scriptura tot versuum finire- „ tur: vel etiam quomodo potuerint lapides altaris „ ferre tam magni libri continentiam, *dicant mihi* „ *isti assertores litteræ Judæi .... Quomodo in hoc ve-* „ *ritas historiæ demonstratur?* Et alibi triumphum canit, percurrens ordinem a Deo servatum in creatione Universi: ait siquidem: Cuinam quæso sensum habenti consequenter videbitur dictum, quod dies prima, & secunda, & tertia, in quibus vespera nominatur & mane, fuerint sine Sole, & sine Luna, & sine Stellis: prima autem dies sine cœlo? Quis vero ita idiotes invenietur, ut putet Deum plantasse in Paradiso arborem vitæ, idest lignum visibile & palpabile, ita ut corporalibus dentibus manducans quis ex ea arbore, vitam percipiat? Tandem sic concludit: Sed & illud quod Deus post meridiem deambulare dicitur in Paradiso, & Adam latere sub arbore, & Cain exire a facie Dei, equidem nullum arbitror dubitare, quod figurali tropo hæc a Scriptura proferantur, quo per hæc quædam mystica indicentur.

Homil. 6. in Genes. n. 3. p. 78.

Homil. 10. in Genes. n. 4. p. 88.

Homil. 1. in Exod. num. 5. Pag. 131.

Homil. 2. in Exod. num. 1. Pag. 133.

Homil. 9. in Josue. num 4. pag. 419. & 420.

Lib. 4. Periarch. num. 16. pag. 175.

V. Verum eadem audacia tentat Origenes derogare auctoritatem sensui litterali novi Testamenti. Negat 1°. verum esse secundum litteram, quod Apostoli & Discipuli Jesu Christi majora fecerint quam ipse Dominus; licet illud Christus Dominus promiserit Discipulis suis in Evangelio, secundum Joannem. 2°. Summopere dubitat, num Christus Dominus reipsa ejecerit de templo vendentes columbas: *Si tamen*, verba ejus sunt, *hæc historia contigit.* 3°. Nec illud credit potuisse fieri rationabiliter secundum historiam, quod scilicet diabolus imposuerit Jesum in montem excelsum, ut inde ei universa mundi regna monstraret, & gloriam eorum. Absurdum pariter esse asserit, si secundum litteram sentiatur, quod dicitur: Neminem in via salutaveritis (c): *Quid a ratione magis alienum*, inquit ille, *quam istud: Neminem per viam salutaveritis? Quod Apostolis præcepisse Salvatorem simpliciores existimant.* „ Sed & illud de impossibilibus ha- „ bendum est, quod in dexteram quis maxillam per- „ cussus præbere etiam sinistram jubetur, cum omnis „ qui percutit dextra manu, sinistram percutiat maxil- „ lam. (Hanc miseram in Origene ineptiam quis „ non videat?) Sed & illud de impossibilibus ha- „ bendum est, quod in Evangelio scriptum est, ut si „ oculus dexter scandalizaverit te, eruatur: quia „ etiamsi ponamus, quod de oculis carnalibus dictum „ est, quomodo consequens videbitur, ut oculo utro- „ que cernente, ad unum scandali culpa, & hoc ad „ dextrum referatur? Aut quis extra maximum cri- „ men habebitur ipse sibi inferens manus? „ Verum majora his fecit idem Origenes ut castitatem servaret. Hæc sunt Origenis argumenta adversus veritatem plurium Sacræ Scripturæ locorum, prout secundum litteram sumuntur. Quæ quidem argumenta num validissima

Homil. 6. In Isaiam. Tom. II. Geneb.

Homil. 11. in S. Joann. Tom. II. Huet.

Lib. 4. Periarch. num. 16. pag. 175.

num. 18. pag. 179.

(a) Ezechiel. cap. 20. vers. 25.

(b) Exod. cap. 16. vers. 35. 29.

(c) Luc. cap. 10. vers. 4.

III. SÆCULUM.

lidissima sint; judicium sit penes prudentem Lectorem.

Animadversiones in errores Origenis supra Sac. Scripturâ.

VI. Dominus Carolus de la Rue pluribus refellit hoc Origenarium systema, in Præfatione, quam præmisit tomo secundo Operum vetusti hujus Patris: Verum, nemini simus, unam vel alteram eruditi hujus Scriptoris animadversionem ex præcipuis seligemus, ac exscribemus. 1°. Paradoxum illud, inquit citatus de la Rue, quo multa falsa & secum pugnantia in Scripturæ littera Origenes ponit, ad Religionis nostræ eversionem recta ducit, mihique quoties ejus testimonia legere contingit, toties legere videor non testimonia hominis qui ardentem semper in Scripturis interpretandis animum habuerit, summaque semper eas veneratione pertractaverit, sed excerpta quædam e volumine increduli cujuspiam, qui Scripturarum veritatem multiplici objectorum genere concutere tentaverit. Miror, egregie subjungit idem Scriptor, ipsum aut non intellexisse cum ejusmodi principio pugnare earum inspirationem, aut, si id vidit, tanto incommodo remedium afferri existimasse, si Deus in falsitatis communionem adduceretur. Semel pessumdato aut falsitatis insimulato litterali sensu iis in locis, ubi omnes qui requiri possunt characteres historici coalescunt, corruat necesse est Scripturarum auctoritas apud Gentiles, apud Hæreticos, apud Christianos: apud Gentiles, qui potius inde occasionem sument rejiciendæ Scripturæ tamquam Spiritu Sancto indignæ, quam illius allegorice interpretandæ necessitatem colligent: apud Hæreticos, qui hoc principio abutuntur, ut se ex iis expediant locis, quæ contra suos ipsorum errores pugnant: denique apud Christianos, quos in fidei suæ detrimentum & in perpetuas animi anxietates ita adducet, ut legendis Scripturis prorsus renuntiare maluerint.

VII. 2°. Quod pene incredibile videtur, Origenem latuit discrimen quod litteram inter & verborum litteralem sensum intercedit. Littera potest esse falsa, & tamen verissimum sub falsitatis specie sensum continere. Id in omnibus enunciatis metaphoricis contingit. Si opera, quibus insunt ejusmodi metaphoræ licebit hoc nomine falsitatis accusare, nullus erit liber, qui falsitatibus & contradictionibus carere dici possit, cum nullus sit liber, in quo metaphorica vocum significatio simplici & litterali intelligentiæ non frequenter substituatur. Scriptura Sacra nihil hac in re habet, quo a cæteris libris secernatur. Si quis ex istis metaphoris intulerit, uti infert Origenes, Scripturam Sacram secum pugnare resque falsas & inexplicabiles continere, is profecto misere vulgari humani sermonis usu abutitur, & aperte hominum credulitati illudit, quippe quos inducat ut id pro rei falsitate sumant, quod tantum est elocutionis falsitas. Atque utinam ulterius progressus non fuisset Origenes: constat siquidem falsitatis ab ipso accusatum fuisse verum sensum litteralem plurimorum locorum, in quibus omnes veræ historiæ characteres & indicia agnoscuntur; cujusmodi sunt historia creationis, consitus in terra paradisus, historia Saræ, Rebeccæ, obstetricum Ægyptiarum, tentationis Domini & jejunii quadraginta dierum &c. Quas omnes historias, si litterali sensu accipiantur, pro anilibus fabulis Origenes habuit.

VIII. 3°. Origenem post tantam animi sui in Scriptura Sacra allegorice exponenda intemperantiam, multorum censura vexatum fuisse nihil mirum. Illud magis demiror, quomodo ea in re defensores habere potuerit. Verum Patres fere omnes aperte acriterque in illum insurrexerunt, repudiatis fere omnibus quæ in ejus methodo magis noxia videntur. Cæterum illud fateri debemus, Originem non dixisse, omnem in genere Scripturarum litteraliter sumptam esse falsam, sed solummodo quædam in particulari ejusdem loca. Suam hac in re Apologiam ipse exornat hisce verbis: Ne quis vero nos suspicetur, in omnibus id dicere, nullam historiam contigisse, quoniam aliqua non contigit &c. *Dicimus manifeste in quibusdam historia veritatem nobis apparere:* verbi gratia, Abraham, Isaac, & Jacob cum una sua unumquemque uxore in duplici spelunca sepultos esse in Hebrom; Sichem Josepho in portionem esse attributam; Jerusalem metropolim esse Judææ, in qua a Salomone ædificatum fuit templum Dei, & alia sexcenta. Multo enim plura sunt secundum historiam vera, quam quæ mere spiritualia illis attexta sunt. Hactenus Origenes. Quibus sane verbis Origeniani systematis asperitas si non omnino tollitur, saltem minuitur. His omnibus Patris de la Rue animadversionibus libentissime ego adderem, ideo fortasse Origenem tantum tribuisse allegorico sensui, ut facilius lucrifaceret infideles, qui propter falsa, contradictoria, & absurda, quibus in speciem abundare videtur Sacra Scriptura, naturaliter abhorrere debebant ab amplectenda ea doctrina, quæ in earumdem Scripturarum auctoritate fundatur. Verum quantumvis piæ supponantur hæ caussæ quæ ad allegoricum sensum Origenem impulerint, fateri debemus cum recentiori ejus Operum editore, haud recte in hoc se gessisse, cum potius dederit Infidelibus occasionem rejiciendæ Scripturæ tamquam Spiritu Sancto indignæ, quam illius allegorice interpretande necessitatem insinuaverit.

Lib. 4. Periarch. num. 19. pag. 180.

Errores circa Personam Filii. Tract. de Oratione. n. 15. pag. 222. & 223.

IX. Pariter inter præcipuos errores Origenis recenseri debet quod ipse docet in suo Tractatu de Oratione, scilicet solum Deum Patrem orandum esse per Filium suum; Filium autem Dei non esse orandum. Etsi in Sectione Dogmatica operam nostram in purgando hac de re Origene posuerimus, allato nunc textui alterum opponentes, in quo idem Origenes agnoscit, posse nos orare Jesum Christum; nihilominus tali pacto se exprimit etiam ibidem, ut utrobique eamdem tradat doctrinam, ut egregie observavit Dominus Matthæus Petit-Didier. Si enim, inquit ille, Origenes permittit, posse nos orare Jesum Christum, non permittit tamen posse nos orare Christum Jesum eodem modo, quo oramus Patrem, nec sumpta notione precationis in sensu proprio & rigoroso, sed in sensu improprio. Idque ex eodem Origene ostendi potest: ait siquidem eo in loco quem attulimus in Sectione Dogmatica: Verbum orabimus, illi feremus preces, illi gratias agemus, illi vota faciemus, *Si modo propriam precationis possimus ab impropria secernere notionem.* ἐὰν δυνώμεθα κατακούειν τῆς περὶ προσευχῆς κυριολεξίας ἢ καταχρήσεως. Ex quo eruitur, Origenem nequaquam credidisse posse nos orare Jesum Christum, sumpta voce precationis προσευχῆς in suo proprio ac naturali sensu. Hæc autem doctrina excusari nullo pacto potest, cum maximum comprehendat errorem quoad ea, quæ omnes nos debemus Dei Verbo.

Animadversiones in Dom. Dupiniũ. Tom. I. pag. 275.

Lib. 5. contra Celsũ. num. 4. pag. 580.

Errore quoad Incarnationem. Homil. 1. in Levitic. pag. 186. & Lib. 2. contra Celsum. pag. 478. Lib. 4. Periarch. num. 25. pag. 188.

X. Silentio prætereo nonnullos Origenis errores circa Incarnationem: credidit siquidem, mortem Jesu Christi omnibus in genere profuisse creaturis, Angelis, Dæmoniis, & ipsis etiam rebus insensibilibus; quamdam excogitavit spiritualem Salvatoris mortem in alio mundo; credidit insuper Christum Dominum non prodiisse ex Virginis utero per penetrationem; & tandem eamdem Virginem diffidentiæ insimulavit. Errores isti cæteris leviores sunt; & asserere insuper possumus, hos passim in antiquis occurrere juxta animadversionem Dupinii in sua Bibliotheca Scriptorum Ecclesiasticorum tom. I. pag. 417.

Homil. 14. in S. Luc. Tom. II. Geneb. pag. 142. Homil. 17. in S. Luc. Tom. II. Geneb.

XI. Etsi jam superius attulerimus quædam Origenis loca, quibus Doctrina ejus circa naturam Angelorum aliquantulum purgatur; fateamur nihilominus oportet, quædam alia in eo deprehendi loca, in quibus ipse videtur attribuere Angelis corpora, sed nostris longe diversa, ex puriori scilicet materia compacta. Nec mirum est Origenem credidisse Angelos corporeos, cum doceat ipse in Præfatione in Periarchion, ætate sua nihil a Traditione statutum fuisse circa naturam Angelorum. *Sed .... isti ...., quales aut quomodo sint, non satis in manifesto designatur.* Cæterum, docet idem Pater, Homines fieri posse Angelos, & Angelos fieri posse Homines; & alio loco videtur etiam asserere, Angelos pluries errare in regimine mundi, cujus regiminis rationem reddere debent in die judicii. Audet insuper & tradit, de Angelo posse Diabolum fieri, & rursus diabolum in Angelum posse reverti: quod quidem eo minus mirum videri nobis debet, quod ipse Origenes positive agnoscit, dæmones etiamnum frui libero arbitrio. „ *Si enim dæmoniis auferatur libertas arbitrii*, inquit ille Homilia decimatertia „ in Numeros, nullus ultra impugnabit athletas Chri- „ sti: nullo autem impugnante, nec certamen aliquod „ erit: & sublato certamine, nullum erit præmium, „ nulla victoria. „ Hinc inferius concludit, dæmones non esse nudatos libertate arbitrii: *Genus dæmonum non nudetur arbitrii libertate.* Præterea Origenes asserit Dæmones, non secus ac Angelos, corporeos esse; eorum vero corpora, sicuti & corpora Angelorum, ex puriori ac subtiliori materia compacta esse dicit, quam corpora hominum. Opinatur insuper, Dæmonibus vindictæ & judicii diem nondum advenisse, & nunc dæmones neque corripi pro peccato neque flagellari, sed omnia eis servata esse in futurum. Unde & ipsi scientes sibi istud statutum tempus esse pœnarum, dicebant ad Salvatorem (a): Quid venisti ante tempus torquere nos? Quin immo damnatis pœnas temporarias ad emendationem, & non æternas a Deo infligi ipse

Errores circa Angelos. Tom. I. Recent. Edition. num. 10. pag. 49. Lib. 1. Periarch. in D. Hieronym. Ep. ad Avitũ. Lib. 2. Periarch. c. 10. n. 7. pag. 103. Lib. 1. Periarch. c. 6. pag. 70. & 71.

Errores circa Dæmones. Homil. 13. in Numer. num. 7. pag. 321. Præfat. in Periarch. num. 8. pag. 4. & Lib. 5. contra Celsũ. num. 4. pag. 580. Homil. 8. in Exod. num. 6. pag. 161. Lib. 2. Periarch. c. 10. n. 6. pag. 103.

(a) Matth. cap. 8. vers. 29.

III. SÆCULUM.

ipse innuit: quod sane nullo pacto conciliari potest cum his quæ docet idem Scriptor pluribus in locis de æterno igne inferni. Quem errorem tueri contendit ille quibusdam Prophetarum oraculis, quæ meræ allegoriæ sunt perperam intellectæ.

Errores circa Animam hominis. Præfat. in Periarch. n. 5. p. 48.

XII. Quoad animam hominis contendit, non satis manifesta prædicatione, seu Ecclesiæ traditione distingui, utrum anima ex seminis traduce ducatur, an vero aliud habeat initium; & hoc ipsum initium an genitum sit, vel non genitum; vel certe an extrinsecus corpori sit indita, nec ne. Admittit vero animarum præexistentiam, & cum quibusdam veteribus opinatur, Deum condidisse determinatum quemdam numerum animarum, quæ æquales sint, & diversa corpora informare debeant. *At quod a Psalmis proposuimus*, inquit ille in uno ex suis Commentariis in Joannem, *declarare mihi videtur, animarum nobilium descensum, quæ venerint in hanc vitam .... quæque invitæ fere venerint suspirantes*. Videri possunt ejus Commentaria in Joannem; ibi enim rem hanc pluribus pertractat, explicans hæc verba Evangelii: Fuit homo missus a Deo, cui nomen erat Joannes: videri insuper potest primus liber Periarchion, ubi hujus opinionis probationes affert; quam tamen opinionem uti meram conjecturam proponit: quod sane est animadvertendum.

Tom. II. Huet. pag. 236.

Tract. V. in S. Joann. Tom. II. Huet. pag. 75. Lib. 1. Periarch. c. 7. n. 4. & 5. p. 72. & 73.

Lib. 2. Periarch. c. 3. n. 2. p. 80. & 81.

XIII. Etsi tradat Origenes, animam esse substantiam spiritualem, & materiæ expertem; docet nihilominus, animas nunquam corporibus omnino nudari; quam corporalem materiam subtiliorem esse dicit ac puriorem materia carnali, & similem eam facit particulis aeris: quod sane didicit absque dubio Origenes a Platonis Schola; cum idipsum Plato doceret. Hinc alibi concludit, animam, etiam post præsentem vitam, corpore donari; idque probat exemplo divitis, qui in inferno pœnas luit, & Lazari, qui in Abrahæ sinu requiescit: *Huc adde*, verba sunt Origenis, *quod & dives pœnas luens, & pauper in sinu Abrahæ requiescens .... docent animam etiam nunc post excessum e vita uti corpore* (σώματι χρῆται.) Quæ quidem scripsisse Origenem quisque diceret, eo quod ipse crederet, animam non posse absque corpore inferni pœnas luere: & ego reipsa opinor, hac solummodo de caussa ipsum adoptasse hanc opinionem, hoc est hunc errorem, quem alibi ille ipse damnat, ut deprehendere quisque potuit in Sectione Dogmatica cum de Anima egimus: sed novum non est contradictiones in Origene adinvenire. Credidit insuper, astra animata esse, Solemque, Lunam, & cætera astra preces Deo offerre, & bene vel male agere posse; & non solum posse esse subdita peccatis, verum etiam munda non esse a contagione peccati; tandem astrorum animas creatione mundi esse antiquiores.

Fragm. de Resurrect. Tom. I. recent. Edit. pag. 35.

Errores quoad Astra. Lib. 5. contra Celsū. num. 11. pag. 583. & 586. Lib. 1. Periarch. c. 7. n. 2. & 3. Lib. 2. Periarch. c. 8. n. 4. p. 96.

XIV. Quod spectat Gratiam & liberum arbitrium, demonstravimus jam in prima Sectione, Origenem dum hæc argumenta pertractat, non eadem semper docere, cum de his modo bene, modo male loquatur: sed observavimus jam cum Domino Matthæo Petit-Dedier, contradictiones istas ipsi veritati inservire, & testimonium reddere Traditioni Ecclesiæ. Studiosus Lector adeat ingeniosas animadversiones eruditi hujus Religiosi, quas adinveniet tomo primo ejus Animadversionum in Bibliotheca Dupinii pag. 207. 208. & 209.

Animadversiones generales supra errores Origenis.

XV. Alii, & quidem plures occurrunt in Origene errores, quorum lectionem & examen curiosis relinquo. Satis mihi fuit hos tantum in medium afferre ut omnes dignoscant quid possit homo, cæteroquin pius & doctus, sibimetipsi relictus, & suarum cognitionum ductum sequens. Ad hoc exemplum tremere & trepidare debemus, & a magni hujus Viri erroribus insusitatis tandem aliquando discamus quid a nobis ipsis præstare valeamus. Hos errores excusare ne tentavimus quidem; econtra illos damnamus; non ideo tamen damnamus Origenem. En aliquas animadversiones, propter quas illius errores tolerabiliores evadent. 1°. Certum est, Origenem sæpe proponere sua placita uti meras conjecturas, ac personales opiniones; quod sane minime officit Traditioni. 2°. Errores vetusti hujus Patris, alii vetusti Patres refutarunt, qui hoc pacto testimonium reddunt Dogmaticis Ecclesiæ veritatibus. 3°. Ea quæ immutavit Rufinus in Operibus Origenis nobis prosunt, cum antiquus sit hic Scriptor, & in sua versione has mutationes non inseruit, nisi cognita rerum veritate coactus. 4°. Dolet ipse Origenes, & amare dolet, aliquot hæreticos, ipso adhuc vivente eo audaciæ devenisse, ut ex libris ejus quosdam corruperint, & alia sub ejus nomine evulgaverint scripta, ubi ea dicere fingebantur, quæ nunquam ei venerant in mentem: igitur horum errorum partem aliquam hisce falsariis adscribere possumus. 5°. In mentem revocare debemus quod sæpe jam diximus, primis scilicet Ecclesiæ sæculis claro in lumine posita non fuisse dogmata, sicuti fuere deinceps. 6°. Omnes Apostoli verosimiliter non docuerunt particulares Ecclesias omnia Dogmata; & quæ uni Ecclesiæ tradita erant, nonnisi post multa sæcula aliis Ecclesiis communicata fuere, ut de libris Deuterocanonicis evenisse compertum est. Tunc temporis Doctores docendi & scribendi nullum finem faciebant, unde opiniones, conjecturæ, immo & materiales aliqui errores in lucem prodibant. Quo quidem in casu id unum necessario requirebatur, quod scilicet Ecclesiæ se subjicerent, ejusque auctoritatem agnoscerent: At talis erat Origenes, vir summe modestus.

Aliæ animadversiones in eosdē errores.

XVI. 7°. Apostoli non docuerunt fideles modum ratiocinandi & efformandi Systemata; ex eorum libris & sermonibus erumpebant solummodo principia quædam ac germina catholicarum veritatum; quarum plurimæ, memoriæ potius commendatæ erant quam intellectui, hinc non omnes catholicæ veritates eamdem obtinebant authenticam, quam deinceps obtinuerunt. 8°. pauci admodum Origenis ætate extabant libri, quos perdifficile erat ad manus habere: nihil habebatur quod rectissime homines determinaret: si Philosophiam ducem habebant, si illam plus æquo diligebant, obvius erat in multos errores prolapsus, præcipue in tanto Operum numero quæ Origenes exaravit. 9°. Familiare est iis qui multa conscribunt, propriæ mentis laxare habenas, & præcipue in Commentariis, in quibus omnia quæ occurrunt exponenda sunt & illustranda; hinc prodeunt dubia, opiniones, conjecturæ, & decisiones, quæ modo congruæ sunt, modo incongruæ. Nil mirum igitur, si Origenes in infinito propemodum voluminum quæ exaravit numero, cum Philosophiæ esset summopere addictus, & allegoriarum conquisitor curiosus, plura protulit contradictoria, falsa, & erronea. Illud satis commendare non possumus, Virum hunc agnovisse vivam & perpetuam in Ecclesia auctoritatem; cum perfecta ejus subjectio decisionibus ac doctrinæ Ecclesiæ in caussa fuerit, cur in præcipitium omnino non sit prolapsus, eique tantum rationis reliquerit, ut probe distingueret inter peculiares suas opiniones & fidem Ecclesiæ, & tantum reliquerit humilitatis, ut Ecclesiæ fidem uti certam & indubiam veritatem adoraret; etsi aliunde non contemnendas duxerit proprias opiniones.

Peculiares Origenis opiniones. Lib. 2. contra Celsū. num. 54. pag. 428. Lib. 6. contra Celsū. num. 43. pag. 665. Lib. 4. contra Celsū. pag. 541. & alibi.

XVII. Videamus modo peculiares Origenis opiniones. Censet, exempli caussa, Moysen scripsisse postremum caput Deuteronomii, in quo sermo est de morte ac sepultura sancti hujus Legislatoris: cui opinioni nonnulli Theologi hodie subscribunt. Asserit, Job esse antiquiorem Moyse: *In libro Job*, inquit ille, *Moyse ipso antiquioris*. Psalmos ab illis exaratos dicit, quorum nomina in fronte gerunt; & Asaph in particulari attribuit Psalmum septuagesimum septimum: *Quin & Asaph .... in libro Psalmorum ... hac præfatione utitur: Attendite, popule meus, legem meam &c.* Tradit, Saducæos ex omnibus Scripturæ libris solos libros Moysis, hoc est solum Pentateuchum admisisse. Tradit insuper, vetustissimum quemdam Auctorem (qui ante ipsum Origenem floruerat) docuisse, in verbis illis capitis sexti Geneseos: Filii Dei videntes filias hominum esse pulchras &c. in verbis inquam illis sermonem esse de animabus cupidis hujus humanæ vitæ: ex quo infertur, omnium primum Origenem non credidisse præexistentiam animarum: quis vero fuerit Auctor iste Origene antiquior, plenius ignoramus. Asserit præterea arcam Noe continuisse quidquid animalium esset in terra, septem ex mundis paria, ex immundis vero duo; nec non tercentorum cubitorum fuisse ejus longitudinem, quinquaginta latitudinem, triginta altitudinem. Ait pariter, eum haud recte percipere sensum Scripturarum, qui putat, Deum sex diebus condidisse mundum; ac deinde, Adam ibi sepultum fuisse, ubi Christus crucifixus est; quod quidem ex Traditione se didicisse profitetur: *Venit ad me*, inquit ille, *Traditio quædam talis, quod corpus Adæ ibi sepultum est, ubi crucifixus est Christus*: nec non Adam hebræa lingua locutum fuisse: *Lingua per Adam primitus data, ut putamus Hebræa*. Tandem ait, Adam eadem hora plasmatum fuisse, qua Christus mortuus est, vel saltem ut res ita se haberet, conveniens fuisse. Verum non omnium primus docuit postremum hunc articulum Origenes, cum S. Irenæus, nisi fallor, ante illum idipsum docuerit. Hæ sunt præcipue Origenis opiniones quoad vetus Testamentum.

Lib. 1. contra Celsū. num. 49. pag. 365. Lib. 1. contra Celsū. num. 55. pag. 610.

Lib. 4. contra Celsū. num. 41. pag. 535.

Lib. 6. contra Celsū. pag. 678. & 679. Tract. 35. in Matth. Tom. II. Geneb. pag. 126. Homil. 11. in Numer. num. 4. pag. 307. Tract. 35. in Matth. Tom. II. Geneb. pag. 126. Ibid.

XVIII. Novum vero quod attinet, contendit idem Pater, Publicanum Levi, de quo sermo est in Evangelio, non fuisse ex numero Apostolorum: *Sit & Levi*, inquit ille, *Publicanus qui Jesum secutus sit; at non fuit ille ex Apostolorum numero, nisi juxta quædam Evangelii secundum Marcum exemplaria*: igitur saltem fatetur, opinionem hanc non esse secundum quædam exemplaria Evangelii Divi Marci: hinc autem illud

Lib. 1. contra Celsū. num. 62. pag. 376.

etiam

III. SÆCULUM.

Tract. 2. in Matth. Tom. I. Huet. pag. 299. Fragm. in Lib. 1. Regum. p. 34.

etiam enititur, Origenis ætate quædam extitisse hujus Evangelistæ exemplaria, in quibus non designabatur, Publicanum hunc fuisse Divum Matthæum. Si Origeni fides, Petrus nequioris spiritus operatione, quo tempore transfiguratus est Christus Dominus, hæc protulit verba: *Bonum est nos hic esse*. Insuper Joannes cum per discipulos suos dicebat Christo: tu es qui venturus es, an alium expectamus? hærebat dubius, fortasse etiam non credebat, an Christus sic glorificatus (uti glorificatum illum viderat in ejus Baptismo) usque ad inferos, & abyssum ipsum descenderet. Jesus Christus Baptismum suscepit mense Januario, ætatis suæ anno trigesimo. *Eo mense, qui apud Romanos Januarius nuncupatur, Baptismum Domini factum esse cognoscimus*, inquit Origenes Homilia prima in Ezechielem; & Homilia secunda in Genesim, *Triginta annorum*, inquit, *refertur Jesus cum venit ad Baptismum*.

Tom. I. Geneb. pag. 390. Homil. 2. in Genes. Tom. II. Recent. Edition. n. 5. p. 65.

XIX. Ignorare me fateor, quomodo Origenes admodum in Scripturarum scientia versatus, asserere potuerit, nullibi in Evangelio legi, Salvatorem Hierosolymis miracula perpetrasse; Sanctum Mathiam in Judæ locum jam electum fuisse quando Christus Dominus manifestavit seipsum Apostolis post suam Resurrectionem; & tandem nullibi in Evangelio legi, Jesum Christum fuisse artificem: constat siquidem tres istos articulos in Evangelio contineri; & Origenes nonnisi memoriæ lapsu potuit talia scribere.

Tract. 11. in S. Joan. Tom. II. Huet. pag. 197. Lib. 4. contra Celsum. pag. 527. Lib. 2. contra Celsum. num. 62. pag. 434.

XX. Cæterum credebat idem Origenes, duos Discipulos euntes in Emmaus, fuisse Simonem & Cleopham; Ananiam (de quo Apostolorum acta) non a Petro morti datum fuisse, sed ideo expirasse, quia non sustinuit arguitionem Petri; Saphiram vero vitam cum morte commutasse partim propter viri calamitatem & conceptum inde mœrorem, partim etiam quod peccati in Deum conscia vehementer angeretur. Pro his verbis Divi Joannis: *Hæc in Bethania facta sunt*, legendum esse dicit. *Hæc in Betarabia &c.* quam correctionem ideo adornat, quia Bethania longe abest a Jordane, quem tunc temporis incolebat Divus Joannes. Verum nihilominus est, Origenis ætate in omnibus ferme exemplaribus hæc verba fuisse, *in Bethania*. Contendit insuper, locum illum, ubi totus porcorum grex abiit per præceps in mare, istum non fuisse in regione Gerasenorum, quæ est in Arabia, cum ibi nec mare, nec lacus ullus habeatur; nec in regione Gaderenorum, sed in regione Gargesenorum. Præterea scribit, Divum Jacobum ab Apostolo Paulo appellatum fuisse fratrem Domini non tam ob sanguinis cognationem communemque ipsorum educationem, quam ob mores & doctrinam: Mariam, quæ unxit corpus Jesu, diversam esse ab ea muliere quæ erat in civitate peccatrix, de qua loquitur Sanctus Lucas: Evangelium de tribus tantum mulieribus, quibus nomen erat Maria, verba facere: Forsitan ergo quis dicet, verba Origenis sunt, quatuor fuisse mulieres, de quibus conscripserunt Evangelistæ: *Ego autem magis consentio fuisse tres*: & unam quidem, de qua conscripserunt Matthæus & Marcus; alteram autem fuisse, de qua scripsit Lucas; aliam autem de qua scripsit Joannes. Unum addendum superest circa Moralem Doctrinam, videlicet vetustum hunc Patrem docuisse, quandoque licitum esse mendacium, siquidem ad salutem collaturum esset. Sic pariter reprehensio a Divo Paulo facta Cephæ, dispensatoria fuit, non vera, si Divo Hieronymo fides, (*a*) qui id se legisse testatur in decimo libro Stromatum Origenis. Verum de Origene satis. Id unum animadvertendum hoc loco est, sicuti jam animadvertimus initio suorum Operum, Origenem, propter errores ac veritates, quæ passim in ejus Scriptis occurrunt, caute legendum esse, & juxta Ecclesiæ mentem omnia ad examen revocari debere, ut ait Dom. Tillemontius, (*b*) easque Doctrinas debere nos amplecti, quæ Ecclesiasticæ Traditioni conformes sunt, cæteras vero, quæ eidem adversantur, rejicere . . . Hoc modo, concludit citatus Tillemontius, quidquid boni in Origene deprehenditur, proderit nobis; quidquid vero mali, nequaquam nocebit.

Tract. 15. in S. Matt. Tom. I. Huet. pag. 383.

Tract. 6. in S. Joan. Tom. II. Huet.

III. SÆCULUM.

Ibid.

Lib. 1. contra Celsum. num. 47. pag. 363.

Homil. 2. in Cantic. Tom. I. Geneb. pag. 306.

Tract. 35. in S. Matt. Tom. II. Geneb. pag. 109.

Lib. 4. contra Celsum. num. 19. pag. 513.

(*a*) Epist. 74. ad Divum Augustinum.

(*b*) Tom. III. Hist. Eccles. pag. 594.

DO-

DOCTRINA SANCTI CYPRIANI

EPISCOPI CARTHAGINIENSIS ET MARTYRIS.

QUÆSTIONES PRÆMITTENDÆ.

I. SI panegyricum Sancti Cypriani, cujus doctrinam modo exponemus, nec ipsa ejus eloquentia digne efformare posset ; uti optime animadvertit Dom. Tillemontius ; (1) temerarium quidem foret si in animo esset hoc loco adornare elogium magni hujus Episcopi , sapientissimi Doctoris , egregii Martyris, qui omni laude est major. Quidquid de illo eloqui possemus , infinite esset infra ejus meritum , nec unquam æquaremus ideam, quam solo audito Cypriani nomine animo conceptam habent ii omnes, qui probe callent vitam, virtutes, & eminentiorem doctrinam Magni hujus Ecclesiæ luminis. Quare in hoc solum modo operam nostram ponemus , ut veterum de Divo Cypriano testimonia exscribamus majori qua fieri potest simplicitate. Nihil vero hac in re timere possumus eorum judicia sequentes , qui cum ejus ævo proximiores essent, omnia quæ eumdem respiciunt, cæteris luculentius cognoverunt.

II. Lactantius de Magno hoc Viro verba faciens, inquit, (2) eum admodum multa conscripsisse in suo genere admiranda; quæ tamen placere ultra verba Sacramentum ignorantibus non possunt, quoniam mystica sunt, quæ locutus est, & ad id præparata , ut a solis fidelibus audiantur: *Cyprianus magnam sibi gloriam ex artis oratoriæ professione quæsierat , & admodum multa conscripsit in suo genere admiranda*: deinde subjungit: *Erat ingenio facili , copioso, & , quæ sermonis maxima est laus, aperto , ut discernere nequeas, utrumne ornatior in loquendo, an facilior in explicando, an promptior in persuadendo fuerit.* Quod quidem magnificum elogium ideo majorem meretur fidem, quia a Lactantio exaratum , qui præ cæteris omnibus accuratissimum judicium ferre potest de cujuslibet Scriptoris Operibus tam quoad Orationis elegantiam, quam quoad sententiarum delectum, & efficacem argumentandi rationem , cum ipse ab omnibus celebretur tanquam omnium Ecclesiæ Patrum eloquentissimus.

III. Divus Hieronymus (3) asserit, noluisse se texere catalogum Operum Divi Cypriani, *Cum sole clariora sint ejus Opera:* & alio loco scribit : (4) *Beatus Cyprianus instar fontis purissimi, dulcis incedit & placidus:* & quum totus sit in exhortatione virtutum , occupatus persecutionum angustiis, de Scripturis Divinis (quas memoriter tenebat) nequaquam disseruit. Propter persecutiones igitur non potuit, teste Divo Hieronymo , de sacris Scripturis disserere, sed solum ad virtutes cohortari potuit populum suum; qui sane est verus fructus, qui ex Scriptura rite intellecta percipi potest, ut inquit Tillemontius. (5) Cæterum Divus Hieronymus verba faciens de educatione cujusdam Virginis, eamdem vehementer hortatur ut legat Divum Cyprianum, quem percurrere poterit *inoffenso pede*. (6) Quod elogium omni sua parte perfectum est, utpote a perspicaci & accurato Censore prolatum.

IV. Si vero ad S. Augustinum nostra convertatur oratio , nunquam dicendi finem facerem, si titulos omnes exscribere vellem, quibus egregius iste Doctor cumulatissime ornavit Divum Cyprianum . Ignorat nemo quanta veneratione Sanctus Augustinus prosequeretur magnum hunc Carthaginiensem Episcopum, quanti faceret ejus opera, quot præclara documenta & instructiones reperiret in iis etiam omnibus quæ conscripsit Sanctus Martyr de iteratione Baptismi. Id unum sufficiat dicere, Divum Augustinum dilexisse eloquentiam Divi Cypriani, sed simul asseruisse, difficillimum esse eamdem assequi: (7) Alio autem loco: *Non me terret*, inquit, *auctoritas Cypriani*, *quia reficit humilitas Cypriani: magnum quidem meritum novimus Cypriani Episcopi & Martyris.* (8) Hoc sane est, paucis multa complecti.

V. Silentio prætereo præclara elogia quæ ab aliis veteribus peti possent, ut a Divo Hilario, qui (9) virum sanctæ memoriæ eumdem appellat: *Vir sanctæ memoriæ*: a Sancto Paciano, qui eum Apostolicis viris accenset, & de eodem loquens (10) inquit: Num volumus Doctorem instruere? At est ne in nobis Beati Cypriani doctrina? A Gelasio summo Pontifice, qui Divi Cypriani Opera locat in fronte Operum Sanctorum Patrum, quæ Ecclesia summa veneratione suscipit. Recensentur utique in Gelasii Decreto Opera hujus Patris inter ea, quæ ab Ecclesia Romana uti apocrypha rejiciuntur: *Opuscula Tatii Cypriani apocrypha*, inquit Auctor hujus Decreti. Verum præter alia momenta, quæ clare evincunt, recitata verba Decreto Gelasii adjuncta fuisse ab aliquo extraneo; ex Gratiano id validissime demonstratur; a Gratiano siquidem non inter libros apocryphos , sed inter libros ab Ecclesia probatos recensentur Opera Divi Cypriani. Qua de re ad Tillemontium lectorem remitto. (11)

VI. Verum in celebrando Divo Cypriano Sanctus Maximus Taurinensis Episcopus omnes facile superavit. Fuit enim in eo, inquit ille, & contra errores Diaboli spiritualis sapientiæ plenitudo, & adversum persecutiones mundi, Christiani pectoris infatigata constantia. Quis non

(1) Tom. IV. Hist. Ecclesiast. pag. 45.
(2) Lib. 5. Institut. cap. 1.
(3) Catalog. Virorum Illust.
(4) Epist. ad S. Paulam.
(5) Tom. 4. Histor. Ecclesiast. pag. 190.
(6) Epist. 7.

(7) Lib. 4. de Doctrina Christ. cap. 14. pag. 341.
(8) Lib. 2. de Baptismo.
(9) Commentar. in S. Matth.
(10) Epist. 1. pag. 51.
(11) Not. 52. in S. Cyprian. Tom. 4. pag. 641.

III. SAECULUM. non hujusmodi virum quantis valet præconiis prosequatur, *Cujus eloquentia inspirata divinitus & Ecclesias docuit, & sæculum confutavit*? Vere hic mirabilis atque omnium ubique studiis celebrandus, *quem Sanctitas Sacerdotem, peritia Doctorem, fides Martyrem consecravit*. Pretiosa, inquit David, in conspectu Domini mors Sanctorum ejus: at Cyprianus etiam propheticam superegressus est laudem, cujus in conspectu Domini non solum mors, sed & vita extitit pretiosa. Moriendo namque proprium Christo sanguinem dedit, vivendo nihilominus, cohortatione fortissima, innumeros cœlo martyres acquisivit. Hæc habet de S. Cypriano S. Maximus Taurinensis sermone primo de eodem. III. SAECULUM.

VII. Cassiodorus (12) insigne testimonium ei reddit scribens, Ecclesiam multum debere ipsius Scriptis, moribus, & exemplis: impossibile est, inquit ille, omnino complecti quantum inter alios Scriptores, præter iterationem Baptismatis conferat Beatissimus Cyprianus; eumque appellat declamatorem insignem, & admirabilem Doctorem: *Declamator insignis, Doctorque admirabilis*. Prudentius (13) ait, immortalem sancti hujus Doctoris linguam ubique eloqui etiam post ejus mortem. *Desine*, inquit ille, *flere bonum tantum, tenet ille regna cæli, nec minus involitat terris, nec ab hoc recedit orbe; disserit, eloquitur, tractat, docet instruit, prophetat: Gallos fovet, imbuit Britannos, præsidet Hesperiæ, Christum serit ultimis Iberis*. Ipsius facundia nota est omnibus hominibus; quæ sedem animæ penetrat, mentem fovet, & penetrat artus; nam Spiritus Sanctus illi infudit Divinam Sapientiam: deinde prosequitur:

Dum genus esse hominum Christus sinet, & vigere mundum,
Dum liber ullus erit, dum scrinia sacra litterarum,
Te leget omnis amans Christum, tua, Cypriane, discet.

VIII. Ad quid vero Divi Cypriani elogia in aliorum Scriptis inquirimus, cum abunde ad hoc sufficiant ipsa ejus opera? in iis siquidem elucet zeli ardor, magnitudo & firmitas fidei, effusa in omnes sollicitudo, pacis amor, veritas & unitas, constantia in tuenda Disciplina, summa denique magnanimitas. Hujus Patris Scripta usque ad Orientis Ecclesias propagata, Augustino (14) teste, nec non citata in Conciliis ad defensionem fidei contra Hæreticos (15) satis superque ostendunt, eum uti præceptorem, & judicem doctrinæ Ecclesiæ apud omnes obtinuisse. Quicunque præclara ejus opera legerit, illico deprehendet Sancti hujus Doctoris facile ingenium, abundans, amœnum, & omni præcisione donatum. Fatentur omnes qui Divi Cypriani opera vel a limine salutarunt, eadem perutilia esse, & omnigenam eruditionem, & miram argumentorum vim præseferre: ibidem enim præcipua Religionis Dogmata constabiliuntur, & accuratissime traduntur, plures Scripturarum textus feliciter explicantur, principia Moralis Christianæ in omni sua puritate propugnantur, & Ecclesiæ Disciplina in primæva sua pulchritudine proponitur.

Idea Operum S. Cypriani.

IX. Inficiari non possumus, eum notabiliter errasse circa Baptismum Hæreticorum: Verum, si reprehensibilis est, inquit egregie Scriptor quidam inter recentiores clarissimus (16) quia quidquid habebat ingenii, eloquentiæ & auctoritatis in eo posuit, ut tueretur suam sententiam ab Ecclesia deinceps damnatam; commendari tamen debet summa, qua usus est in hac disputatione animi moderatio. Si errorem propugnavit, nunquam mansuetudinis & pacis leges violavit, semper ad palinodiam paratus, si oppositam doctrinam invictis argumentis adversarii ejus comprobassent: Quia vero, Augustino teste, (17) tunc non extiterunt nisi qui ei consuetudinem opponerent, defensiones autem ipsius consuetudinis non tales afferrent, quibus illa talis anima moveretur: *Noluit Vir gravissimus rationes suas, etsi non veras, quod eum latebat, sed tamen non victas, veraci quidem, sed tamen nondum assertæ consuetudini cedere*. Quibus rationibus permotus Augustinus, eidem, ut ipse fatetur, Cypriani sententiæ subscripsisset, nisi Ecclesiæ auctoritas (dirempta quippe erat ab Ecclesia tunc temporis hæc quæstio) ad diligentiorem considerationem eum revocasset. *Et profecto* verba sunt Sancti Augustini (18) *issem in eamdem sententiam, nisi me ad diligentiorem considerationem revocaret tanta auctoritas aliorum*, &c. Tandem si magnus iste Episcopus de Baptismo aliter sentiens humanæ infirmitati parum indulsit, tamen in catholica unitate permansit, & quod in hac re erratum est, charitatis ubertate compensatum est, & passionis falce purgatum. (19)

Catalogus Operum S. Cypriani.

X. Sequitur modo Catalogus germanorum Operum S. Cypriani, quæ sunt: Tractatus de Gratia Dei ad Donatum: Tractatus de Idolorum Vanitate: tres libri Testimoniorum ad Quirinum: liber de Habitu Virginum: Tractatus de Unitate Ecclesiæ: liber de Lapsis: liber de Oratione Dominica: liber de Mortalitate: Exhortatio ad Martyrium: liber contra Demetrianum: liber de Opere & Eleemosina: liber de Bono Patientiæ: liber de zelo & livore. Præter hos Tractatus extant septuaginta Divi Cypriani Epistolæ: quindecim ad suum Clerum suumque populum; quatuor ad Clerum Romanum; octo ad Sanctum Cornelium Papam; undecim ad diversos Confessores; una ad Sanctum Lucium Papam; duæ ad Sanctum Stephanum Papam; cæteræ vero vigintinovem quæ remanent, ad diversos. Notabiliora quæ in omnibus his Operibus continentur quoad Dogma, Mores, & Ecclesiæ Disciplinam, modo exscribemus; omissis cæteris Operibus, quæ Divo Cypriano perperam adscribuntur; quæque recensentur a Dupinio, Tillemontio, & Patre Ceillierio. Non omittemus autem quæcunque notabiliora occurrere poterunt in quibusdam aliis peculiaribus Epistolis, quæ etsi non sint Divi Cypriani, per eadem tamen tempora ab aliis Scriptoribus sunt exaratæ,

SE-

(12) Lect. Divin. cap. 19.
(13) Hymn. in S. Cyprian. cap. 13. Tom. V. Biblioth. Patrum.
(14) Epist. 4. ad Bonifac. cap. 8. pag. 480. Tom. X.
(15) Concil. Ephesin. Act. 1.
(16) Ceillierius Tom. III. Hist. Scriptor. Ecclesiast. pag. 116.
(17) Lib. 2. de Baptism. cap. 8. Tom. IX. pag. 103.
(18) Lib. 3. de Baptism. cap. 4. Tom. IX. pag. 111.
(19) Lib. 1. de Baptism. cap. 18. Tom. IX. pag. 94.

III. SACULUM.

SECTIO PRIMA.

PUNCTA DOGMATICA.

Etsi S. Cyprianus fusius Moralem Doctrinam, & Disciplinam Ecclesiæ tanquam catholica Dogmata prosequatur; negari nihilominus nequit, etiam quoad Dogmata, plurima occurrere in ejus Operibus, quæ notabilia sunt, & attenta consideratione dignissima. Validissimis siquidem momentis, ut aliquo exemplo utamur, tuetur Veritatem & Divinitatem nostræ Religionis; summa præcisione disserit de divina inspiratione Sacrarum Scripturarum, & de magnis utilitatibus, quæ ex sacrorum librorum lectione profluunt; & quod magis facessit, citat ut Scripturam divinitus inspiratam omnes fermè libros Deuterocanonicos utriusque Testamenti: agnoscit aperte venerabilem auctoritatem Traditionis, & Ecclesiæ, illiusque Unitatem perspicue demonstrat, necnon necessitatem, in qua versantur fideles omnes adeundi sanctam hanc Matrem, eamque audiendi, & eidem se subjiciendi, præcipue vero Romanæ Ecclesiæ, quam præclaris adeo titulis & prærogativis exornat, ut a recentioribus Sectariis probari nequaquam possint. De Mysteriis Sanctissimæ Trinitatis & Incarnationis castigatissime loquitur; in sensu apprime catholico pertractat de omnibus ferme Sacramentis novæ legis, si Baptismum excipias, quem tradit iterari debere, si quando ab Hæreticis fuerit collatum. Nec minus orthodoxe loquitur de peccato Originali, de libero arbitrio & gratia, de intercessione Sanctorum, de ministerio Angelorum, de causa eorum lapsus, de vario hominum statu post præsentem vitam, de utilitate orationis pro defunctis, & de aliis veritatibus æque necessariis, quæ in vetusti hujus Patris Operibus passim occurrunt.

CAPUT PRIMUM.

ARGUMENTA PRO RELIGIONE CHRISTIANA.

I. Sanctus Cyprianus in quibusdam ex suis libris veritatem & divinitatem nostræ Religionis demonstrandam suscepit. In libro de Vanitate Idolorum quædam occurrunt loca, quæ ad rem hanc aptissime faciunt: ibi enim probat veritatem Christianæ Religionis 1o. ex reprobatione Judæorum; 2o. ex miraculis Salvatoris; 3o. ex implemento Prophetiarum in persona Jesu Christi; 4o. ex prædicatione Evangelii, & sanguine Martyrum.

Veritas Religionis Christianæ probatur primo ex reprobatione Judæorum. Lib. de Vanit. Idolor. Pag. 11. Editionis Oxoniensis.

II. Hæc igitur scribit primo loco S. Cyprianus: Judæis primum erat apud Deum gratia: sic olim justi erant, sic majores eorum religionibus obediebant. Inde illis & regni sublimitas floruit, & generis magnitudo provenit. Sed isti negligentes & indisciplinati & superbi postmodum facti, & fiducia patrum inflati, dum divina præcepta contemnunt, *Datam sibi gratiam perdiderunt*. Hæc igitur, juxta Divum Cyprianum, fuit vera caussa cur reprobarentur Judæi, & Christiana Religio fundaretur; negligentia scilicet, superbia, & fiducia in merita patrum suorum, propter quæ Dei leges contempserunt, & vocationis gratiam amiserunt: a quo malo, omnium quidem maximo, per misericordiam suam liberet nos Christianos Deus noster,

Sequitur idem argumentũ.

III. Quam vero fuerit illis profana vita, quæ contracta sit violatæ Religionis offensa, ipsi quoque testantur, qui etsi voce tacent, exitu confitentur. *Dispersi & palabundi vagantur, soli & cœli sui profugi, per hospitia aliena vagantur. Necnon Deus ante prædixerat fore, ut vergente sæculo . . . . ex omni gente, & populo, & loco, cultores sibi allegeret Deus multo fideliores, & melioris obsequii, qui indulgentiam de divinis muneribus haurirent, quam . . . Judæi . . . perdidissent.* Hujus igitur gratiæ disciplinæque arbiter & magister sermo & Filius Dei mittitur, qui per Prophetas omnes retro illuminator & doctor humani generis prædicabatur . . . Sciebant & Judæi Christum esse venturum. Nam hic illis semper Prophetis admonentibus adnuntiabatur. Sed significato duplici ejus adventu, uno qui exercitio & exemplo hominis fungeretur, altero qui Deum fateretur, *Non intelligendo primum adventum, qui passione præcessit occultus; unum tantum credunt, qui erit in potestate manifestus.* Vera igitur origo cæcitatis Judæorum ab hoc processit, quod non distinxerunt duplicem Salvatoris adventum. Verum ex superbia primum adventum non intellexerunt.

Probatur secu do ex Miraculis salvatoris. Ibid.

IV. *Sic erant sapientia*, prosequitur S. Cyprianus eodem loco, *& intelligentia cæcitate mulctati, ut . . . haberent vitam ante oculos, nec viderent*. „ Itaque cum „ Christus Jesus secundum a Prophetis ante prædi„ cta, verbo & vocis imperio dæmonia de homini„ bus excuteret, paralyticos restringeret, leprosos pur„ garet, illuminaret cæcos, claudis gressum daret, „ mortuos rursus animaret, *Cogeret sibi elementa fa„ mulari, servire ventos, maria obedire, inferos cede„ re*, Judæi, qui illum crediderant hominem tantum „ de humilitate carnis & corporis, existimabant ma„ gnum de licentia potestatis. Hunc Magistri eorum „ atque primores, hoc est, *Quos & doctrina ille & „ sapientia revincebat*, accensi ira, & indignatione „ provocati insecuti sunt, & postremo detentum Pon„ tio Pilato, qui tunc ex parte Romana Syriam pro„ curabat, tradiderunt, crucem ejus & mortem suffra„ giis violentis ac pertinacibus flagitantes.

Probatur tertio ex implemẽto Prophetiarum in persona Jesu Christi. Ibid.

V. Verum ex hoc etiam Christiana Religio comprobatur. *Hoc eos facturos & ipse* (Salvator) *prædixerat, & Prophetarum omnium testimonium sic ante præcesserat*, oportere illum pati, non ut sentiret mortem, sed ut vinceret, & cum passus esset, ad Superos denuo regredi, ut vim Divinæ majestatis ostenderet. *Fidem itaque rerum cursus* implevit. Nam & crucifixus, prævento carnificis officio, inquit S. Cyprianus, spiritum sponte dimisit, & die tertio rursus a mortuis sponte surrexit. *Apparuit Discipulis suis talis ut fuerat*; agnoscendum se videntibus præbuit, simul vinctus, & substantiæ corporalis firmitate conspicuus, ad dies quadraginta remoratus est, ut de eo ad præcepta vitalia instrui possent, & discerent quæ docerent. Tunc in cœlum circumfusa nube sublatus est, ut hominem quem dilexit, quem induit, quem a morte protexit, ad Patrem victor imponeret.

Probatur quarto ex prædicatione Evãgelii, & sanguine Martyrũ. Ibid. & pag. 12.

VI. Ante suam ascensionem Salvator præceperat Discipulis suis, ut per orbem diffusi, præcepta in salutem darent, ab errore tenebrarum ad viam lucis adducerent, cæcos & ignaros ad agnitionem veritatum ocularent. *Ac ne esset probatio minus solida*, prosequitur sanctus Carthaginensis Episcopus, *& de Christo delicata confessio, per tormenta, per cruces, per multa pœnarum genera tentantur. Dolor, qui veritatis testis est, admovetur, ut Christus Dei Filius, non tantum præconio vocis, sed & passionis testimonio prædicaretur*. Hoc pacto Divus Cyprianus validissime tuetur veritatem Religionis Christianæ, in fine libri de Vanitate Idolorum.

Probatur insuper aliis momentis a Scriptura deprõptis in Christianæ Religionis patrocinium adversus Judæos.

VII. In alio autem Tractatu, quem concinnavit adversus Judæos, quique in tres libros dividitur, qui *Testimoniorum* inscribuntur; quia complectuntur innumera Sacrarum Scripturarum testimonia, quæ S. Cyprianus collegerat ut unum efformaret corpus Controversiarum; in eo, inquam Tractatu ostendit, Judæos in offensam Dei graviter deliquisse quod Dominum dereliquerint, & idola secuti sint; item quod Prophetis non crediderint, & eos interfecerint. Ante prædictum erat per Prophetas, quod Judæi Dominum neque cognituri, neque intellecturi, neque recepturi essent. Apud Isaiam: (a) Filios enutrivi & exaltavi, ipsi autem me reprobaverunt. Agnovit Bos possessorem suum, & Asinus præsepium Domini sui: Israel autem me non cognovit. Quod Scripturas Sanctas intellecturi Judæi non essent, est primus effectus iræ Domini adversus eosdem. Omnes Scripturarum sermones sunt Judæis, sicut sermones libri, qui signatus est. Velamentum est super cor eorum: mox ut conversi fuerint ad Dominum, auferetur velamentum; nihil enim posse Judæos intelligere de Scripturis, nisi prius crediderint in Christum, satis aperte prænuntiat Isaias: (b) Et si non credideritis, neque intelligetis.

pag. 16. Lib. 1. Testimon. c. 1. & 2.
pag. 16. cap. 3.
pag. 17. cap. 4.
Ibid. c. 5.

VIII. Sanctus Episcopus profert deinde omnia Scripturarum testimonia, quæ respiciunt effectus iræ Dei, quod scilicet essent amissuri lumen Domini, & perdituri essent Jerusalem, & terram quam acceperant relicturi. Ostendit pariter, quod circumcisio prima carnalis evacuata sit, & secunda spiritalis repromissa sit; item, quod illud signaculum fœminis non proficit, signo autem Domini omnes signantur; nec non quod Adam, Abel, Enoch, ac cæteri primi Justi, incircumcisi fuerunt. Ostendit insuper, quod lex prior, quæ per Moysen data est, cessatura esset; quod lex nova dari haberet; quod dispositio alia & testamentum aliud dari haberet; quod Baptisma vetus cessaret, & novum inciperet, juxta hoc Isaiæ vaticinium: (c) faciam in deserto viam, & flumina in loco inaquoso adaquare genus

Ibid. c. 6. & 7.
pag. 18. cap. 8.
pag. 18. cap. 9. 10. & 11.
pag. 18. & 19. c. 12.

(a) Cap. 1. vers. 2. & 3.
(b) Cap. 7. vers. 9.
(c) Cap. 43. vers. 20.

[III. SÆCULUM.] genus meum electum, plebem meam, quam acquisivi, ut virtutes meas exponeret. Item, quod Pastores veteres cessaturi essent, & novi inciperent; quod sacrificium vetus evacuaretur, & novum celebraretur. Illud autem hoc loco observandum est, [pag. 19. cap. 14. Ibid. c. 15.] Divum Cyprianum, ut ostendat abolitionem Sacrificiorum Moysis, [pag. 19. & 20. c. 16.] & institutionem Sacrificii Christi Domini, in medium afferre celeberrimum Malachiæ vaticinium: *Non est mihi voluntas in vobis &c.* (a)

IX. Ostendit præterea S. Cyprianus, quod Sacerdotium vetus cessare debebat, & novus Sacerdos venire, [pag. 20. cap. 17.] qui in æternum futurus esset, ut legimus in Psalmo 109. (b) *Tu es Sacerdos in æternum &c.* Quod Propheta alius sicut Moyses promissus sit, scilicet qui Testamentum novum daret, & qui magis audiri deberet; [Ibid. c. 18.] quem Prophetam ipse Moyses in Deuteronomio (c) prænuntiavit: Quod populus qui ex Gentibus esset, [Ibid. c. 19.] seu vocatio Gentilium prædicta sit ab Osea (d) his verbis: *Vocabo non populum meum populum meum . . . Erit enim quo loco dicetur non populus meus, illo loco vocabuntur Filii Dei vivi*: Quod Ecclesia, quæ prius sterilis fuerat, plures filios habitura esset ex gentibus, quam quot Synagoga ante habuisset. Hinc lætari debet Ecclesia, quia multi filii desertæ, (hoc est ipsius [pag. 20. & 21. cap. 20. & 21.] Ecclesiæ) quam ejus quæ habet virum, (hoc est Synagogæ) Synagoga fuit uxor prima, quæ primos filios peperit; Ecclesia fuit uxor secunda, quæ initio contempta, plures deinde peperit filios, cum ex omnibus gentibus coalescat.

X. Benedictiones omnes, quas Deus effundere debebat in Gentes, [pag. 21. cap. 21.] ignotæ sunt Judæis, etsi in promissionibus Abrahæ factis comprehensæ. Promissiones istæ soli conveniunt Christo Jesu, qui ab hoc Patriarcha genus suum trahit. Benedictio Judæ collata, aptari debet Salvatori: & nos reipsa vidimus usque modo Patres omnes unanimi contensione aptantes laudatum vaticinium Jesu Christo. Divus Cyprianus finem imponit libro primo Testimoniorum ostendens, a Prophe- [pag. 22. cap. 22.] tis jam prædictum esse, quod Gentes magis in Christum credituræ essent quam Judæi: quod panem & calicem Christi, & omnem gratiam ejus amissuri essent [Ibid. c. 24.] Judæi, Christiani vero accepturi: quod solo hoc Judæi accipere veniam possint delictorum suorum, si Sanguinem Christi occisi Baptismo ejus abluerint, & in Ecclesiam ejus transeuntes præceptis ejus obtemperaverint. Hæc sunt, contracta quidem, omnia Scripturarum Oracula, quibus utitur D. Cyprianus libro primo Testimoniorum, in Christianæ Religionis favorem & confirmationem.

XI. In secundo Testimoniorum libro Sanctus Cyprianus citat innumera Scripturarum oracula, quæ in credibilitate Christianæ Religionis nos confirmant. Ibi enim auctoritate Scripturarum ille probat Incarna- [pag. 25. Lib. 2. Testimon. c. 3.] tionem Verbi, missionem Apostolorum ad prædicandum Evangelium, Divinitatem Salvatoris, & præcipuas ac [p. 26. c. 6.] notabiliores circumstantias Nativitatis ipsius. Ex Scri- [p. 28. c. 9.] pturis siquidem constat, quod venturus esset Messias, [pag. 28. cap. 10.] homo & Deus Christus, & utroque genere concretus, ut Mediator esse inter nos & Patrem posset: quod Christus Deus venturus esset illuminator & Salvator [pag. 27. cap. 7.] generis humani; quod portare deberet peccata multorum, [pag. 29. cap. 13.] & propter facinora illorum tradi, & ipse pro pterea non aperire os suum, [pag. 30. cap. 14.] & morte turpissima condemnari. Prophetæ omnia Jesu Christi tormenta minutatim descripserant. [pag. 33. cap. 20.] Virtus Crucis designabatur in elevatione manuum Moysis: [pag. 34. cap. 21.] tenebras, quæ in passione ejus fuerunt, prænuntiavit Amos: ejus ad Inferos descen- [Ibid. c. 23.] sum ex pluribus Psalmorum locis eruimus: [pag. 35. cap. 24.] ejus autem resurrectionem tertio a morte die, ascensionem, [Ibid. c. 25. & 26.] & æternam potestatem, ex aliis Scripturarum locis. Præcipua prærogativa hujus potestatis Christi Jesu hæc [Ibid. c. 27.] est, quod perveniri non possit ad Deum Patrem, nisi per filium ejus Jesum Christum. Eruitur insuper ex [pag. 36. & 37. cap. 28. 29. & 30.] iisdem Scripturis, Christum esse viam, veritatem, & vitam; ad Patrem pervenire neminem posse, nisi per illum; eum esse ostium, per quod omnes necessario intrare debent qui salvandi sunt; per fidem in ipsum unice salutem æternam consequi posse; eum qui non obedit præceptis ejus, sub ira Dei manere; tandem ipsum esse regem & judicem universorum. Hæc sunt, in compendium quidem redacta, omnia quæ habet Divus Cyprianus libro secundo Testimoniorum contra Judæos; quo sane loco Sanctus Doctor auctoritate utriusque Testamenti utitur; non quod crederet, auctoritatem novi Testamenti aliquam vim obtinere apud Judæos; sed solum ut ostenderet, ea quæ narrantur in novo, esse complementum Oraculorum Testamenti veteris. Cæterum, etsi omnia hæc momenta in Christianæ Religionis favorem prolata Judæos magis movere possint, qui Scripturæ auctoritatem admittunt, quam Ethnicos, qui eamdem rejiciunt; nihilominus & Ethnicis etiam utilissimam esse posse dicimus, dummodo prius probetur auctoritas Sacrorum librorum iis momentis, quæ apud ipsos obtinent. Divus Augustinus, qui probe noverat quomodo cum ipsis congrediendum sit, quædam veteris Testamenti testimonia adversus ipsos profert, ut videre est pluribus in locis suorum Operum; & ipse etiam Sanctus Cyprianus idipsum peragit Tractatu contra Demetrianum Ethnicum, & Africæ Proconsulem.

CAPUT SECUNDUM.

DE SACRA SCRIPTURA, ET DE TRADITIONE.

I. SAnctus Pontius, Diaconus Sancti Cypriani, ejusque Vitæ scriptor tradit, egregium hunc Doctorem, statim ac Christianæ Religioni nomen dedit, [S. Cyprianus dat operâ studio Sacræ Scripturæ. S. Pontius, in Vita S. Cypriani, p. 2. Edit. Oxon.] in Sacrarum Scripturarum studio operam suam posuisse, *Non pro conditione novitatis, sed pro fidei festinatione*: hinc non incumbebat huic studio ut memoriter teneret Scripturarum præcepta, sed ut opere eadem compleret; ideoque præpropera velocitate pietatis, pene ante cœpit perfectus esse, quam disceret. Sermo illi fuerat usitatus, eodem Pontio teste, ut si quem prædicatum Dei laudatione legisset, suaderet inquiri propter quæ facta Deo placuisset; deinde faciendum docebat quidquid Sanctus ille fecisset. *Et sic* . . . [Pag. 3.] addit idem Pontius, *dum meliores semper imitatur, etiam ipse se fecit imitandum*.

II. Summa veneratio S. Cypriani erga Sacram Scripturam facile deprehenditur ex formulis, quibus utitur dum Sacri hujus Libri citat aliquod testimonium. [Fatetur Divinam Inspirationem Sacræ Scripturæ.] Modo enim ait, Spiritum Sanctum loqui in Sacris Scripturis: *Loquitur in Scripturis Divinis Spiritus Sanctus*: quo fit, ut admittat Sacram Scripturam uti O us Spiritus Sancti. [Tract. de Eleemos. pag. 137.] Modo ait Spiritum Sanctum declarare in Psalmis: *Declarat in Psalmis Spiritus Sanctus*. [Epist. 63. pag. 277.] Modo asserit, ex Divinis Scripturis arma depromi posse adversus hostes fidei: *Obtemperandum fuit desiderio tuo*, inquit ille, Fortunatum alloquens in suo Tractatu [Exhort. ad Martyr. pag. 117.] de Exhortatione ad Martyrium, *ut quantum sufficit mediocritas nostra, auxilio divinæ inspirationis instructa, quasi arma ac munimenta quædam pugnaturis fratribus de præceptis Dominicis promeremus*: quibus verbis Divus Cyprianus manifeste fatetur Divinam inspirationem (*divinæ inspirationis*) horum Sacrorum librorum. Hinc centies sacras litteras glorioso hoc titulo, scilicet *Divinas Scripturas* appellat, ut videre est Tractatu de Lapsis, pag. 89. Tractatu de Oratione Dominica, pag. 107. Epistola 59. pag. 260. & alibi; quod quidem satis superque ostendit catholicam ejus fidem circa inspirationem Sacrorum librorum.

III. Alio autem loco hæc habet: *Sermo divinus humanam naturam supergreditur, nec potest totum & perfectum anima concipere. Idcirco & tantus est numerus Prophetarum*: [S. Scripturam inexaustā esse asserit. Epist. 75. pag. 320.] quo nomine omnes sacri Scriptores veniunt; siquidem apud veteres, omnes sacri Scriptores indiscriminatim Prophetæ appellantur, uti alibi jam notavimus: *Ut multiplex divina sapientia per multos distribuatur*. Quæ verba Divinam inspirationem Scripturæ probant.

IV. Tandem Sacra Scriptura arma ministrare debet adversus omnia pericula. [S. Scriptura adversus omnia pericula arma ministrare debet.] *Neque aliquis ex vobis*, inquit Sanctus Doctor Thibaritanos fideles alloquens, *fratres dilectissimi, futuræ persecutionis metu, aut antichristi imminentis adventu sic terreatur, ut non Evangelicis exhortationibus, & præceptis ac monitis cœlestibus ad omnia inveniatur armatus*. [Epist. 58. pag. 257.] Armat igitur Dei servos, ut habet alibi, & cœlesti voce corroborat: [Fidem nostram armat, & Dei servos corroborat.] *Fidem nostram semper armans, & Dei servos cœlesti voce corroborans . . . . Scriptura divina*. [Tract. de Lapsis. pag. 89.] Est veluti fundamentum Ecclesiasticæ Disciplinæ. [Est fundamentū Disciplinæ Ecclesiæ.] Sciant, ajebat Sanctus Episcopus epistola 14. ad suum Clerum, quid Ecclesiæ Disciplina in sanctis Scripturis fundata, ab ipsis exigat. Loquitur hoc loco de illis, qui confessi erant Jesum Christum ante Præsides, & Magistratus, & deinceps a carcere liberati.

V. [Epist. 14. pag. 191.] Quoad novum Testamentum in particulari, est tuba quæ ad prælium nos excitat, [Evangeliū est divina quædam tuba.] sicuti docent Auctores cujusdam Epistolæ ad S. Cyprianum, quæ est 31. in ea Editione qua utimur: *Ad hoc enim prælium, quasi quadam tuba Evangelii sui, nos excitat Dominus*. [Epist. 31. pag. 213.] Verba Evangelii sunt *quasi faces quædam ad in-* [Ejus verba sunt quasi] *stam-*

(a) Cap. 1. vers. 10.
(b) Vers. 4.

(c) Cap. 18. vers. 18.
(d) Cap. 2. vers. 24. cap. 1. vers. 10.

III. SÆCULUM.

faces accensæ. Ibid. Absoluta necessitas vivendi juxta Evãgelium. Epist. 6. pag. 177. Crimen est aliquid de Evangelica veritate furari. Epist. 63. pag. 278. Evangeliũ ubique locũ habet. Tract. de lapsis. pag. 93. Auctoritas Evangelii. Epist. 27. pag. 207. Epist. 36. pag. 219. Tract. de Unitate Ecclesiæ. pag. 84. Excellentia novi Testamẽti, major quã veteris. De Orat. Domin. pag. 99.

flammandam fidem, ut legimus in eadem Epistola. Præcepta ibidem contenta, absolutæ necessitatis sunt ad salutem: *Dum quis de Evangelica veritate furatur Domini nostri verba & facta, corrumpit atque adulterat præcepta divina .... Non potest Evangelium in parte consistere, & in parte nutare.* Utraque enim pars vel vera esse debet, vel falsa. *Non Martyres Evangelium... sed per Evangelium Martyres.* Quod & alibi repetit S. Cyprianus. Si aliud quidem Evangelium, aliud autem Martyres ponant decretum, collidentes contra Evangelium Martyres utrobique periclitabuntur, ut inquit Clerus Romanus epistola 36. ad Divum Cyprianum; *Nam & Evangelii fracta jam & jacens videbitur esse majestas, si potuit alterius decreti novitate superari.* Quod si tantum sit alicujus in Ecclesia meritum, ut ad Confessoris meritum jam pervenerit, non ideo tamen ab Evangelio recedere debet, sed e contra debet illi magis adhærere; quippe per Evangelium hanc gloriam consecutus est. *Confessor est*, inquit egregie S. Cyprianus Tractatu de Unitate Ecclesiæ, *hoc magis stare debet cum Evangelio, per Evangelium gloriam consecutus a Domino.* „ Evangelica præcepta nihil aliud sunt, „ quam magisteria divina, fundamenta ædificandæ spei, „ firmamenta corroborandæ fidei, nutrimenta fovendi „ cordis, gubernacula dirigendi itineris, præsidia obtinendæ salutis. Multa & per Prophetas servos suos, „ subjungit Sanctus Episcopus, dici Deus voluit & „ audiri: *sed quanto majora sunt, quæ Filius loquitur, „ quæ Dei sermo, qui in Prophetis fuit, propria voce testatur?* Non jam mandans, ut paretur venienti via, „ sed ipse veniens & viam nobis aperiens & ostendens; ut qui in tenebris mortis errantes improvidi „ & cæci prius fuimus, luce gratiæ illuminati iter vitæ duce & rectore Domino teneremus „. Hoc modo Sanctus Cyprianus novum Testamentum supra vetus exaltat.

Libri Deuterocanonici, quos citat S. Cyprianus. De Orat. Domin. pag. 107. Epist. 59. pag. 260. & alibi. Lib. 3. Testimon. pag. 50. & alibi. Epist. 59. pag. 268. Lib. 3. Testimon. pag. 26. & de Oratione Domin. pag. 100. Epist. 58. pag. 257. De Eleem. pag. 140. Epist. 43. pag. 228.

VI. Inter innumera Scripturarum testimonia quæ in Operibus S. Cypriani occurrunt, quædam deprompta sunt ex libro Tobiæ & ex duobus libris Machabæorum, plurima ex Sapientia & Ecclesiastico, duo ex Propheta Baruch, sed sub nomine Jeremiæ, quoniam olim Baruch & Jeremias uno eodemque libro continebantur. Loquitur pariter de Historia trium puerorum, qui in camminum ignis missi sunt, de Belo, de Daniele in lacu leonum, & de Susanna: de quorum librorum authentia & Canonicitate ne minimum quidem dubium ostendit. „ Imitemur, inquit ille de tribus pueris verba faciens, Imitemur tres pueros, Ananiam, „ Azariam, & Misahelem, qui nec ætate territi, nec „ captivitate fracti, Judæa devicta & Hierosolymis captis, in ipso regno suo regem fidei virtute vicerunt „. Deinde narrat partem historiæ, uti extat in Propheta Daniele. Quoad Belum, paulo inferius eadem in Epistola, „ Sic & Daniel, prosequitur „ S. Cyprianus, cum compelleretur adorare idolum „ Bel, quem tunc populus & Rex colebat, in asserendum Dei sui honorem plena fide & libertate prorupit dicens: nihil colo ego, nisi Dominum Deum „ meum, qui condidit cœlum & terram „. Quoad Danielem in lacu leonum inclusum, habet: „ Sic Danieli in leonum lacu jussu Regis incluso prandium „ divinitus procuratur „. Tandem quoad Susannam inquit: „ Ne ætas vos eorum, nec auctoritas fallat, „ qui ad duorum Presbyterorum veterem nequitiam „ respondentes, sicut illi Susannam pudicam corrumpere & violare conati sunt, sic & hi adulterinis doctrinis Ecclesiæ pudicitiam corrumpere, & veritatem „ evangelicam violare conantur „. Modus quo loquitur S. Cyprianus de quatuor hisce historiis satis superque evincit, eundem ne minimum quidem scrupulum habuisse de illarum authentia.

Lib. 1. Testim. c. 1. Pag. 2. & Epist. 11. pag. 186. Epist. 75. pag. 311. Ibid. pag. 331. Concil. Carth. pag. 166. De Unitate Ecclesiæ. pag. 79. & Epist. 73. pag. 310. Epist. 63. pag. 280.

VII. Idipsum sentit de Canonicitate illorum librorum novi Testamenti, qui inter Deutero-canonicos recensentur: citat enim, exempli caussa, duo testimonia Epistolæ ad Hebræos: præcise adeo loquitur de duabus Epistolis Divi Petri, ut aperte ostendat se habere illas uti genuinum Divi Petri Opus; citat etiam in quadam sua epistola aliqua verba illius secundæ epistolæ. Idipsum peractum est in Concilio Carthaginensi quoad secundam Epistolam Divi Joannis; & Sanctus Cyprianus in prima ejusdem Evangelistæ Epistola hæc verba legit, quæ hodiedum etiam ibidem leguntur: *Tres sunt qui testimonium dant in Cælo &c.* Innumera profert testimonia ex Apocalypsi, quam appellat Scripturam Divinam: *Aquas namque*, inquit ille, *populos significare in Apocalypsi, Scriptura Divina declarat dicens: Aquæ quas vidisti, super quas sedet meretrix illa &c.* quæ ad verbum excerpta sunt ex capite decimo septimo Apocalypsis. At observandum illud est, Divum Cyprianum in capite vigesimo secundo ejusdem Apocalypsis legisse Jesum Dominum adora, pro illis verbis *Deum adora*, quas hodie legimus: *In Apocalypsi*, inquit Sanctus Episcopus, *Angelus Joanni volenti adorare se resistit & dicit .... Jesum Dominum adora.* Cæterum, quatuor solummodo admittit Evangelia, quæ, prout ipse opinatur, sunt veluti quatuor flumina, quæ rigabant terrestrem Paradisum, Ecclesiæ typum: *Has arbores rigat quatuor fluminibus; idest Evangeliis quatuor.* Mente excidebat observare, Divum Cyprianum depromere unum testimonium ex libro tertio Esdræ, quem nos hodie ad libros apocryphos amandamus.

III. SÆCULUM. Tract. de Bono Patientiæ. pag. 151. Epist. 73. pag. 309. Epist. 74. pag. 317.

Necessitas & auctoritas Traditionis. Epist. 74. pag. 318. Epist. 64. pag. 279. & 280.

VIII. En notabilia quædam loca Sancti hujus Carthaginiensis Episcopi pro Traditione tuenda. Docet primo loco, quod *Si in aliquo nutaverit & vacillaverit veritas, ad originem dominicam, & evangelicam traditionem revertamur.* Quod sane intelligi debet & de illis traditionibus, quas Apostoli scriptas reliquerunt, & de illis, quæ orales & non scriptæ ad nos usque pervenerunt. Solius enim oralis traditionis auctoritate fultus propugnare ac tueri potuit S. Cyprianus, licitum esse baptizare infantes, non expectato die ab ortu octavo, sicuti expectabatur ad circumcisionem a Judæis. Huic traditioni non scriptæ innituntur interrogationes factæ Catechumenis ante Baptismum, exorcismi qui hujus Sacramenti collationem præcedebant, signa Crucis super iis qui initiabantur, & abrenuntiationes Dæmoni ejusque pompis. Alibi afferemus distincte omnia Divi Cypriani loca, in quibus de his articulis fit sermo.

Epist. 74. pag. 317.

IX. Unus superest Divi Cypriani locus, in quo habet: *Si ad Divinæ Traditionis caput & originem revertamur, cessat error humanus.* Verum sola hæc verba satis superque ostendunt, orthodoxam hujus Doctoris fidem quoad hunc articulum, quoniam ex duobus laudatis locis eruitur necessitas & auctoritas Traditionis, tum ad obscuras veritates illustrandas, tum ad errores refellendos. Nemo autem hic regerat, nos haud opposite tueri auctoritatem Traditionis testimonio Divi Cypriani, qui acquiescere noluit Traditioni quam eidem opponebat Sanctus Stephanus Papa contra suam sententiam de rebaptizandis ab Hæreticis baptizatis: nam, etsi immerito noluerit acquiescere auctoritati Traditionis, quam in confirmationem veritatis opponebat S. Stephanus Papa; tamen non adeo perspicua erat illa Traditio, ut omnem omnino tolleret difficultatem, & convinceret eruditum admodum Episcopum S. Cyprianum. Aliquid aliud requirebatur præter hanc Traditionem, contra quam stabant tum quædam Scripturarum oracula, quæ favere videbantur sententiæ de rebaptizatione, tum vetusta praxis plurimarum Ecclesiarum, tum denique consensus plurimorum Episcoporum, qui sententiæ Divi Cypriani subscripserant: quæ quidem omnia haberi poterant veluti quædam Traditio opposita Traditioni S. Stephani. Accedit tandem, Divi Cypriani sententiam iis rationibus munitam fuisse, quæ etsi falsæ essent, validissimæ nihilominus videbantur. Cæterum dici potest, Divum Cyprianum nunquam voluisse adversari Traditioni, sed solummodo tollere praxim seu abusum, qui etsi antiquus, tamen rejiciendus erat. Vide quomodo seipsum hac super re explicet in suis Epistolis ad S. Stephanum datis, & in aliis, quas in suæ sententiæ defensionem exaravit.

CAPUT TERTIUM.

DE ECCLESIA.

I. ETsi Divus Cyprianus sententiam suam de rebaptizatione firmiter adeo teneret, ut neque monitis, neque minis S. Stephani Papæ concedere voluerit; certum nihilominus est, eum semper obtemperasse Ecclesiæ, & nunquam recessisse ab ea obedientia, quam debebat illius doctrinæ, & decisionibus. Manifeste hoc deprehenditur ex scriptis Sancti hujus Doctoris, centies enim in illis seipsum purgat hac de re: sed pro omnibus sufficiat legere ejus Tractatum de Unitate Ecclesiæ. Ex illo itaque Tractatu exscribemus modo præcipua loca; quibus etiam alia quædam loca addemus ex cæteris S. Cypriani Operibus deprompta, ut apertum omnibus sit, quam constanter Sanctus iste Episcopus docuerit fidelitatem, obedientiam, & obsequium erga Ecclesiam.

Unitas Ecclesiæ. Pag. 78.

II. Probat itaque S. Cyprianus Unitatem Sanctæ hujus fidelium Matris iis Canticorum verbis, quibus Spiritus Sanctus designat Ecclesiam & dicit: *Una est columba mea, perfecta mea &c.* „ Hanc Ecclesiæ unitatem, illico subjungit, qui non tenet, tenere se fidem credit? Qui Ecclesiæ renititur, & resistit, qui „ Cathedram Petri, super quem fundata est Ecclesia, „ deserit, in Ecclesia se esse confidit .... Beatus

„ Apo-

III. Saeculum.

„ Apostolus Paulus dicit : (*a*) Unum corpus, & „ unus spiritus, una spes vocationis vestræ, unus Do- „ minus, una fides, unum Baptisma, unus Deus. „ *Quam unitatem firmiter tenere & vindicare debemus, maxime Episcopi, qui in Ecclesia præsidemus . . . Ecclesia* . . . prosequitur Sanctus Carthaginiensis Episcopus, *una est, quæ in multitudinem latius incremento fœcunditatis extenditur*. Deinde Ecclesiam in hoc similem dicit Soli, cujus multi sunt radii, sed lumen unum; arbori, cujus multi sunt rami, sed robur unum tenaci radice fundatum; fonti, de quo rivi plurimi defluunt, unitas tamen servatur in origine. Avelle radium Solis a corpore; (verba ejus sunt) divisionem lucis unitas non capit: ab arbore frange ramum; fractus germinare non poterit: a fonte præcide rivum; præcisus arescit.

Sequitur idem argumentū. *Ibid.*

III. „ Sic & Ecclesia, prosequitur S. Cyprianus, „ Domini luce perfusa per orbem totum radios suos „ porrigit. *Unum tamen lumen est* (*quod ubique dif-* „ *funditur*), *nec unitas corporis separatur*. Ramos suos „ in universam terram copia ubertatis extendit, pro- „ fluentes largiter rivos latius expandit. *Unum tamen* „ *caput est, & origo una, & una Mater fœcunditatis* „ *successibus copiosa*, Sponsa Christi. *Unam domum no-* „ *vit, unius cubiculi sanctitatem* . . . , *custodit* . . . „ Una est, sicuti Pater & Filius unum sunt, sicuti tres „ divinæ Personæ unum sunt . . . . Hoc unitatis Sa- „ cramentum, hoc vinculum concordiæ inseparabiliter „ cohærentis ostenditur, quando in Evangelio tunica „ Domini Jesu Christi non dividitur omnino nec scin- „ ditur, sed sortientibus de veste Christi quis Christum „ indueret, integra vestis accipitur, & incorrupta at- „ que indivisa tunica possidetur, . . . Unitatem illa „ (tunica) portabat de superiore parte venientem, „ idest de cœlo & a Patre venientem, quæ ab acci- „ piente ac possidente scindi omnino non poterat. „ . . . . *Sacramento vestis & signo declaravit* (*Christus*) *Ecclesiæ Unitatem*.

Ibid. p. 79.

Sequitur idem argumentū. *Ibid.*

IV. Et erit unus grex, & unus pastor, inquit Christus in Evangelio suo (*b*): igitur uno in loco esse non possunt multi pastores, aut plures greges. Apostolus item Paulus hanc eandem nobis insinuans Unitatem obsecrat & hortatur dicens (*c*): Obsecro vos fratres, ut id ipsum dicatis omnes, & non sint in vobis schismata: sitis autem compositi in eodem sensu, & in eadem sententia. Hanc eandem Unitatem Ecclesiæ, ait insuper S. Cyprianus, designatam fuisse per domum Rahab, in quam omnem familiam suam ipsa collegit; per agnum Paschalem, qui in domo una edi debebat; per columbas, quæ communi conversatione vitam suam degunt, oris osculo concordiam pacis agnoscunt, legem circa omnia unanimitatis implent. *Hæc est*, subdit Sanctus Doctor, *in Ecclesia noscenda simplicitas, hæc charitas obtinenda*; „ Ut columbas dile- „ ctio fraternitatis imitetur, ut mansuetudo & lenitas „ agnis & ovibus æquetur. Quid facit in pectore „ Christiano luporum feritas, & canum rabies, & ve- „ nenum lethale serpentum, & cruenta sævitia bestia- „ rum? . . . . Cohærere & conjungi non potest ama- „ ritudo cum dulcedine . . . . pugna cum pace . . . „ cum tranquillitate tempestas . . . . Deus unus est, „ & Christus unus, & una Ecclesia, & fides una, & „ plebs una in solidam corporis unitatem concordiæ „ glutino copulata. *Scindi Unitas non potest*, nec cor- „ pus unum discidio compaginis separari, divulsis la- „ cerationе visceribus in frusta discerpi. *Quidquid a* „ *matrice discesserit, seorsim vivere & spirare non po-* „ *terit, substantiam salutis amittit* . . . . Pacem quæ- „ rere debet & sequi filius pacis . . . . *Hanc nobis* „ *hæreditatem Christus dedit* . . . Si cohæredes Christi „ sumus, in Christi pace maneamus . . . . Pacificos „ esse oportet Dei filios, corde mites, sermone sim- „ plices, affectione concordes, fideliter sibi unanimi- „ tatis nexibus cohærentes. Hæc unanimitas sub Apo- „ stolis olim fuit. Sic novus credentium populus Do- „ mini mandata custodiens charitatem suam tenuit... „ Et ideo quia efficacibus precibus orabant; ideo „ impetrare cum fiducia poterant quodcumque de Do- „ mini misericordia postulabant „.

pag. 80.

pag. 88.

Sequitur idem argumentū. *Epist.* 55. *Pag.* 249.

V. Alibi etiam ait Sanctus iste Episcopus, Ecclesiam a Christo constitutam, per totum mundum divisam esse in multa membra; *Cum sit a Christo una Ecclesia, per totum mundum in multa membra divisa*: Ecclesiam Catholicam esse unam & solam a Deo constitutam; *Qua una & sola est a Domino constituta*: Ecclesiam esse plebem adunatam Episcopo suo, & gregem pastori suo adhærentem; *Ecclesia plebs Sacerdoti adunata, & Pastori suo grex adhærens*: Ecclesiam, in arca Noe prælignatam, in unitate esse fundatam: esse unam domum, quæ inseparabilem atque individuam unitatem habet: *Inseparabilis atque individuæ domus unitatem tenere*: esse domum unitatis, & veritatis. Hoc modo mentem suam aperit Divus Cyprianus circa Ecclesiæ Unitatem; quæ consistit, ut modo vidimus, in concordia sensus & doctrinæ, & in unione fidelium tum inter se, tum cum suis Pastoribus: hinc sequitur, Hæreticos, qui diversimode a cæteris fidelibus sentiunt, & Schismaticos, qui legitimis suis Pastoribus obtemperare renuunt, non esse membra hujus Ecclesiæ quæ una est: idipsum in aliquo sensu dici potest de malis Catholicis, qui scindentes unionem ac concordiam quæ inter fideles vigere debet, ad Ecclesiæ animam non pertinent, licet semper censeantur hujus corporis membra.

Epist. 65. *Epist.* 66. *Epist.* 74. pag. 318. & alibi.

III. Saeculum. *Epist.* 69. *Pag.* 293.

Sanctitas Ecclesiæ. *Epist.* 10. *Pag.* 184.

VI. Sancta hæc fidelium mater illustratur glorioso sanguine Martyrum: *Quam* . . . . *gloriosus Martyrum sanguis illustrat*. In operibus fidelium candida veste induitur, in sanguine Martyrum veste purpurea: *In operibus fratrum candida* . . . *in Martyrum cruore purpurea*. Est una, columba, perfecta, & Sponsa Christi quæ adulterari non potest, cum incorrupta sit & pudica: *Adulterari non potest Sponsa Christi, incorrupta est & pudica*. Unam domum novit, unius cubiculi sanctitatem casto pudore custodit. *Hæc nos Deo servat, hæc filios regno quos generavit assignat*. Aderant utique Divi Cypriani ætate, ut ipsemet fatetur, in Ecclesia aderant peccatores, & triticum paleis immixtum erat; verum *Permanet*, inquit idem Doctor, *apud plurimos sincera mens, & religio integra, & non nisi Domino & Deo suo anima devota: nec christianam fidem aliena perfidia deprimit ad ruinam, sed magis excitat & exaltat ad gloriam*.

Tract. de Unitate Eccles. pag. 78.

Epist. 67. *Pag.* 190.

VII. Molestum nimis esset omnia hic afferre S. Cypriani loca, in quibus *Catholicam* appellat Ecclesiam. Millies hac utitur formula, ut percurrenti ejus Tractatus omnes ac litteras compertum fiet. Nos vero ex solo Tractatu de unitate Ecclesiæ aliqua exscribemus, cum ibidem tanta præcisione loquatur, ut major desiderari nequeat. Ecclesia, inquit ille, in multitudinem latius incremento fœcunditatis extenditur .... *Per orbem totum radios suos porrigit*. Lumen est, *quod ubique diffunditur*. Est arbor, quæ *Ramos suos in universam terram extendit*. Est fons, qui profluentes largiter rivos latius expandit. Est una Mater fœcunditatis successibus copiosa; ut supra jam diximus. Quid ultra requiritur, ut credamus, Ecclesiam ætate S. Cypriani fuisse Catholicam, universalem, per totum orbem diffusam? Sed talis erat longe ante hæc tempora, quemadmodum ex testimonio vetustiorum Patrum supra demonstravimus.

Ecclesia est Catholica. Tract. de Unit. Ecclesiæ. Pag. 78.

VIII. Apostolica insuper est Ecclesia, hoc est in Apostolis fundata: & hæc est alia veræ Ecclesiæ nota. „ Loquitur Dominus, inquit S. Cyprianus, ad „ Petrum: Ego tibi dico, inquit, quia tu es Petrus, „ & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam, &c. „ Super illum unum, prosequitur Sanctus Doctor, ædi- „ ficat Ecclesiam suam: & quamvis Apostolis omni- „ bus post Resurrectionem suam parem potestatem tri- „ buat & dicat: Sicut misit me Pater, & ego mitto „ vos &c. tamen ut Unitatem manifestaret, unitatis „ ejusdem originem ab uno incipientem sua auctorita- „ te disposuit. Hoc erant utique & cæteri Apostoli „ quod fuit Petrus, pari consortio præditi & hono- „ ris & potestatis, sed exordium ab unitate profici- „ scitur, & Primatus Petro datur, ut Una Christi „ Ecclesia, & Cathedra una monstretur. „ Docet hoc loco S. Cyprianus Ecclesiam in Divo Petro fundatam fuisse: subjungit deinde, cæteros Apostolos pari potestate & honore præditos fuisse: Si igitur fundata fuit Ecclesia in Divo Petro, fundata fuit per consequens etiam in reliquis Apostolis. *Et Pastores sunt omnes*, subdit inferius Sanctus Carthaginensis Episcopus juxta editionem Pamelii, *sed grex unus ostenditur, qui ab Apostolis omnibus unanimi consensione pascatur*. Quæ verba in Editione Oxoniensi desiderantur.

Ecclesia est Apostolica. *Ibid.* p. 76. & 77.

IX. Ex quo recitato textu inferri nihilominus debet Primatus Divi Petri; cujus Cathedram uti principalem Ecclesiam laudat S. Cyprianus, atque unitatis Sacerdotalis fontem & originem, ad quam perfidia accedere non potest. *Ad Petri cathedram, atque ad Ecclesiam principalem, unde unitas Sacerdotalis exorta est* .... *Romanos*, infra subjungit, *ad quos perfidia habere non possit accessum*. Nullum sane desiderari potest Ecclesiæ Romanæ favorabilius testimonium modo recitato testimonio Divi Cypriani, qui nullam suspicionem

Primatus Ecclesiæ Romanæ. *Epist.* 59. *Pag.* 265.

(*a*) Ad Ephes. cap. 4. vers. 4. 5. 6.
(*b*) Joann. cap. 10. vers. 16.

(*c*) I. ad Corinth. cap. 1. vers. 10.

III. SAECULUM.

cionem in hac materia pati potest. Tradit alibi, sicuti jam vidimus, Jesum Christum ædificasse Ecclesiam suam super solum Petrum: *Super unum ædificat Ecclesiam suam. Ut Unitatem manifestaret, unitatis ejusdem originem ab uno incipientem sua auctoritate disposuit*. Ex quo manifeste eruitur, Divum Petrum apud S. Cyprianum fuisse veluti centrum Ecclesiasticæ Unitatis. Ast Romanus Episcopus est Divi Petri Successor, ut aperte asserit idem S. Cyprianus cum ait, Sanctum Cornelium suffectum fuisse in locum Sancti Fabiani, cujus sedes, quæ erat eadem Divi Petri sedes, & quam vocat Cathedram Sacerdotalem, vacabat: *Factus est autem Cornelius Episcopus .... cum Fabiani locus, idest cum locus Petri, & gradus cathedræ sacerdotalis vacaret*. Hinc Romani Episcopi, ut refert Firmilianus in quadam ad Divum Cyprianum epistola, tunc temporis gloriabantur de loco Episcopatus sui, & quod successionem Petri tenerent: *Qui sic de Episcopatus sui loco gloriatur*, ajebat iste Episcopus de Sancto Stephano verba faciens, *& se successionem Petri tenere contendit, super quem fundamenta Ecclesiæ collocata sunt*.

(Tract. de Unit. Ecclesiæ. pag. 77. — Epist. 55. pag. 243. — Epist. 75. pag. 324.)

X. Hæc sunt quæ semper crediderunt fideles in Ecclesia Catholica de Romana Sede, & de Episcopo peculiaris hujus Ecclesiæ. Crediderunt semper, Divi Petri Primatum esse de jure Divino, hoc est, fundari in auctoritate Jesu Christi perspicue admodum in Evangelio expressa. Habuerunt semper Ecclesiam Romanam, uti veram Petri Sedem, adeoque uti *Ecclesiam principalem; unde unitas sacerdotalis exorta est*. Nunquam in controversiam vocarunt, num Romanus Pontifex esset Divi Petri successor: Romani ipsi Pontifices primis Ecclesiæ sæculis de hoc titulo gloriabantur, & nemo hanc prærogativam illis denegabat. Sanctus Cyprianus, Sanctus Firmilianus, & alii multi Episcopi eorum asseclæ, qui durius quandoque agebant cum Pontifice Stephano; eo quod crederent, eum propria auctoritate abuti; nunquam illius in Ecclesia Primatum inficiati sunt; immo formaliter asseruerunt, ut ex S. Cypriano ac Firmiliano paulo ante demonstravimus. Qua igitur ex caussa recentiores Hæretici nobiscum hac in re non conveniunt?

X. Nec caussam suam tueri valent exemplo S. Cypriani, qui inconsiderate loquitur de Sancto Pontifice Stephano, eo quod aliter ab eo sentiret quoad Baptismum Hæreticorum; eumque (sine fundamento quidem) vel superba, vel ad rem non pertinentia, vel sibi ipsi contraria imperite atque improvide scribere dicit, nec non de præsumptione, contumacia, ineptiis eumdem arguit, & tandem quod Hæreticorum errores contra Christianos & Ecclesiam Dei asserere conaretur. Omnes enim hæ loquendi formulæ, etsi injustæ, Romano Pontifici Primatum non adimunt: & quando etiam dicamus, Divum Cyprianum hoc loco debitum Sanctæ Sedi obsequium non servasse, non esset caussa sufficiens, ut hæretici ab ejusdem Sedis auctoritate subducere se possent. Divus Cyprianus, qui ob multa verosimilia momenta idipsum peragere potuisset, nunquam in hoc extremum prolapsus est. Quænam est igitur caussa hujus hæreticorum separationis?

(Epist. 67. pag. 289.)

XI. Dicent fortasse, S. Cyprianum agnovisse Stephanum Papam recedentem a fide Ecclesiæ in quæstione de Baptismo Hæreticorum; & Basilidem Hispanum Episcopum, teste eodem Cypriano, fefellisse eumdem Papam Stephanum, ut hujus Pontificis auctoritate reponeretur injuste in Episcopatum, de quo fuerat jure depositus. Verum nihil inferri ad rem potest ex duabus istis objectionibus: prima enim concluditur ex errore S. Cypriani: secunda vero ostendit, posse homines obrepere Romanis Pontificibus: sed hoc eorum Primatui nihil officit.

(Epist. 67. pag. 289.)

XII. Afferent fortasse aliqua Divi Cypriani testimonia quibus se tueri valeant: docet quippe Sanctus Episcopus, quod Apostoli Pastores omnes sunt, & quod grex unus ostenditur, qui ab Apostolis omnibus unanimi consensione pascatur; unde concludit: *Hoc erant utique & cæteri Apostoli, quod fuit Petrus, pari consortio prediti & honoris & potestatis*: & paucis interjectis: *Episcopatus unus est, cujus a singulis in solidum pars tenetur*. Sed hoc recentioribus Sectariis non favet: licet enim omnia hæc vera sint in ore Divi Cypriani, qui loquitur de sola potestate ordinis seu characteris, quæ eadem est in omnibus Episcopis; fatetur tamen apertissime idem Sanctus Doctor, Divi Petri Cathedram, hoc est Ecclesiam Romanam, esse principalem Ecclesiam, centrum & originem unitatis ecclesiasticæ, ad quam perfidia accedere non potest! *Romanos, ad quos perfidia habere non possit accessum*. Si eadem sentirent hæretici recentiores, si iisdem formulis mentem suam aperirent, nulla nos inter & illos controversia vigeret.

(Tract. de Unit. Ecclesiæ. p. 77. & 78. — Epist. 59. pag. 265.)

XIII. Perperam cum Divo Cypriano illud inclamarent, quod nemo scilicet debet se Episcoporum Episcopum constituere: *Neque enim quisquam nostrum Episcopum se Episcoporum constituit*: quod a Divo Cypriano dictum videtur contra Sanctum Pontificem Stephanum, qui contendebat adstringere Confratres suos, ut suam sententiam de Baptismo Hæreticorum sequerentur. Deinde eodem loco hæc scribit: *Quando habeat omnis Episcopus .... arbitrium proprium, tamque judicari ab alio non possit, quam nec ipse potest judicare*. Idipsum repetit S. Cyprianus in epistola 72. ad Stephanum Papam; ait siquidem, unumquemque Episcopum habere in suæ Ecclesiæ administratione voluntatis suæ liberum arbitrium: sed rationem actus sui Domino esse redditurum. Et in alia Epistola ait, unumquemque Episcopum facere posse in sua Diœcesi quidquid optimum sibi videtur, & neminem posse aliquid ei præcipere, cum sit ipse suorum actuum Dominus.

(Concil. Carthagin. anni 256. pag. 158. in Prologo. — Epist. 72. pag. 306. — Epist. 73. pag. 314.)

XIV. Verum ex omnibus his allatis testimoniis nullum est, quod proprie destruat Sanctæ Sedis Primatum. Quod spectat primum, desumptum ex celeberrimo Carthaginensi Concilio præcise adunato propter controversiam de Baptismo Hæreticorum; Divus Cyprianus simpliciter id unum docet, posito quod loquatur de Sancto Stephano Papa, Romanos scilicet Episcopos non posse sibi arrogare tyrannicam potestatem in alios Episcopos confratres suos; ita ut sola auctoritate sua ad suam sententiam velint eos adigere; præcipue quando agatur de materiis adeo obscuris, uti erat tunc temporis quæstio de Baptismo Hæreticorum. Quod autem hoc loco sermo sit de hac tyrannica potestate, ipse S. Cyprianus aperte tradit, post superius recitata verba, hæc subjungens: *Aut tyrannico terrore ad obsequendi necessitatem collegas suos adigit*. Quod quidem æque convenit Summo Pontifici, ac reliquis Episcopis, ad quos non pertinet velle dominari in Clerum, juxta Petri Apostoli oraculum: *Non dominantes in Cleris*.

(Concil. Carthagin. pag. 158. in Prologo.)

XV. Quoad alia duo S. Cypriani testimonia; Episcopum scilicet facere posse in sua Diœcesi quidquid sibi videtur, independenter ab aliis; hæc nullam creant difficultatem, quoniam in duabus illis epistolis agitur semper de Baptismo hæreticorum; quæ controversia cum tunc temporis adeo obscura esset, ut nonnisi per generale aliquod Concilium dirimi potuisset, teste Augustino, jam liberum erat cuilibet Episcopo quam vellet partem tenere, quin posset suos confratres ad suam sententiam adigere. *Qua in re*, scribit S. Cyprianus epistola 72. quæ est ad Stephanum Papam, *nec nos vim cuiquam facimus, aut legem damus*. „ Hæc „ tibi breviter, inquit epistola ad Jubaianum, pro „ nostra mediocritate rescripsimus, frater carissime, „ nemini præscribentes, aut præjudicantes quo minus „ unusquisque Episcoporum quod putat faciat; . . . „ Nos, quantum in nobis est, propter hæreticos cum „ collegis & Coepiscopis nostris non contendimus, „ cum quibus divinam concordiam, & dominicam pa„ cem tenemus „ . . . . *Servatur a nobis patienter & firmiter charitas animi, collegii honor, vinculum fidei, & concordia Sacerdotii*. Libenter modo interrogarem nostros adversarios, qui auctoritate Divi Cypriani tuentur suam inobedientiam Romanæ Sedi & Summo Pontifici, num eadem sentiant ac servent, quæ sentiebat ac servabat Sanctus Carthaginiensis Episcopus? Utinam quemadmodum ille, adhærerent & ipsi legitimæ auctoritati Romanæ Sedis, eamque venerarentur, uti centrum Unitatis ecclesiasticæ, uti principalem Ecclesiam, & omnium Ecclesiarum matrem, uti veram Cathedram Divi Petri, & pertinaciter non inficiarentur, Romanum Pontificem esse reipsa verum Successorem Principis Apostolorum. Itaque quoties auctoritate Divi Cypriani contra nos dimicabunt, toties eosdem ad Divum Cyprianum remittemus, ut imitentur individuam suam adhæsionem Unitati Ecclesiasticæ, & per consequens origini ac centro hujus unitatis, scilicet Ecclesiæ Romanæ. A qua Romana Ecclesia quoadusque separati vivent, jure & merito eosdem uti ab omni Ecclesia separatos habebimus, cum una sola sit Cathedra auctoritate Jesu Christi super Divum Petrum fundata: *Cathedra una super Petrum Domini voce fundata*.

(Epist. 72. pag. 306. — Epist. 73. pag. 314. — Epist. 43. pag. 229.)

XVI. Pauca dicenda supersunt de Ecclesiæ proprietatibus, hoc est de ejus Visibilitate, indefectibilitate, ac infallibilitate in rebus fidei & morum. Ecclesiæ Visibilitatem apertissime docet S. Cyprianus cum ait, Ecclesiam esse Solem, qui radios suos in Universum orbem diffundit; & Ecclesiam perfundi luce Domini: *Ecclesia Domini luce perfusa*. Hanc eandem veritatem confirmat S. Firmilianus ad S. Cyprianum scribens, Ecclesiam esse montem, qui juxta Isaiæ vaticinium manifestus apparere debebat in novissimis diebus; nec non esse domum Dei, quæ super vertices montium debebat

(Visibilitas Ecclesiæ. Tract. de Unitate Ecclesiæ. pag. 78. Epist. 75. pag. 319.)

III. SAECULUM.

bebat ædificari. Sed visibilis est lux, visibilis mons: ergo visibilis est Ecclesia. Non fuit autem semper visibilis recentiorum hæreticorum Ecclesia, ut nec ipsi audent affirmare, nisi mendaces esse velint.

Indefectibilitas & infallibilitas Ecclesiæ. Tract. de Unit. Ecclesiæ. Pag. 76. Epist. 33. pag. 216. Tract. de Unit. Ecclesiæ. Pag. 78. Epist. 59. Pag. 263. Epist. 66. pag. 286.

XVII. Verum indefectibilis est pariter & infallibilis Christi Ecclesia, quoniam portæ inferi non prævalebunt adversus eam, juxta ejusdem Christi Verba, quæ citat S. Cyprianus tum in Tractatu de Unitate Ecclesiæ tum alibi. Hinc Sanctus iste Episcopus recitato eodem Christi testimonio in quadam epistola ad Lapsos, inquit: *Absit enim* (per misericordiam & potestatem Domini nostri) *ut Ecclesia dicatur esse lapsorum numerus*. „ Si autem quidam lapsi, subjungit idem „ Sanctus Doctor, Ecclesiam se volunt esse, & si „ apud illos, atque in illis est Ecclesia, quid super„ est, quam ut ipsi rogentur a nobis, ut nos ad Ec„ clesiam dignentur admittere? „ Quoad infallibilitatem in particulari, in orthodoxo sensu semper locutus est S. Cyprianus, qui aperte ait: *Adulterari non potest Sponsa Christi*; insuper cum Salvatore docet, eos habendos esse ut ethnicos & publicanos, qui Ecclesiam audire nolunt, nec ejus decisionibus acquiescere; & pariter asserit, Christum summa potestate gubernare tum Præpositos, tum Ecclesiam: *Qui arbitrio, & nutu ac præsentia sua & Præpositos ipsos, & Ecclesiam cum Præpositis gubernat*. Et tandem sæpissime hortatur fideles, ut inviolabiliter adhæreant doctrinæ sanctæ hujus Matris, & nunquam ab ejus communione recedant.

Ecclesia gloriatur de meritis filiorum. Epist. 10. pag. 283. Plangit eorum ruinam. Ibid. pag. 284. Ejus Potestas quoad res Disciplinæ. De Orat. Domin. pag. 108.

XVIII. Hæc sunt notabiliora, quæ in Divo Cypriano perlegi quoad Ecclesiam Catholicam, si unum vel alterum excipias locum, in quibus tradit, Ecclesiam, uti piam ac benignam matrem gloriari de meritis filiorum suorum: *in quibus mater Ecclesia gloriatur*; & eorum ruinas plangere: *Quæ plangit ruinas & funera plurimorum*; & tandem eam, prout optimum ducit, immutare posse res quæ disciplinam respiciunt. Alia habet Divus Cyprianus de Ecclesia, quæ cum essentialem relationem habeant cum aliis materiis, suis propriis locis proferemus.

CAPUT QUARTUM.

De Hæreticis, et Schismaticis.

Extra Ecclesiam nemini est salus. Epist. 4. Pag. 178. Tract. de Unit. Ecclesiæ. Pag. 78. Epist. 36. Pag. 219. Epist. 55. pag. 246. Tract. de Unit. Ecclesiæ. Pag. 80.

I. IN genere, nulla salus extra Ecclesiam. Neque enim vivere foris possunt, inquit S. Cyprianus, *Cum domus Dei una sit, & nemini salus esse, nisi in Ecclesia, possit .... Ab arbore frange ramum*, inquit alio loco, *fractus germinare non poterit: a fonte præscinde rivum, præcisus arescet .... Illius* (Ecclesiæ) *fœtu nascimur, illius lacte nutrimur, spiritu ejus animamur ....* Quisquis ab Ecclesia segregatur, adulteræ jungitur, a promissis Ecclesiæ separatur: *Nec perveniet ad Christi præmia, qui relinquit Ecclesiam Christi. Alienus est, profanus est, hostis est. Habere jam non potest Deum patrem, qui Ecclesiam non habet matrem*. Denique nemo amittit pacem cum Ecclesia, quin eodem tempore amittat propriam salutem, juxta Doctrinam Cleri Romani in quadam epistola ad Divum Cyprianum: & extra Ecclesiam nemo Confessor, nemo Martyr, ut formaliter tradit idem S. Cyprianus epistola 55. quæ est ad Antonianum. *Nemo existimet*, habet pariter Sanctus Doctor, *bonos Ecclesia posse discedere, Triticum non rapit ventus, nec arborem solida radice fundatam procella subvertit. Inanes paleæ tempestate jactantur, invalidæ arbores turbinis incursione evertuntur*. Isti ex nobis exierunt, ut inquit S. Joannes Apostolus, quem citat hoc loco Divus Cyprianus, sed non fuerunt ex nobis: si enim fuissent ex nobis, mansissent utique nobiscum. (*a*)

Idea Hæresis. Epist. 55. pag. 245. Epist. 75. pag. 309. Pag. 165. Epist. 72. pag. 303.

II. Harum Sententiarum lumine perculsi aperire deberent oculos omnes ii qui extra Ecclesiam sunt, Hæretici, scilicet, & Schismatici, quorum cæcitatem, & obstinationem satis lugere non possumus: attendant vero quid de ipsis sentiat Sanctus Cyprianus. *Hæresis* inquit Sanctus Doctor *est adultera & alienigena, & divinæ unitatis inimica. Instituit hæresim diabolus*, juxta phrasim Concilii Carthaginiensis, quod supra citavimus: hæresis est *Synagoga Satanæ*. Grande crimen est, & turpissima macula extollere se contra Jesum Christum, sicuti reipsa se extollit hæresis, & dissipare Ecclesiam suam, quam acquisivit sanguine suo, & arma arripere ad tollendam quietem ac unionem populi Dei: & quod majus est, funestos exitus habet hæresis: hæresiarchæ enim, qui ad Ecclesiam redeunt, ab errore non revocant quos aberrare fecerunt nec eos Ecclesiæ restituunt, qui extra eam mortui sunt non acc̄epta pace & communione. Hinc in die judicii Hæresiarchæ isti rationem reddent pro animabus omnibus, quas mortali erroris veneno perdiderunt. Hæresis est pejus crimen, quam negare Christum Jesum furente persecutione: *Pejus hoc crimen est, quam quod admisisse lapsi videntur*. Lapsi Ecclesiam rogant, ut in suam communionem redire possint: hæretici Ecclesiæ repugnant .... Qui lapsus est, sibi tantum nocuit; qui hæresim, vel Schisma facere conatus est, multos secum trahendo decepit. *Hic animæ unius est damnum, illic periculum plurimorum*. Certe peccasse se hic & intelligit, & lamentatur & plangit; *ille* (hæreticus) *.... a matre filios segregat, oves a pastore sollicitat, Dei sacramenta disturbat*. Et cum lapsus semel peccaverit; *Ille quotidie peccat*. Quid ultra requiritur, ut ab hæresi recedant ii etiam, qui in illam proniores sunt? Sed prosequamur doctrinam S. Cypriani de Hæreticis.

Tract. de Unit. Ecclesiæ. Pag. 84.

Origo hæresis. Tract. de Patient. pag. 150. Epist. 59. Pag. 261. Epist. 3. Pag. 173. Epist. 65. pag. 285.

III. *Impatientia hæreticos facit*, & ad Judæorum similitudinem contra Christi pacem & charitatem rebelles ad hostilia & furiosa odia compellit. *Neque enim aliunde hæreses obortæ sunt .... quam inde quod Sacerdoti Dei non obtemperetur, nec unus in Ecclesia ad tempus Sacerdos, & ad tempus judex vice Christi cogitatur. Hæc sunt enim*, habet alibi idem Sanctus Doctor, *initia hæreticorum, ... ut sibi placeant, & Præpositum .... contemnant*. Idipsum habet in alia epistola, quæ est ad Florentium Papianum. Hæ sunt igitur, juxta Divum Cyprianum, tres communiores hæresum caussæ; impatientia scilicet, amor sui, & Præpositorum contemptus. Quælibet hæresis ab uno vel altero horum defectuum originem trahit; præcipue vero a contemptu Præpositorum, qui directe opponitur venerationi ac obsequio Ecclesiasticis Superioribus debito.

Quid sint Hæretici. Epist. 55. pag. 245. Sunt Pseudo-Prophetæ. Epist. 75. Pag. 312. Sunt mendaces & Filii Diaboli. Epist. 59. pag. 264. Epist. 65. pag. 284. Epist. 73. pag. 308. Sunt vero novarum molitores. Tract. de Unit. Ecclesiæ. Pag. 83. Sunt Fidei Pestis ac lues, serpentis ore fallentes, & corrumpendæ veritatis artifices. Ibid.

IV. Cæterum Hæretici sunt Pseudo-Prophetæ, qui Christi gregem devastant ac dilacerant. Firmillianus nullam agnoscit differentiam inter pseudo-Prophetam & hæreticum: nam ut ille (pseudo-Propheta) in nomine Dei, aut Christi, ita iste, (Hæreticus) in Sacramento Baptismi fallit. *Nulla quippe differentia est inter pseudo-Prophetam & Hæreticum .... mendacio uterque nititur ad decipiendas hominum voluntates*. Hæretici sunt mendaces, filii Diaboli, & impostores. Cum Spiritus Sanctus ab eorum corde recesserit, non nisi fallacia & calumnia penes ipsos residet; *Nihil est apud illos, nisi perfidia & blasphemia, & contentio sanctitatis & veritatis inimica*. Eorum perversa mens non habet pacem, eorum perfidia discordans non tenet unitatem. Sunt fidei pestis ac lues; *Quos designat in Psalmis Spiritus Sanctus sedentes in pestilentiæ cathedra, pestes & lues fidei. Serpentis ore fallentes, & corrumpendæ veritatis artifices. Venena lethalia linguis pestiferis evomentes, quorum sermo ut cancer serpit, quorum tractatus pectoribus & cordibus singulorum mortale virus infundit*.

Hæreticorum illusiones. Ibid.

V. „ Contra ejusmodi clamat Dominus: ab his re„ frenat & revocat errantem plebem suam dicens: (*b*) „ Nolite audire sermones Pseudo-Prophetarum; quo„ niam visiones cordis eorum frustrantur eos. Loquun„ tur, sed non ab ore Domini. Dicunt eis qui abji„ ciunt verbum Dei: Pax erit vobis, & omnibus am„ bulantibus in voluntatibus suis .... Non locutus „ sum ad eos, & ipsi prophetaverunt ..... Hos „ eosdem Dominus designat denuo, & denotat di„ cens: (*c*) Me dereliquerunt fontem aquæ vivæ, & „ effoderunt sibi lacus detritos, qui non possunt aquam „ portare .... Nec se quidam vana interpretatione „ decipiant quod dixerit Dominus: (*d*) Ubicumque „ fuerint duo aut tres collecti in nomine meo, ego „ cum eis sum. Corruptores Evangelii atque interpre„ tes falsi extrema ponunt & superiora prætereunt, „ partis memores, & partem subdole comprimentes. „ Ut ipsi ab Ecclesia scissi sunt, ita capituli unius „ sententiam scindunt. Dominus enim cum Discipulis „ suis unanimitatem suaderet & pacem, Dico, in„ quit, vobis, quoniam si duobus ex vobis convene„ rit in terra, de omni re quamcumque petieritis, con„ tinget vobis a Patre meo qui in cœlis est: Ubi„ cumque enim fuerint duo vel tres collecti in nomi„ ne meo &c. ostendens, prosequitur Sanctus Doctor, „ non multitudini, sed unanimitati deprecantium plu„ rimum tribui .... Quomodo autem potest ei cum „ aliquo convenire, cui cum corpore ipsius Ecclesiæ „ & cum universa fraternitate non convenit? Quo„ modo possunt duo vel tres in nomine Christi colli„ gi,

(*a*) Epist. 1. cap. 2. vers. 19.
(*b*) Jerem. cap. 23. vers. 17.
(*c*) Ibid. cap. 2. vers. 13.
(*d*) Math. cap. 18. vers. 20.

„ gi, *Quos constat a Christo & ab ejus Evangelio separari?*

Ibid. VI. „ *Non enim nos ab illis*, subjungit Sanctus Carthaginiensis Episcopus, *sed illi a nobis recesserunt*. „ Et cum hæreses & schismata postmodum nata sint, „ dum conventicula sibi diversa constituunt, veritatis „ caput atque originem reliquerunt. *Dominus autem* „ *de Ecclesia sua loquitur, & ad hos qui sunt in Ecclesia loquitur*, ut si ipsi concordes fuerint, si se„ cundum quod mandavit & monuit, duo aut tres li„ cet, collecti unanimiter oraverint, duo aut tres li„ cet sint, impetrare possint de Dei majestate quod „ postulant „. *Quando ergo . . . . dicit: Ubi fuerint duo aut tres &c. . . . . non homines ab Ecclesia dividit, qui instituit & fecit Ecclesiam*. Hoc pacto S. Cyprianus vetustas hæreses funditus diruebat: & nos pariter eodem pacto funditus diruere debemus hæreses recentiores, quæ iisdem Scripturæ verbis innituntur ut propriam rebellionem tueri valeant.

Quibus signis dignosci possint Hæretici. Nova sumunt nomina. Nemini succedunt, & a seipsis originem trahunt. Epist. 69. pag. 295. VII. En aliqua signa, quibus dignosci possunt hæretici. Nova sumunt nomina, quemadmodum pluribus in locis asserit Divus Cyprianus; proprioque nomine quamlibet hæreticam sectam appellant: nemini succedunt, & a seipsis originem trahunt; uti Sanctus iste Doctor exprobat Novatianis in epistola quadam ad Magnum: ibi enim hæc habet: *Ecclesia enim una est, quæ una & intus esse, & foris non potest. Si enim apud Novatianum est, apud Cornelium non fuit. Si vero apud Cornelium fuit, qui Fabiano Episcopo legitima ordinatione successit . . . . Novatianus in Ecclesia non est, nec Episcopus computari potest, qui . . . . nemini succedens, a seipso ortus est*. Quæ Divi Cypriani verba attente considerari debent. Hinc videant quam sine spe sint, & perditionem sibi maximam de indignatione Dei acquirant hæretici, qui schisma faciunt, & relicto Episcopo, alium sibi foris Pseudo-Episcopum constituunt. Videant hac de re, & serio animo perpendant, ut inquit Divus Cyprianus, quid de hujusce generis hominibus declaret Divina Scriptura in libro quarto Regnorum, cap. 17. vers. 18.

Alia signa, quibus dignosci possunt. Epist. 59. pag. 259. Epist. 71. pag. 306. Tract. de Unit. Ecclesiæ. pag. 81. Ibid. p. 76. VIII. Violenti sunt & audaces hæretici; non tamen idcirco cedendum est quia minantur. Simiarum more Ecclesiam Catholicam imitari volunt: Ast vanum prorsus & stultum esset, ut quia hæretici extra Ecclesiam vindicant sibi veritatis imaginem, relinqueremus Ecclesiæ veritatem. Sacras Scripturas corrumpunt, & vanitate ac præsumptione pleni sunt: nam cum Evangelio Christi & cum observatione ejus & lege non stantes, christianos se vocant, & ambulantes in tenebris habere se lumen existimant, blandiente adversario atque fallente, qui secundum Apostoli vocem (*a*) transfigurat se velut Angelum lucis. Verum Episcopi, qui sunt sol terræ, sollicito corde vigilantes subdolorum hostium insidias intelligere pariter & cavere debent: & fideles convenit esse prudentes, ut nullam eorum sermonibus fidem præstent, & nullum cum ipsis habeant commercium, uti S. Cyprianus pluribus locis docet.

Idea Schismatis & Schismaticorum. Epist. 48. pag. 234. Epist. 52. pag. 238. Epist. 48. pag. 238. Tract. de Unit. Ecclesiæ. pag. 81. pag. 82. IX. Quoad Schisma, hæc sunt notabiliora, quæ in Divo Cypriano deprehenduntur. Schisma igitur, uti docet idem Pater, nos separat a radice & matrice Ecclesiæ Catholicæ: separat a Jesu Christo, quoniam separat ab Ecclesia, quæ est ejus sponsa: ab Ecclesia recedere est omnium malorum maximum. *Inexpiabilis & gravis culpa discordiæ, nec passione purgatur. Macula ista*, inquit etiam, *nec sanguine abluitur. Esse Martyr non potest*, prosequitur Sanctus Doctor, *qui in Ecclesia non est . . . Exhibere se non potest martyrem, qui fraternam non tenuit charitatem*. „ Ad regnum „ cœlorum non potest pervenire discordia. Ad præ„ mia Christi pertinere non poterit qui dilectionem „ Christi perfida dissensione violavit. „ *Qui Charitatem non habet, Deum non habet*.

Sequitur idem argumentũ. Ibid. X. „ Ardeant licet flammis (Schismatici) & igni„ bus traditi, vel objecti bestiis animas suas ponant, „ *Non erit illa fidei corona, sed pœna perfidiæ. Nec . . .* „ *exitus gloriosus, sed desperationis interitus. Occidi* „ *talis potest, coronari non potest . . . .* Unitatem si„ mul & dilectionem magisterio suo docuit, (Christus) „ Prophetas omnes & Legem præceptis duobus in„ clusit. Quam vero unitatem servat, quam dilectio„ nem custodit aut cogitat qui discordiæ furore vesa„ nus Ecclesiam scindit, fidem destruit, pacem tur„ bat, charitatem dissipat, Sacramentum profanat? . . . „ *An esse sibi cum Christo videtur, qui adversus Sa-* pag. 83. „ *cerdotes Christi facit?* Arma ille contra Ecclesiam „ portat, contra Dei dispositionem repugnat. Hostis „ Altaris, adversus Sacrificium Christi rebellis, pro „ fide perfidus, pro religione sacrilegus, inobsequens „ servus, filius impius, frater inimicus, contemptis „ Episcopis, & Dei Sacerdotibus derelictis, consti„ tuere audet aliud altare, precem alteram illicitis vo„ cibus facere, dominicæ hostiæ veritatem per falsa „ sacrificia profanare „.

Ibid. p. 81. XI. Terribilis sane hæc est Schismatis imago! Hinc nemini mirum videri debet, si Divus Cyprianus appellat Schisma, inexpiabile crimen, quod nec sanguine ablui potest: *inexpiabilis culpa: Macula ista nec sanguine abluitur*. Idipsum repetit in Tractatu de Oratione Dominica. „ Cæterum discordans & dissidens, Tract. de Orat. Domin. pag. 106. „ inquit ille, & pacem cum fratribus non habens se„ cundum quod beatus Apostolus & Scriptura Sancta „ testatur, nec si pro nomine Christi occisus fuerit, „ crimen dissensionis fraternæ poterit evadere, quia „ sicut scriptum est, (*b*) Qui fratrem suum odit, „ homicida est, nec ad regnum cœlorum pervenit, „ aut cum Deo vivit homicida; non potest esse cum „ Christo qui imitator Judæ maluit esse quam Chri„ sti „. *Quale delictum est*, concludit Sanctus Doctor, *quod nec baptismo sanguinis potest ablui? Quale crimen est, quod martyrio non potest expiari?*

XII. Quid ultra opus est ut fideles a Schismate averti possint? Num ulterius addendum erit cum Sancto hoc Carthaginiensi Episcopo, Schisma in Scripturis Sanctis severissime mulctari; & mulctari insuper vel minimam cum Schismaticis communionem? Præterea, Schismaticos habendos esse veluti Ethnicos & publicanos, eorumque fidem & doctrinam, etsi purissimam, iisdem esse inutilem, sicuti reipsa inutilis Epist. 69. Pag. 295. & 296. extitit Chore, Dathan, & Abiron, qui cum Sacerdote Aaron & Moyse eundem Deum noverant, pari lege & religione viventes, ac unum & verum Deum, qui colendus atque invocandus fuerat, invocabant? Absit igitur a nobis, ut unquam, quocumque ex prætextu, Schisma amplectamur. *Nam etsi videntur in Ecclesia esse zizania, non tamen impediri debet aut fides aut charitas nostra; ut, quoniam zizania esse in Ecclesia cernimus, ipsi, de Ecclesia recedamus: nobis tantummodo laborandum est, ut frumentum esse possimus*. Nulla ratio movere potest ad amplectendum schisma. Epist. 54. pag. 240. Epist. 55. Pag. 249. Et revera, nonne magna arrogantiæ jactatio est, ut inquit alio loco S. Cyprianus, ut quis aut audeat, aut facere se posse credat, quod nec Apostolis concessit Dominus, ut zizania a frumento putet se posse discernere, & paleas a tritico separare? & aurea ac argentea vasa videatur se posse eligere, lignea vero & fictilia contemnere, abjicere, damnare, quando nonnisi die Domini vasa lignea divini ardoris incendio concrementur, & fictilia ab eo, cui data est ferrea virga, frangantur? Verum, de hoc argumento satis.

CAPUT QUINTUM.

DE EXISTENTIA DEI; DE EJUS UNITATE, CÆTERISQUE PERFECTIONIBUS ABSOLUTIS.

Existentia Dei ostenditur ex natura ac instinctu hominum. Tract. de Vanit. Idolor. p. 11. I. DEI existentiam, juxta mentem Divi Cypriani, omnes homines fatentur: *Namque vulgus*, inquit Sanctus iste Doctor, Tractatu de Vanitate Idolorum, *in multis Deum naturaliter confitetur, cum mens & anima sui auctoris & principis admonetur*. Dici frequenter audimus: o Deus, &, Deus videt, &, si Deus dederit &c. *Atque hæc est summa delicti, nolle agnoscere quem ignorare non possis*. Textus iste, sicuti & plures alii hujus Tractatus, de verbo ad verbum extat in Tertulliano, cujus lectione Divus Cyprianus tantopere delectabatur, quemque appellabat Magistrum, ac quotidie legebat: hinc asserere possumus, Divum Cyprianum ex Tertulliano, ac ex Sacris Scripturis hausisse præcipue notabiliora quæ exaravit de Catholica Religione.

Unitas Dei. Ibid. p. 10. II. Unitas Dei alia veritas est, quam vel ipsa natura dictat. „ Unus igitur omnium Dominus est Deus, „ inquit S. Cyprianus ibidem. *Neque enim illa sublimitas potest habere consortem, cum sola omnem teneat potestatem*. Quando unquam regni societas aut „ cum fide cœpit, aut sine cruore desiit? Sic Theba„ norum germanitas rupta, (loquitur de Eteocle & „ Polinice) & permanens rogis dissidentibus etiam in „ morte discordia, (flamma rogi in duo divisa est). „ Et Romanos geminos unum non capit regnum, „ quos unum uteri cepit hospitium. Pompejus & Cæ„ sar affines fuerunt, nec tamen necessitudinis fœdus „ in æmula potestate tenuerunt. Nec hoc tu de ho„ mine mireris, cum in hoc omnis natura consentiat. „ Rex unus est apibus, & dux unus in gregibus, &, „ in armentis rector unus „. *Multo magis mundi unus est*

(*a*) II. Corinth. cap. 11. vers. 14.

(*b*) Epist. 1. Joann. cap. 3. vers. 15.

est rector, qui universa quæcunque sunt, verbo jubet, ratione dispensat, virtute consummat.

Deus est invisibilis & incomprehensibilis. Ibid p. 10.

III. S. Cyprianus quasdam Dei proprietates deinde attingit: ait siquidem: *Hic nec videri potest, visu clarior est: nec comprehendi, tactu purior est: nec æstimari, sensu major est. Et ideo sic eum digne æstimamus, dum inæstimabilem dicimus.*

Immensitas Divina. Ibid. pag. 11. Quodnam sit verum Dei nomẽ. Ibid. p. 11.

IV. De Divina Immensitate digne loquitur idem Sanctus Doctor cum ait: *Quod vero templum habere possit Deus, cujus templum totus est mundus? Et cum homo latius maneat, intra unam ædiculam vim tantæ majestatis includam? In nostra dedicandus est mente; in nostro consecrandus est pectore.* Nec nomen Deo quæras, subjungit idem Pater; *Deus nomen est illi.* Illic vocabulis opus est, ubi propriis appellationum insignibus multitudo dirimenda est: *Deo, qui solus est, Deus vocabulum totum est.* Quæ quidem effata sublimia sunt, sed a Divo Cypriano primario non profluunt, cum aliunde eadem ipse hauserit, quemadmodum supra notavimus.

Divina Providentia æque de minimis rebus sollicita est ac de maximis, præcipue vero de Ecclesia. Epist. 59. pag. 261.

V. Dei Providentia minima æque ac magna regit & gubernat, ut docet Dominus in Evangelio suo dicens: (*a*) Nonne duo passeres asse veneunt, & neuter eorum cadit in terram sine Patris vestri voluntate? Cum ille nec minima fieri sine voluntate Dei dicat, existimat aliquis summa & magna aut non sciente aut non permittente Deo in Ecclesia Dei fieri, & sacerdotes, idest dispensatores ejus, non de ejus sententia ordinari? Hoc pacto loquitur S. Cyprianus ut ostendat, Dei Providentiam super his præcipue pervigilem esse, quæ Ecclesiam respiciunt. Quod sane non impedit, quominus idem S. Cyprianus inferius, & alibi fateatur, in Ecclesia adesse scandala: verum quando Præpositi dant operam, ne quis eorum culpa de Ecclesia pereat; si quis ultro & crimine suo perierit, & pœnitentiam agere, atque ad Ecclesiam redire noluerit, Præpositi in die judicii inculpati erunt, qui consuluerunt sanitati; illi soli in pœnis remanebunt, qui noluerunt consilii Præpositorum salubritate sanari. Cæterum, Deus hæc scandala permittit, juxta Divum Cyprianum, ut vigeat lex, per quam homo suo arbitrio relictus, vitam vel mortem ipse sibi meretur.

Sequitur idem argumentũ. Ibid.

VI. Aliter sentire de Divina Providentia, *Hoc est*, inquit S. Cyprianus, *fidem non habere .... hoc est Deo honorem non dare, cujus nutu & arbitrio regi & gubernari omnia scimus & credimus.* Ait, si Dei Providentia in omnia extenditur; quomodo justis deesse poterit? „ Neque enim, inquit Sanctus Doctor, deesse „ quotidianus cibus potest justo, cum scriptum sit: (*b*) „ non occidet Dominus fame animam justam „. Deinde recitatis quibusdam Scripturarum oraculis, quæ Providentiam demonstrant, sic prosequitur: *Nam cum Dei sint omnia, habenti Deum nihil deerit, si Deo ipse non desit.* Sic Danieli in leonum lacu jussu regis incluso, *Prandium divinitus procuratur*; & inter feras esurientes & parcentes homo Dei pascitur. Sic alitur Elias in fuga; & in solitudine corvis ministrantibus, & volucribus cibum sibi apportantibus, in persecutione nutritur.

Tract. de Orat. Domin. pag. 104. Ibid. p. 105

Nihil Deo occultum. Lib. 3. Testim. c. 56.

VII. Deum nihil latet ex his quæ geruntur: in omni loco speculantur oculi Dei bonos & malos: est Deus approximans, & non Deus de longinquo. Si absconditus fuerit homo in absconditis inquit Deus ipse per Jeremiam, (*c*) ergo ego non videbo eum? Nonne cœlum & terram ego impleo, dicit Dominus? Item in libro primo Regum ait: (*d*) Homo videt in facie, Deus autem in corde. Item in Apocalypsi: (*e*) Et scient omnes Ecclesiæ, quia ego sum scrutator renis & cordis, & dabo unicuique vestrum secundum opera sua. Item in psalmo decimooctavo: (*f*) Delicta quis intelligit? ab occultis meis munda me, Domine. Hæc Scripturarum oracula profert Origenes ut ostendat, Deum nihil latere in Universo.

Bonitas Dei. Tract. de Orat. Domin. Pag. 106. Ib. p. 101.

VIII. Deus infinitam suam Bonitatem erga homines manifestat 1°. quia sua beneficia in genere in omnes homines bonos æque ac malos diffundit; præcipue vero in bonos, quos protegit contra mundum & diabolum, 2°. quia nos inter filios suos dignatur habere: *Quanta Domini indulgentia*, exclamat S. Cyprianus, *quanta circa nos dignationis ejus & bonitatis ubertas ... ut Deum patrem vocemus*, 3°. quia summa patientia sustinet peccatores. „ Qualis vero in Deo, & quanta „ patientia, inquit egregie Sanctus Doctor, quod in „ contumeliam suæ majestatis & honoris instituta ab „ hominibus profana templa & terrena figmenta & sa„ cra sacrilega patientissime sustinens, super bonos & „ malos æqualiter facit diem nasci & lumen solis obo„ riri, & cum imbribus terram rigat, nemo a bene„ ficiis suis excluditur, quominus justis similiter & „ injustis indiscretas pluvias largiatur. Videmus in„ separabili æqualitate patientiæ nocentibus & inno„ xiis, religiosis & impiis, gratias agentibus & in„ gratis, Dei nutu tempora obsequi, elementa famu„ lari, spirare ventos, fontes fluere, grandescere co„ pias messium, fructus maturescere vinearum, exube„ rare pomis arbusta, nemora frondescere, prata flo„ rere. Et cum crebris, immo continuis exacerbetur „ offensis Deus, indignationem suam temperat .... „ Cumque habeat in potestate vindictam, mavult diu „ tenere patientiam, sustinens scilicet clementer & „ differens, ut, si fieri potest, multum malitia pro„ tracta aliquando mutetur, & homo in errorum & „ scelerum contagione volutatus, vel sero ad Deum „ convertatur. „

Justitia Dei. Tract. contra Demetrian. Pag. 135. Ib. p. 131.

IX. Quo igitur jure conqueri poterunt homines, si quando Deus justitiam suam etiam in hoc mundo exercet, & plagis seipsum manifestat, *Ut, qui beneficiis non intelligitur*, inquit egregie Sanctus Doctor Tractatu contra Demetrianum, *vel plagis intelligatur.* Ecce irrogantur divinitus plagæ, & nullus Dei metus est. „ Ecce verbera desuper, & flagella non desunt, & „ trepidatio nulla, nulla formido est. Quid si non „ intercederet rebus humanis vel ista censura, *Quan„ to adhuc major in hominibus esset audacia, facino„ rum impunitate secura* ... Indignari se Deus dicit „ & irasci quod agnitio Dei non sit in terris, & „ Deus non agnoscitur nec timetur. Delicta menda„ ciorum, libidinum, fraudium, crudelitatis, impie„ tatis, furoris Deus increpat & incusat, & ad inno„ centiam nemo convertitur ... *Inter ipsa adversa, „ quibus vix coarctata & conclusa anima respirat, & „ vacat malos esse* ... Indignamini indignati Deum, „ quasi aliquid boni male vivendo mereamini, quasi „ non omnia ista quæ accidunt, minora adhuc sint & „ leviora peccatis vestris ... „ *Miraris in pœnas generis humani iram Dei crescere, cum crescat quotidie quod puniatur. Peccata itaque & delicta reputentur, conscientiæ vulnera cogitentur, & desinet unusquisque de Deo ... conqueri, si quod patitur, intelligat se mereri.* Hinc ex una parte summam Dei patientiam, qua peccatores sustinet, admirari debemus; ex altera vero per pœnitentiæ spiritum omnes plagas & afflictiones debemus sustinere. Non agitur hoc loco, nisi de temporalibus pœnis: de æternis alibi sermonem habebimus.

Ib. p. 131.

CAPUT SEXTUM.

DE TRINITATE DIVINARUM PERSONARUM, ET EARUM CONSUBSTANTIALITATE.

I. DIvum Cyprianum asseruisse aperte tres Divinas Personas, & unam eamdemque naturam in tribus Divinis Personis, adeo evidens est, ut in dubium revocari nullo pacto possit. Unum solummodo vel alterum hujus Doctoris testimonium promere hac de re possumus; verum perspicua adeo sunt & tanta donantur præcisione, ut satis superque sint ad orthodoxam ejus fidem quoad Mysterium SS. Trinitatis ostendendam. Sanctus iste Episcopus, ut Ecclesiæ Unitatem evincat, Divinitatem esse Unam demonstrat, & verba Salvatoris affert: *Ego & Pater unum sumus.* (*g*) *Et iterum*, subjungit ille, *de Patre & Filio & Spiritu Sancto scriptum est: Et hi tres unum sunt.* Habes igitur ex Divo Cypriano tres distinctas Personas: *Hi tres*: sed tres istæ Personæ unam eamdemque habent substantiam, unam eamdemque naturam: *Unum sunt.* Si postremus hic locus trium Personarum Consubstantialitatem ostendit, necessario sequitur, quod primus allatus textus, qui in eodem sensu sumitur a Divo Cypriano, demonstrat Patris ac Filii Consubstantialitatem, de qua fuse disseremus inferius, postquam aliqua insuper dixerimus de Mysterio Sanctissimæ Trinitatis.

Tres Divinæ Personæ sunt unus idẽque Deus. Tract. de Unit. Eccl. pag. 79.

II. Ejusdem præcisionis est testimonium illud, quod in favorem Consubstantialitatis trium Divinarum Personarum occurrit in Tractatu de Oratione Dominica: ibi enim S. Cyprianus ait, pacem, & fraternam concordiam, quæ originem trahit ab unitate Patris & Filii & Spiritus Sancti, esse majus sacrificium, quod Deo offerri possit: *Sacrificium Deo majus est pax nostra, & fra-*

Sequitur idem argumentũ. Tract. de Orat. Domin. pag. 106.

(*a*) Matth. cap. 10. vers. 29.
(*b*) Proverb. cap. 10. vers. 3.
(*c*) Cap. 23. vers. 24.
(*d*) Cap. 14.

(*e*) Cap. 2. vers. 23.
(*f*) Vers. 13.
(*g*) Joann. cap. 10. vers. 30.

III. SECULUM.

& fraterna concordia, & de Unitate Patris & Filii & Spiritus Sancti plebs adunata. Animadvertit idem Sanctus Doctor prope finem ejusdem Tractatus, Danielem, ejusque tres socios ter in die orasse, hora scilicet tertia, sexta, & nona; ac si præsignificarent Mysterium Trinitatis, quod in novissimis temporibus manifestari habebat. *Invenimus observasse cum Daniele tres pueros . . . horam tertiam, sextam, nonam, sacramento scilicet Trinitatis, quæ in novissimis temporibus manifestari habebat.* „ Nam & prima hora in tertiam veniens, consummatum numerum Trinitatis ostendit: „ Itemque ad sextam quarta procedens, declarat alteram Trinitatem. Et quando a septima nona completur, *Per ternas horas Trinitas perfecta numeratur.*

Ib. p. 208.

III. Meminit insuper Divus Cyprianus Trinitatis Personarum Divinarum in celeberrima sua Epistola ad Jubajanum: ibi enim ut ostendat, quosdam sui ævi Hæreticos non habuisse potestatem baptizandi legitime, ait, eosdem non confiteri cum Catholicis eumdem Patrem, eumdem Filium, eumdem Spiritum Sanctum: *Si eumdem Patrem,* verba sunt Divi Cypriani, *eumdem Filium, eumdem Spiritum Sanctum, confitentur nobiscum Patripassiani, Antropiani, Valentiniani . . . & cætera hæreticorum pestes . . . potest illic & Baptisma unum esse, si est fides una . . .* Dominus enim, prosequitur idem Sanctus Doctor, post Resurrectionem Discipulos suos mittens, quemadmodum baptizare deberent instruxit & docuit dicens: Ite & docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti: (*a*) *Insinuat* (Christus Dominus hisce verbis) *Trinitatem, cujus sacramento gentes baptizarentur.* „ *Numquid,* addit Sanctus Doctor, *hanc Trinitatem Marcion tenet?* Numquid eumdem asserit „ quem & nos Patrem Creatorem? Numquid eumdem „ novit Filium Christum? . . . Et deinde: Si baptizari quis apud hæreticos potuit, utique & remissam peccatorum consequi potuit . . . & sanctificatus est, & templum Dei factus est: Si sanctificatus est, si templum Dei factus est, quæro cujus Dei? Si Creatoris, non potuit, quia in eum non „ credidit. Si Christi, nec hujus fieri potuit templum, „ qui negat Deum Christum. Si Spiritus Sancti: „ *Cum tres unum sint, quomodo Spiritus Sanctus placatus esse ei potest, qui aut Patris, aut Filii inimicus est?* Tandem probat etiam inferius, neminem posse in solo Jesu Christi nomine legitime baptizare, cum ipse Christus Dominus præcipiat baptizare gentes in nomine Trinitatis: *Quando ipse Christus gentes baptizari jubeat in plena & adunata Trinitate.*

Sequitur idem argumentū. Epist. 73. pag. 307.

Pag. 309.

Pag. 311.

IV. Ex quibus omnibus Divi Cypriani locis perspicuum est, tres esse Divinas Personas, quarum una non est alia quoad esse personæ; sed has tres personas unum idemque esse, unam eamdemque essentiam, unum eumdemque Deum. Quod quidem evidentissime ostendit catholicam fidem hujus Episcopi circa Mysterium SS. Trinitatis; & Ecclesia summæ lætitiæ & exultationis argumentum depromere debet ex vetustissimis istis ac celeberrimis testimoniis, quæ tuentur primatiam hanc veritatem, quam hodiedum etiam impugnant nonnulli, quemadmodum impugnabant olim Patripassiani, & alii illorum temporum hæretici, quibus in more positum fuit, aut tres personas simul confundere, ut una superesset; aut naturas augere juxta numerum Personarum. Utrumque errorem refellit S. Cyprianus, nec quidquam in ejus scriptis occurrit, unde vel leviter suspicari possimus, Sanctum hunc Doctorem oppositum sensisse. Si quædam in eo deprehenduntur loquendi formulæ, quæ aliquem hac de re scrupulum nobis injicere possint, has capite sequenti explicabimus.

CAPUT SEPTIMUM.

DE DIVINITATE VERBI.

I. EX his quæ diximus Capite superiore inferri potest, Verbum esse Deum, non secus ac Pater Deus est, & ejusdem esse cum ipso naturæ & substantiæ. Quia vero Veritas hæc apprime necessaria est, & multos hodie etiam patitur adversarios, qui vel habent Jesum Christum ut purum hominem, vel ejus cum Patre Consubstantialitatem inficiantur; hinc lectorem parumper hoc loco sistimus, ut valeat & ipse armis Divi Cypriani istos Arianos hujus ævi prosternere.

II. Divus Cyprianus accommodat Jesu Christo illud Isaiæ oraculum, in quo filio suo vaticinatur Principum Regumque adorationem: *Et adorabunt te Principes*: quo quidem Divinitas Salvatoris comprobatur. De eodem Christo Domino illud prædicat quod legitur in Psalmo trigesimo tertio: *Timete Dominum Deum omnes Sancti ejus;* ibique formaliter agnoscit ejus Divinitatem. Habet insuper Jesum Christum ut Unicum Dei Filium, ut Dei sapientiam, ut eum per quem omnia facta sunt. De æternitate Verbi intelligit hæc verba Sapientis: *Dominus creavit me in initio viarum suarum.* Inficiari autem nemo potest, auctoritatem Divi Cypriani magni ponderis esse pro intelligentia hujusce textus, qui caussa deinceps extitit tot disputationum Catholicos inter & Arianos, etsi utrique oraculum illud Dei Verbo accommodarent: sed Catholici ex illo Verbi æternitatem inferebant; Ariani vero Verbum esse creaturam. Quo sane postremo modo nunquam S. Cyprianus præfatum oraculum sumpsit, cum jam asseruerit, Verbum esse Dei Filium, ejus Sapientiam, ejus mentem, adeoque esse Deo coæternum, cum Deus suis proprietatibus essentialibus nunquam præextiterit.

Argumentū Divi Cypriani pro Divinitate Verbi. Lib. 2. Testim. c. 29. pag. 21. Ibid. c. 22. pag. 22. Lib. 2. Testim. c. 1. pag. 24.

III. Cæterum, juxta S. Cyprianum, Verbum est initium & finis: *Ego sum alpha & omega.* Est imago Dei invisibilis, est Omnipotentia Dei; ipsum apparuit in veteri testamento sub Dei nomine; & si aliquando in Scripturis Angelus appellatur, Angelus iste est Deus, & est ille qui in Evangelio (*b*) dicit: Ego veni in nomine Patris mei, & non recepistis me. Constat ex his, S. Cyprianum in eadem fuisse opinione, in qua veteres fuerunt qui eidem præluxerunt, qui omnes apparitiones, de quibus mentio occurrit in veteri Testamento, Verbo tribuebant. Quidquid sit de hac opinione, illud certum est, hac comprobari Divinitatem Verbi, & in hoc sensu veteres omnes hanc adoptasse ut alibi jam notavimus.

Sequitur idem argumentū Ibid. P. 26. c. 5.

IV. De Verbo dictum est in Isaia: Quoniam in te Deus est, & non est Deus alius præter te. Tu enim es Deus, & non sciebamus, Deus Israel Salvator. Deus noster judicium retribuet, ipse veniet, & salvos faciet nos. Ego Dominus Deus, hoc mihi nomen est: Claritatem meam alii non dabo. Dominus Deus virtutum prodibit &c. In Jeremia, hoc est in Baruch: Hic Deus noster, & non deputabitur alius absque illo. In Osea: *Quoniam Deus ego sum.* In Sophonia: *Metuite a facie Domini Dei, quoniam prope est dies ejus.* In Psalmis: Cantate Deo, psallite nomini ejus, viam facite ei qui ascendit in occasum, *Deus nomen illi,* ut legebat Divus Cyprianus. Thronus tuus, Deus, in sæcula sæculorum . . . Dilexisti justitiam, & odisti iniquitatem: propterea unxit te Deus Deus tuus oleo exultationis. *Vacate & videte quoniam ego sum Deus.* Exaltabor in gentibus, & exaltabor in terra. *Deus stetit in Synagoga Deorum.* Vias tuas, Domine, ostende mihi, . . . & doce me, quoniam tu es Deus Salvator meus. Hæc sunt præcipua Scripturarum loca, quibus utitur S. Cyprianus adversus Judæos, ut Salvatoris Divinitatem ostendat. Nos pariter iisdem uti possumus adversus Arianam impietatem, & ex illis inferre Verbi Consubstantialitatem æque ac ejus Divinitatem: saltem inter modo recitata, aliqua sunt, quæ in hoc solummodo sensu possunt intelligi.

Ibid. c. 6. c. 7 p. 27 c. 28. p. 35. c. 6. p. 26. Ibid. p. 27. c. 10. p. 33. c. 6. p. 27. Ibid.

V. Verum quando omnia deessent prææallegata a Divo Cypriano ad Jesu Christi Divinitatem comptobandam Scripturarum oracula; ad hujus Doctoris orthodoxam fidem ostendendam id unum sufficeret, quod legimus in ejus Tractatu de Idolorum Vanitate. Ibi siquidem hæc habet: Sermo & Filius Dei mittitur, qui per Prophetas omnes retro illuminator & doctor humani generis prædicabatur: *Hic est virtus Dei, hic ratio, hic sapientia, ejus & gloria.* Hic in Virginem illabitur, carnem Spiritu Sancto cooperante induitur, *Deus cum homine miscetur. Hic Deus noster.* Sane perspicuum hoc est, nec ullam patitur difficultatem. Jesus Christus est Deus, est virtus Patris, ejus ratio, ejus sapientia, ejus gloria: igitur est ejusdem cum Patre naturæ, nisi aliquid in Deo admittamus, quod non sit Deus; quod quidem & rectæ rationi repugnat, & fidei. Nec esset dicendi finis, si alia, præter modo allata, exquirere in Divo Cypriano quoad hoc argumentum vellem: hinc finem huic Capiti imponam duobus aliis Sancti hujus Doctoris textibus, quorum unus depromptus est ex ejus Tractatu de Patientia, in quo prope finem docet, Jesum Christum esse Deum nostrum: *Hic est Deus noster*; alter vero desumitur ex ipsius epistola ad Jubajanum, in qua appellat Salvatorem *Dominum & Deum nostrum.*

Tract. de vanit. Idolor. p. 13.

Tract. de Patient. pag. 151. Epist. 73. ad Jubajan.

VI. Nihil in Divo Cypriano deprehendere potui, quod viam sterneret ac vel minimum fundamentum præberet alicui difficultati quoad Divinitatem Verbi. Sandius nihilominus quasdam loquendi formulas in eodem offen-

(*a*) Matth. cap. 28. vers. 19.

(*b*) Joann. cap. 5. v. 43.

III. SECULUM.

offendit, quæ, ut ipse autumat, Arianæ hæresi favere videntur: veluti cum Sanctus Doctor inquit, Jesum Christum a Patre suo petiisse, ut illum glorificaret; nec non eumdem Christum Dominum Patri obsecutum fuisse usque ad mortem. Verum, si hæc Arianam hæresim sapiunt, necessario dicendum est, Sacram Scripturam præfatam hæresim efformasse, cum hæ phrases in libris Sanctis occurrant, & ex hoc fonte suam hac super re doctrinam hauserit Sanctus Carthaginiensis Episcopus. Aliter sensisset Sandius, si, uti optime animadverit Bullus, attendisset, hoc quod ille objicit contra Jesu Christi Divinitatem, respicere Mysterium Incarnationis, & œconomiam redemptionis humani generis, sive subordinationem, quam Filius dicit ad Patrem, prout Pater est origo & principium Filii. In hoc sensu Sanctus Doctor asserit, Spiritum Sanctum Filio esse minorem, quia ille qui mittitur censetur illo inferior qui mittit: hinc eodem loco statim subjungit, Spiritum Sanctum a Christo separari non posse. *Quasi possit aut sine Spiritu Christus indui, aut a Christo Spiritus separari.* Quidquid aliunde afferri posset contra orthodoxam Divi Cypriani fidem quoad præsens argumentum, recenseri debet inter meras calumnias, vel imaginationes quocumque fundamento destitutas.

Pag. 221.

Epist. 74. pag. 316.

CAPUT OCTAVUM.

DE INCARNATIONE.

Veritas Incarnationis ostenditur ex Scripturis. Lib. 2. Testim. p. 27. & 28. c. 7. & 8.

I. Divus Cyprianus æque orthodoxus est cum loquitur de Mysterio Incarnationis, ac cum disseruit de Trinitate ac Consubstantialitate Verbi. Probat primo loco veritatem Mysterii Incarnationis pluribus Scripturarum oraculis, quorum aliqua prænuntiant adventum Salvatoris; alia vero cum jam advenisse testantur. Sufficiat legere secundum ejus librum Testimoniorum adversus Judæos, in quo ex professo argumentum hoc Scripturarum auctoritate pertractat. Signa, quibus mysterium hoc innotescere debebat, & Nativitas Salvatoris distingui a nativitate cæterorum hominum, hæc erant, 1°. ut de Virgine nasceretur, prout Isaias vaticinatus est; Dabit Deus ipse vobis Signum, inquit hic Propheta; Ecce Virgo in uterum accipiet, & pariet filium, & vocabitis nomen ejus Emmanuel, quod est Nobiscum Deus. 2°. Ut homo & Deus Christus esset: Unde Gabriel Angelus ad Mariam respondens dixit: Spiritus Sanctus superveniet in te, & virtus Altissimi obumbrabit te: quapropter quod nascetur ex te Sanctum, vocabitur Filius Dei.

Signa Nativitatis Messiæ. Ibid. p. 28. cap. 9.

P. 28. & 29. cap. 10.

II. 3°. Quod de semine David secundum carnem nasci haberet; uti Sancto huic Regi longe antea Deus promiserat, & Isaias prænuntiaverat hisce verbis: Et exibit virga de radice Jesse, & flos de radice ejus ascendet. Gabriel ad Mariam dixit: Dabit illi Dominus Deus thronum David patris sui, & regnabit super Jacob in sæcula, & regni ejus non erit finis. In Apocalypsi Salvator appellatur Leo de tribu Juda, radix David. 4°. Quod in Bethleem nasceretur, juxta Micheæ vaticinium: at in Bethleem natus est Jesus, ut narrat Evangelium. 5. Quod humilis in primo adventu suo venire, opprobrium & ignominiam ab hominibus passurus, ut in Isaia aliisque Prophetis legimus: at Jesus Christus, ut refert Evangelium, humiliavit se, & exinanivit semetipsum factus obediens usque ad mortem, mortem autem crucis: propter quod & Deus exaltavit illum, & donavit illi nomen quod est super omne nomen, ut in nomine Jesu omne genu flectatur, cœlestium, terrestrium, & infernorum, & omnis lingua confiteatur, quia Dominus Jesus Christus in gloria est Dei Patris.

p. 28. c. 11.

p. 29. & 30. cap. 13.

III. 6°. Quod ipse sit justus, quem Judæi occisuri essent: ille siquidem, qui erat justus, immo ipsamet innocentia, morte turpissima condemnari habebat ab injustis & impiis: cujus rei testis idoneus est Judas: *Judas pœnitentia ductus, sacerdotibus & senioribus dixit: Peccavi tradens sanguinem justum.* 7°. Quod ipse futurus esset tanquam ovis quæ ad victimam ducitur, & tanquam agnus, qui coram tondente se non aperuit os suum; quod inter sceleratos reputari deberet, & in Cruce spiritum emittere: quæ omnia in Jesu Christo impleta sunt. 8°. Quod in passione crucis & signo virtus omnis sit & potestas: & Divus Cyprianus alibi reipsa ostendit Crucis potestatem, & prodigia per sacri hujus signi virtutem patrata. 9°. Quod medio die in passione ejus tenebræ futuræ essent, ut legitur apud Amos: & revera Joannes in Evangelio narrat, a sexta hora tenebras factas esse super totam terram usque ad horam nonam. 10. Quod a morte non vinceretur, nec apud inferos remansurus esset; in Psalmis siquidem legimus: Non derelinques animam meam apud inferos, neque dabis sanctum tuum videre corruptionem; ego dormivi, & somnum cepi, & resurrexi: in Evangelio pariter legimus idipsum, scilicet: potestatem habeo ponendi animam meam, & potestatem habeo iterum sumendi eam. 11. Quod ab inferis tertio die resurgeret, ut vaticinatur Osee: idipsum confirmat Salvator in Evangelio cum ait: Erit filius hominis in corde terræ tribus diebus & tribus noctibus. Hæc sunt præcipua signa Incarnationis Verbi, quæ in Christo Jesu, ut vidimus, impleta sunt. Nisi in Scripturis prænuntiatam legeremus plenissimam Judæorum cæcitatem usque ad certum tempus duraturam, quo videre incipient, & ad Deum convertentur, impossibile omnino foret, quin evidentiam sacrorum oraculorum, quæ modo recensui, persentirent. Percurrenda sunt hæc oracula animo minime præoccupato, & illico innotescet perfecta concordantia Prophetias inter & Evangelium quoad mysterium Incarnationis.

p. 30. c. 14.

p. 30. & 31. cap. 15.

pag. 34. c. 21. & 22.

p. 34. & 35. cap. 23.

III. SECULUM.

P. 35. c. 24.

Ibid. c. 25.

Jesus Christus post suam resurrectionem omnē accepit a Patre suo potestatē. Ibid. c. 26.

IV. Cæterum Jesus Christus post suam resurrectionem accipere debebat omnem potestatem a Patre, & hæc potestas erit æterna. Id aperte docent Daniel cap. 7. vers. 13. Isaias cap. 33. vers. 10. & Regius Vates Psalm. 109. hisce verbis: Dixit Dominus Domino meo, sede ad dexteram meam quoadusque ponam inimicos tuos suppedaneum pedum tuorum. Virgam virtutis tuæ mittet Deus a Sion, & dominaberis in medio inimicorum tuorum. Hinc in Evangelio Dominus post resurrectionem Discipulis dicit: Data est mihi omnis potestas in cœlo & in terra. Ite ergo, & docete omnes gentes &c.

Jesus Christus venturus est judicare hūc mundum. P. 36. c. 28.

V. Æque indubium est, quod Jesus Christus judex venturus sit. Expressum id legitur in Malachia cap. 4. vers. 1. in Isaia cap. 42. vers. 13. in Psalm. 67. & 81. Idipsum confirmat Christus Dominus in Evangelio Joannis cum ait: Nihil Pater judicat, sed judicium omne Filio dedit, ut omnes honorificent Filium sicut honorificant Patrem. Item Divus Paulus Epistola secunda ad Corinthios, inquit: Omnes nos manifestari oportet ante tribunal Christi, ut reportet unusquisque sui corporis propria secundum quæ egit, sive bona sive mala.

Jesus Christus Judex & Rex. P. 37. c. 30.

VI. Ex his nullo negotio eruitur Jesum Christum esse judicem simul & regem. Regius Vates eumdem judicem & regem appellat Psalmo 71. & idipsum præstat S. Joannes Apocalypsis cap. 19. & Salvator ipse in Evangelium secundum Matthæum inquit: Cum venerit Filius hominis in claritate sua, & omnes Angeli cum eo, tunc sedebit in throno claritatis suæ, & colligentur ante eum omnes gentes, & segregabit illos ab invicem, quemadmodum pastor segregat oves ab hædis, & statuet oves ad dexteram suam, hædos autem ad sinistram. Tunc dicet Rex eis qui ad dexteram ejus erunt: Venite benedicti Patris mei &c.

VII. Habes modo in compendium redacta quæ in secundo libro Testimoniorum Scripturarum auctoritate docet S. Cyprianus quoad mysterium Incarnationis: verum & alibi de eodem mysterio verba habet idem Sanctus Doctor; & nos superius ex ejus Tractatu de Vanitate Idolorum pulcherrimum textum exscripsimus, quo fatetur unitatem Personæ in Christo Jesu, duasque ejus naturas, divinam & humanam. En autem laudatum illud testimonium. „ Hujus igitur gratiæ disciplinæque arbiter & magister sermo & Filius Dei „ mittitur, qui per Prophetas omnes retro illuminator „ & doctor humani generis prædicabatur. Hic est „ virtus Dei, hic ratio, hic sapientia ejus & gloria; *Hic in Virginem illabitur, carnem, Spiritu Sancto cooperante, induitur: Deus cum homine miscetur*; hoc est intime eidem conjungitur: etenim phrasis hæc intelligi non debet in sensu Eutichianorum, qui duas in Christo Domino naturas confundebant; sed in sensu Catholicorum, qui admittunt intimam duarum naturarum unionem, sed absque ulla confusione, & absque eo quod a Divina natura absorbeatur natura humana, quæ semper subsistit, non per seipsam, sed per Personam Verbi. Quæ sequuntur in eodem textu Sancti Doctoris verba, eamdem explicationem insinuant: nam immediate post laudata verba, sic prosequitur: *Hic Deus noster, hic Christus est, qui, mediator duorum, hominem induit, quem perducat ad Patrem.* Igitur si humanitatem perduxit ad Patrem suum, jam non erat absorpta a Divinitate, sed subsistebat in omnibus suis partibus (corpus & animam intelligo) in Persona Verbi.

Una Persona. & duæ Naturæ in Christo Jesu. Tract. de vanit. Idolor. p. 11.

Jesus Christus est noster Advocatus & mediator. Epist. 11. pag. 186. Per ipsum solummodo.

VIII. Si Jesus Christus, ut modo vidimus, est Mediator noster, sequitur 1°. eumdem esse advocatum pro peccatis nostris; & S. Cyprianus idipsum expresse tradit in quadam ad suum Clerum epistola, quæ est undecima illius Editionis qua utimur, 2°. per ipsum solummodo posse nos Deo satisfacere, ut eadem epistola, eodemque loco docet idem Sanctus Episcopus.

3°. tan-

III. SÆCULUM.

do Deo satisfacere possumus.

30. tandem per ipsum tantum posse nos ad Deum pervenire, ut fuse probat idem Doctor libro secundo Testimoniorum: Omnes enim peccaverunt, inquit ille, & quidem egregie cum Divo Paulo, (*a*) & egent claritate Dei; justificantur autem dono ipsius & gratia per redemptionem quæ est in Christo Jesu.

Ibid. Per ipsum solummodo possumus ad Deum pervenire. Lib. 2. Testim. p. 35. Effectus Incarnationis. Tract. contra Demetrian. pag. 136. Tract. de Eleemosyn. pag. 137.

IX. Per Salvatorem nos obtinemus remissionem peccatorum nostrorum, & ad immortalitatem sub ipsa morte transimus. Hanc gratiam Christus impertit; hoc munus misericordiæ suæ tribuit, subigendo mortem trophæo Crucis, redimendo credentem pretio sanguinis sui, reconciliando hominem Deo Patri, vivificando mortalem regeneratione cœlesti. Hic nobis viam vitæ aperit, hic ad Paradisum reduces facit. Multa & magna sunt beneficia divina, quibus in salutem nostram Christi larga & copiosa clementia operata est... Filius Dei voluit fieri filius hominis, ut nos Dei filios faceret: *Humiliavit se, ut populum qui prius jacebat, erigeret. Vulneratus est, ut vulnera nostra sanaret*. Servivit, ut ad libertatem servientes extraheret: *Mortem sustinuit, ut immortalitatem mortalibus exhiberet*. Et quod magis observandum est, non solum mortuus est pro justis & prædestinatis, sed etiam pro peccatoribus & reprobis. Aperte id docet S. Cyprianus epistola ad Antonianum his verbis: „ Jacet ecce „ saucius frater ab adversario in acie vulneratus. In„ de diabolus conatur occidere quem vulneravit; hinc „ Christus hortatur, *Ne in æternum pereat quod rede„ mit*. „ Agitur hoc loco de Libellaticis, & de illis, qui Idolis sacrificaverant.

CAPUT NONUM.

DE SACRAMENTIS NOVÆ LEGIS.

I. Divus Cyprianus tam fuse prosequitur argumentum hoc, ut operæ pretium sit dividere præsens caput in quatuor articulos. In primo itaque proferemus notabiliora quæ tradit Sanctus Doctor de Baptismo ac Confirmatione; & dabimus pro viribus accuratam ideam celeberrimæ disputationis super Baptismo hæreticorum. In secundo sermonem instituemus de Eucharistia, prout est Sacramentum, necnon prout est Sacrificium. In tertio exponemus notabiliora quæ in Divo Cypriano occurrunt de Sacramento Pœnitentiæ, & quidem quoad Dogma. In quarto afferemus præcipua Sancti hujus Episcopi loca quoad diversos Ecclesiasticos Ordines, eorumdemque officia; quibus nonnulla addemus de Matrimonio. Cæterum, nihil in Divo Cypriano deprehendi, quod respiciat Sacramenta in genere, si pauca excipiamus, quæ extant in epistola ad Cæcilium; ibi enim docet, in Sacramentorum administratione ea omnia religiosissime servanda esse, quæ Dominus noster Jesus Christus fieri mandavit, & ipse fecit in eorum institutione, nisi Ecclesia necessarium duceret aliquid immutare: quod quidem intelligi nequit, nisi quoad ea quæ non sunt de essentia Sacramentorum.

Epist. 63. pag. 197. & seq.

ARTICULUS PRIMUS.

DE BAPTISMO, ET DE CONFIRMATIONE.

I. Antequam de Baptismo Jesu Christi disseramus, optimum erit de Baptismo S. Joannis pauca dicere. Divus Cyprianus perhibet Baptismum Joannis veluti quamdam dispositionem ad Baptismum Jesu Christi, „ Nec recusabunt, inquit ille Epistola celeberrima „ ad Jubajanum, baptizari apud nos hæretici legiti„ mo & vero Ecclesiæ Baptismo, quando ex nobis „ didicerint baptizatos quoque a Paulo eos qui jam „ baptismo Joannis baptizati fuissent, sicut legimus „ in Actibus Apostolorum. (*b*) Et nunc apud quos„ dam de nostris hæreticorum baptisma occupatum as„ seritur, & invidia quadam quasi rebaptizandi bapti„ zare post hostes Dei nefas ducitur, cum baptizatos „ inveniamus quos Joannes baptizaverat. „ Deponi poterat, Baptisma Joannis non fuisse Baptisma Jesu Christi: at quidquid sit de hoc argumento Divi Cypriani, æquo jure concludere possumus, Sanctum hunc Doctorem habuisse baptisma Joannis uti meram dispositionem ad baptisma Jesu Christi.

Baptismus D. Joannis non erat nisi dispositio ad Baptismum Jesu Christi, nec erat ad salutem sufficiens. Epist. 73. pag. 313.

II. Hanc eamdem veritatem docet alibi Sanctus Cyprianus, cui subscribit S. Firmilianus in epistola sua ad Sanctum Carthaginensem Episcopum: ait siquidem, Beatum Apostolum Paulum baptizasse denuo spiritali baptismo eos, qui a Joanne baptizati fuerant priusquam missus esset Spiritus Sanctus a Domino. „ Quale est autem, concludit vetustus hic Scriptor, ut „ cum Paulum post Joannis baptisma iterato discipu„ los suos baptizasse videamus, nos eos qui ab hæ„ resi ad Ecclesiam veniunt post inlicitam & profa„ nam eorum tinctionem, baptizare dubitemus? „ Quibus verbis S. Firmilianus idipsum tradit, quod S. Cyprianus; & licet utriusque doctrina haud satis firma & valida sit, infertur tamen, priscis temporibus Joannis baptisma habitum fuisse uti minime sufficiens ad salutem; nec non per illud baptisma Spiritum Sanctum datum non fuisse: quod quidem sentit & ipse Joannes in suo Evangelio.

Sequitur idem argumentum. Epist. 75. pag. 322.

III. Ad Baptisma Jesu Christi quod attinet, omnis fidei est origo, ad vitam æternam ingressio, &c. *Baptisma*, inquit S. Cyprianus, . . . *omnis fidei origo*, *& ad spem vitæ æternæ salutaris ingressio*, *& purificandis ac vivificandis Dei servis divina dignatio*. *Fons & fluvius aquæ vitalis*. *Aqua* . . . *fidelis*, *& salutaris*, *& sancta*. Sacramentum & signum Jesu Christi: *Sacramentum unitatis* juxta phrasim Sancti Doctoris, quæ pluries in ejus Scriptis occurrit.

Idea Baptismi Jesu Christi. Epist. 73. pag. 309. Ibid. Tract. contra Demetrian. Pag. 136.

IV. Divinum hoc Sacramentum prænuntiavit Isaias (*c*) dicens: Faciam in deserto viam, & flumina in loco inaquoso adaquare genus meum electum, plebem meam, quam acquisivi, ut virtutes meas exponeret. Et alio loco: (*d*) Si sitierint per deserta adducet illos, aquam de terra producet illis, findetur petra, & fluet aqua, & bibet plebs mea. S. Joannes Baptista hoc ipsum Baptisma annuntiat dicens in Evangelio: (*e*) Ego quidem baptizo vos aqua in pœnitentiam. Qui autem post me venit, ipse vos baptizabit in Spiritu Sancto & igni. Ex quibus Sancti Præcursoris verbis eruitur, uti superius diximus, eumdem agnovisse excellentiam Baptismi Jesu Christi, eamque utpote majorem excellentia proprii baptismi celebrasse.

Baptismus Jesu Christi prænuntiatus ab Isaia, & a D. Joanne Baptista. Lib. 2. Testimon. Pag. 18.

V. Materia Baptismi est aqua simplex & naturalis, ut videre est pluribus in locis Divi Cypriani, qui de hoc Sacramento verba faciens, aquæ nomine illud designat: immo observat idem Sanctus Doctor, quod *Quotiescumque aqua sola in Scripturis Sanctis nominatur*, *Baptisma prædicatur*. Idque probat auctoritate utriusque Testamenti; Isaiæ videlicet oraculis supra recitatis, & his Christi verbis: Qui credit in me, flumina de ventre ejus fluent aquæ vivæ. (*f*) Qui biberit ex aqua quam ego dedero, non sitiet in æternum. (*g*) *Quo & ipsum Baptisma*, inquit S. Cyprianus, *salutaris aquæ significatur*. „ Nec argumentis plu„ ribus opus est, addit idem Doctor, ut probemus, „ *Appellatione aquæ Baptismum significatum semper es„ se, & sic nos intelligere debere*, quando Dominus „ adveniens Baptismi & Calicis manifestavit verita„ tem, *Qui aquam illam fidelem*, *aquam vitæ æternæ „ præceperit credentibus in Baptismo dari*; Calicem ve„ ro docuerit exemplo magisterii sui vini & aquæ „ conjunctione misceri. „ Tradit nihilominus idem S. Cyprianus, paucis interjectis, aquas quandoque populos significare; idque probat auctoritate Apocalypsis. (*h*) Hinc patet, cum aliqua exceptione accipienda esse quæ docet Sanctus iste Episcopus in genere de significatione quam in Scripturis vox *Aqua* habet.

Aqua materia Baptismi. Epist. 63. pag. 198.

VI. Verum exceptio hæc nihil imminuit vim argumenti, quod ex doctrina S. Cypriani instauramus ut demonstremus aquam esse materiam Baptismi. Cæterum aperte tradit, in aqua eos immersos fuisse qui baptizabantur. „ Quæsisti etiam, inquit ille Magnum al„ loquens, quid mihi de illis videatur, qui in infir„ mitate & languore gratiam Dei consequuntur, an „ habendi sint legitimi Christiani, *Eo quod aqua sa„ lutari non loti sint*, *sed perfusi*; qua in parte, pro„ sequitur Sanctus Doctor, nemini verecundia & mo„ destia nostra præjudicat, quo minus unusquisque „ quod putat sentiat, & quod senserit faciat „. Deinde apertissime asserit eodem loco, validum esse Baptismum infusione collatum. *Nos* . . . *æstimamus*, inquit ille, *in nullo mutilari & debilitari posse beneficia divina*, *nec minus aliquid illic posse contingere*, *ubi plena & tota fide & dantis & sumentis accipitur*, *quod de divinis muneribus hauritur*. „ Neque enim sic in „ Sacramento salutari delictorum contagia, ut in la„ vacro carnali & sæculari sordes cutis & corporis „ abluuntur, ut aphronitris; & cæteris quoque adju„ mentis & solio & piscina opus sit, quibus ablui & „ mun-

Validus est Baptismus, sive per infusionē conferatur, sive per immersionē. Epist. 69. pag. 197.

(*a*) Ad Roman. cap. 3. vers. 23. 24.
(*b*) Cap. 19. vers. 5.
(*c*) Cap. 43. vers. 20. 21.
(*d*) Cap. 48. vers. 21.
(*e*) Luc. cap. 3. vers. 16.
(*f*) Joann. cap. 7. vers. 16.
(*g*) Joann. cap. 4. v. 38.
(*h*) Cap. 17. vers. 15.

III. SÆCULUM.

„ mundari corpusculum possit. Aliter pectus credentis „ abluitur, aliter mens hominis per fidei merita mundatur. In Sacramentis salutaribus necessitate cogen„ te, & Deo indulgentiam suam largiente, totum cre„ dentibus conferunt divina compendia „. *Nec quemquam movere debet, quod aspergi vel perfundi videntur agri, cum gratiam dominicam consequuntur*. Deinde recitatis nonnullis Scripturarum oraculis sic concludit: Unde apparet, aspersionem quoque aquæ instar salutatis lavacri obtinere, & quando hæc in Ecclesia fiunt ubi sit & accipientis & dantis integra fides, stare omnia, & consummari ac perfici posse majestate Domini, & fidei veritate.

Ib. p. 298.

VII. Non omnes utique ætate Divi Cypriani idipsum sentiebant; quidam enim eos qui in lecto jacentes, hoc est vel aspersione, vel infusione baptizati fuerant, non Christianos sed Clinicos appellabant: verum S. Cyprianus semper constantissime declarat, eos omnes reputari debere veros christianos, qui jure fidei in Ecclesia Divinam gratiam, hoc est Baptismum, fuerint consecuti: *Quantum fide concipere & sentire nobis datur*, inquit Sanctus Episcopus, *mea sententia hæc est, ut christianus judicetur legitimus, quisquis fuerit in Ecclesia, lege & jure fidei, divinam gratiam consecutus*. Hujus rei hanc rationem illico profert; quod scilicet si isti vere baptizati non sunt, iterum baptizati deberent, si incommodum languoris evaserint, & convaluerint. *Si autem baptizari non possunt*, subjungit, *qui jam baptismo ecclesiastico sanctificati sunt, cur in fide sua & Domini indulgentia scandalizantur?*

Validitas Baptismi collati per Infusionem, aut aspersionem. Ibid.

VIII. Quia vero opponi poterat, Clinicos consecutos esse quidem gratiam dominicam, sed breviore & minore mensura muneris divini, ac Spiritus Sancti, ut habeantur quidem christiani, non sint tamen cæteris coæquandi: reponit S. Cyprianus: Quinimmo Spiritus Sanctus non ad mensuram datur, sed super credentem totus infunditur: Christus in Ecclesia sua lumen vitæ æternæ pari æqualitate largitur. Sic cum de cœlo manna defflueret, sine discrimine vel sexus, vel ætatis, gomor a singulis æqualiter colligebatur. Plane eadem gratia spiritalis, quæ æqualiter in baptismo a credentibus sumitur, in conversatione atque actu nostro postmodum vel minuitur, vel augetur. Adhuc vero cum singuli ad denarium vocentur, quid est ut quod a Deo æqualiter distribuitur, humana interpretatione minuatur? Respondet pariter alteri difficultati, ac concludit, quod qui aliter ab eo sentit quoad baptismum Clinicorum, imminuit virtutem & meritum fidei, nec non derogat majestati & sanctitati baptismi Ecclesiastici: *De integra fidei veritate detrahitur, & baptismo ecclesiastico majestas sua & sanctitas derogatur*.

Difficultas hac super re eluci datur, Ibid.

IX. „ Rescripsi, fili carissime, inquit S. Cyprianus „ ad Magnum, ad litteras tuas quantum parva nostra „ mediocritas valuit, & ostendi quid nos quantum in „ nobis est sentiamus, *Nemini præscribentes, quominus „ statuat quid putat unusquisque Præpositus*, actus sui „ rationem Domino redditurus „. Ex quibus eruitur, Divum Cyprianum non propugnasse laudatam sententiam uti fidei veritatem, quæ indubia Ecclesiæ auctoritate fulciretur; secus Episcopi omnes, omnesque fideles eidem subscribere necessario debuissent. Illud autem optarem, ut certo innotesceret, quanam præcise de caussa nonnulli dubitaverint de validitate baptismi Clinicorum; num scilicet quia infusione aut aspersione conferebatur; vel propter dispositiones Clinicorum, qui negligentes seipsos prodiderant in propria æterna salute procuranda, cum ad mortis articulum baptismum protenderent, & quidem sæpe ut liberius possent vitiis indulgere. Ego equidem credo, hac proprie de caussa nonnullos de Clinicorum baptismo aliquam habuisse suspicionem, cum aliunde in Evangelio non designetur modus, quo Sacramentum hoc conferri debet; num immersione scilicet, vel infusione, aut aspersione. Quidquid tamen de hoc sit, illud certum indubitatumque est, Divum Cyprianum approbare Baptismum, quocunque tandem ex tribus recensitis modis conferatur; quinimmo, Sanctum hunc Doctorem hanc suam sententiam habere uti veritatem a fide ipsimet inspiratam. Animadvertamus etiam obiter, juxta mentem Sancti hujus Episcopi, fidem supplere posse omnibus defectibus, qui in administratione Sacramentorum occurrunt, quando non agatur de rebus ad Sacramentorum essentiam pertinentibus; & insuper supplere etiam defectus in rebus essentialibus, in solo tamen casu necessitatis: *In Sacramentis salutaribus*, inquit ille, *necessitate cogente . . . . totum credentibus conferunt divina compendia*. Menti exciderat referre, Divum Cyprianum exprobrare iis, qui aliter ab ipso sentiebant circa baptismum hæreticorum, exprobrare inquam, quod a sua sententia quoad baptismum Clinicorum in Ecclesia collatum recederent, dum interim non inquirebant num hæretici, quos rebaptizare nolebant, Clinici essent nec ne. Cæterum, optimum erit animadvertere, Clinicos olim ad Sacerdotium admissos non fuisse, ut constat ex Canone duodecimo Concilii Neocæsariensis; & vitium hoc irrepsisse in ordinatione Novatiani, quemadmodum refert Cornelius Papa in sua epistola ad Fabium Antiochenum Episcopum, quam perhibet Eusebius Historiæ Ecclesiasticæ lib. 6. cap. 43.

pag. 299.

pag. 298.

X. Quoad formam Baptismi, vel ipsa meridiana luce clarius est, Divum Cyprianum, cum aliis omnibus Ecclesiæ Patribus, tradere, hanc positam esse in invocatione trium Personarum Sanctissimæ Trinitatis. Id formaliter asserit in sua epistola ad Jubajanum, hisce verbis. *Dominus post resurrectionem Discipulos suos mittens, quemadmodum baptizare deberent instituit & docuit, dicens . . . . ite ergo, & docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris & Filii & Spiritus Sancti*. Quibus verbis, subjungit Sanctus Doctor, Christus Dominus *insinuat Trinitatem, cujus Sacramento gentes baptizarentur*. Et infra hæc habet: *Quando ipse Christus gentes baptizari jubeat in plena & adunata Trinitate*. Hæc est una ex principalioribus caussis, ob quas Sanctus iste Episcopus, sicuti alibi jam animadvertimus, rejiciebat baptismum Patripassianorum aliorumque hæreticorum, qui Trinitatem non confitebantur: immo tuetur, hanc Trinitatem adeo essentialem esse Baptismo, ut nec baptismum in nomine Jesu Christi collatum velit approbare; ut videre est in eadem ejus epistola ad Jubajanum. Loquitur utique eo loco de Baptismo ab hæreticis ministrato; verum quantum par est deprehenditur, eundem Sanctum Doctorem in genere improbare hunc Baptismum tam in Catholicis, quam in Hæreticis: siquidem ut doctrinam suam tueatur, hoc validissimo momento utitur, quod scilicet ex Christi Domini mandato Sacramentum hoc conferri debet in nomine Trinitatis: quod quidem momentum hæreticos æque ac Catholicos urget.

Forma Baptismi habetur in invocatione trium Divinarũ Personarũ. Epist. 73. pag. 307.

Ib. p. 311.

XI. Jus baptizandi, juxta S. Cyprianum, ordinarie loquendo residet penes Episcopos, ut aperte insinuat hisce verbis: *Nos, de divino permissu, rigamus sitientem Dei populum, nos custodimus terminos vitalium fontium*. Deinde subdit: *Possessionis ergo nostræ jus tenemus*. Vide insuper hac de re præfationem ejusdem Divi Cypriani in Tractatum de Exhortatione ad Martyrium, pag. 118. Verum in dubium revocari nequit, ipsius ætate idipsum juris fuisse penes Presbyteros etiam & Diaconos, ut clarissime eruitur ex verbis, quæ allatum textum præcedunt; quinimmo & penes laicos, in casu necessitatis, uti vidimus ex Tertulliano, quem S. Cyprianus Magistrum suum appellabat. Nunc vero videamus quænam præcise esset sententia Sancti Cypriani, & Sancti Stephani quoad baptismum Hæreticorum.

Ministri Baptismi. Epist. 73. pag. 304.

XII. Quod spectat Divum Cyprianum, aliosque cum ipso sentientes, asserebant ipsi, baptisma collatum ab hæretico, vel schismatico, sive Ecclesiæ forma servata fuisset, sive omissa; hoc, inquam, baptisma esse nullum, & rebaptizandos eos esse, qui hoc pacto fuerant baptizati. Perlegantur hoc de re ejus epistolæ ad Magnum, Jubajanum, Pompejum, S. Stephanum, aliosque. Videtur utique in sua ad Jubajanum epistola arctare rebaptizationem ad eos tantum hæreticos, qui errabant circa mysterium Trinitatis; quin immo videtur concedere, & ab his pariter legitimum baptisma conferri, si confitentur cum Catholicis eundem Patrem, eundem Filium, eundem Spiritum Sanctum: *Si eundem Patrem*, verba ejus sunt, *eundem Filium, eundem Spiritum Sanctum, confitentur nobiscum Patripassiani, & cætera hæreticorum pestes . . . . potest illic & baptisma unum esse, si est & fides una*: verum alibi in genere asserit, neminem extra Ecclesiam baptizari posse, cum in Ecclesia unum sit baptisma: *Neminem foris baptizari extra Ecclesiam posse, cum sit baptisma unum in sancta Ecclesia constitutum*. Deinde subdit quæ sequuntur: Quomodo baptizans dare alteri remissam peccatorum potest, qui ipse sua peccata deponere extra Ecclesiam non potest? . . . Nec unctio spiritalis apud hæreticos potest esse, quando constet oleum sanctificari & eucharistiam fieri apud illos omnino non posse . . . . Quis autem potest dare quod ipse non habeat, aut quomodo potest spiritalia agere qui ipse amiserit Spiritum Sanctum? Tandem S. Cyprianus appellat falsum & inutile quidquid peragitur apud hæreticos. Ex quibus loquendi formulis non sine fundamento eruimus, Divum Cyprianum ademisse omnibus in genere hæreticis potestatem baptizandi. Rejicit insuper in particulari baptismum Novatianorum, etsi idipsum ac Catholici sentirent circa Mysterium Trinitatis; atque, id nihil illis prodesse, eosque legitime baptizare non posse, sicuti legitime baptizare non possunt hæretici, qui hoc mysterium non agnoscunt: *Quod vero eundem quem & nos Patrem, eundem Filium, eundem Spiritum Sanctum nosse dicuntur, nec hoc*

Opinio D. Cypriani quoad Baptismũ hæreticorum.

Epist. 71. pag. 327.

Epist. 70. Pag. 300.

Epist. 69. Pag. 296.

adju-

III. SAECULUM.

adjuvare tales potest &c. Vide etiam hac de re S. Firmilianum, & Concilium Carthaginiense propter hoc hæreticorum baptisma coadunatum.

Opinio S. Stephani.

XIII. Non æque facile est determinare sententiam Sancti Stephani. Dominus Dupinius (*a*) suscipit partes Divi Cypriani, qui autumat, Sanctum Stephanum asseruisse validitatem baptismi omnium hæreticorum; Scriptores plurimi, præcipue inter hæterodoxos, hanc opinionem amplexi sunt; & inficiari nemo potest, quod si stare velimus Divo Cypriano, & epistolæ Firmiliani, opinio hæc satis probabilis erit. Verum naturalis æquitas postulat, ut hac in re non attendamus testimonia adversariorum S. Stephani. Nonne enim melius est fidem præstare Eusebio, Divo Augustino, Vincentio Lirinensi, & Facundo Episcopo Hermianensi, qui, quidquid dicat S. Cyprianus, certiores nos reddunt, Stephanum Papam pro Ecclesiæ sententia stetisse? Et re quidem vera, mirabile dictu esset, si Ecclesia propter hanc disputationem in duas partes scissa, neutra pars veritatem propugnasset. Vide Tillemontium (*b*) & Patrem Alexandrum. (*c*) Cæterum fateri opus est, S. Cyprianum hujusce opinionis primum architectum haudquaquam fuisse; nec credere debemus, ipsius ætate cœptum esse dubitari de validitate baptismi hæreticorum. Agrippinus, Divi Cypriani prædecessor, mandaverat in quodam Concilio hanc rebaptizationem, & deinceps consuetudo hæc ad unguem observata fuerat in Ecclesia Africana. Sed de celeberrima hac Disputatione hæc dicta sint satis.

Effectus Baptismi. Epist. 74. pag. 316.

XIV. Præcipui Baptismi effectus sunt sequentes. Vetus homo in Baptismo moritur, & novus homo nascitur: *In quo homo vetus moritur, & novus nascitur.* Omnia peccata, antequam hoc Sacramentum recipiatur contracta, Sanguine Jesu Christi abluuntur. *Nam illa (delicta quæ fuerant ante contracta) Christi Sanguine & sanctificatione purgantur.*

Tract. de Eleem. Pag. 137.

Diabolus in sanctis aquis Baptismi suffocatur, sicuti Pharao in mari rubro submersus fuit & extinctus: & ejusdem diaboli nequitia usque ad salutare hoc lavacrum valet, & in his aquis vetustissimi serpentis venenum omnem vim suam amittit: *Diaboli nequitiam pertinacem usque ad aquam salutarem valere, in baptismo vero omne nequitiæ suæ virus amittere.*

Epist. 69. Pag. 298.

Omnes quidem, inquit alio loco Sanctus Doctor, *qui ad divinum munus & patrium baptismi sanctificatione perveniunt, hominem illic veterem gratia lavacri salutaris exponunt, & innovati Spiritu Sancto, a sordibus contagionis antiquæ iterata nativitate purgantur.*

Tract. de Habitu Virgin. p. 74.

Et quod majus est, in secunda hac nativitate Dei filii efficimur: *Homo novus & renatus, & Deo suo per ejus gratiam restitutus, Pater, primo in loco dicit; quia filius esse jam cœpit.* Hi sunt igitur effectus Baptismi; peccatorum remissio, liberatio a servitute dæmonis, mors veteris hominis, nativitas novi, & inter Dei filios adnumeratio.

Baptismus imprimit characterem. Epist. 69. Pag. 298.

XV. Sacramentum hoc, juxta Divum Cyprianum imprimit characterem, quoniam iterari non potest, si quando in Ecclesia legitime collatum sit. Id tradit expresse Sanctus Doctor cum de iis sermonem habens qui per infusionem baptizati fuerant, ait, quod si isti vere baptizati non sunt, rebaptizari debent cum convaluerint. *Si autem*, illico subjungit, *baptizari non possunt, qui jam baptismo ecclesiastico sanctificati sunt; cur in fide sua scandalizentur?* Certum igitur indubitatumque erat apud Divum Cyprianum, verum baptismum iterari non posse, ideoque baptismum imprimere characterem qui deleri non potest. Hinc quando loquitur Sanctus Doctor de rebaptizatione hæreticorum, in eo totus est semper, ut ostendat, hac unica de caussa præfatam opinionem a se propugnari, quia baptismus hæreticorum nullius roboris est. Hinc non semel scribit, eos qui ab hæreticis baptizati sunt, proprie apud Catholicos non rebaptizari, sed simpliciter baptizari.

Epist. 70. Pag. 301.

„ Baptizandus est, inquit ille in sua epistola ad Januarium, & cæteros Episcopos Numidas, „ qui ad Ecclesiam venit „. *Nos autem dicimus*, habet alio loco, *eos qui inde veniunt* (scilicet qui recedunt ad hæreticis, ut veniant ad Ecclesiam), *non rebaptizari apud nos, sed baptizari.* „ Neque enim accipiunt illic aliquid ubi nihil est; sed veniunt ad „ nos ut hic accipiant ubi & gratia & veritas omnis „ est, *quia & gratia, & veritas una est.*

Epist. 71. Pag. 302.

Divus Cyprianus nõ sentit baptizandos esse iterũ hæreticos, qui in Ecclesia baptismum suscepe-

XVI. „ Quoad illos vero qui dicunt, prosequitur „ Sanctus Episcopus verba faciens de S. Stephano „ ejusque asseclis, se in hoc veterem consuetudinem „ sequi, quia veteres non baptizabant eos, qui baptizati prius fuerant, & ab Ecclesia recesserant ut schisma vel hæresim efformarent; non baptizabant in„ quam, si quando ad Ecclesiam reverterentur, & „ pœnitentiam agerent; nulla inter nos contentio est, „ inquit Sanctus Doctor; *Quod nos quoque hodie obser„ vamus, ut quos constet hic baptizatos esse, & a nobis ad hæreticos transisse*, si postmodum peccato suo „ cognito, & errore digesto ad veritatem & matricem „ redeant, *satis sit in pœnitentiam manum imponere*: „ ut quia ovis jam fuerat, hanc ovem abalienatam „ & errabundam in ovile suum Pastor recipiat. Si „ autem qui ab hæreticis venit, baptizatus in Ecclesia „ prius non fuit, sed alienus in totum & profanus „ venit, *baptizandus est ut ovis fiat, quia una est aqua „ in Ecclesia Sancta, quæ oves faciat*„.

III. SAECULUM. rant. Ibid. Pag. 301.

Credidit igitur S. Cyprianus, ut constat ex his quæ diximus modo, baptismum in Ecclesia collatum nunquam amitti posse, & nunquam esse iterandum. Illi qui, postquam hoc pacto baptizati fuerint, hæresim amplectuntur, baptismum extra Ecclesiam secum portant; & hoc modo eorum baptisma ab Ecclesia separatum manet, quidquid dicat Sanctus Doctor in sua epistola ad Jubajanum, in qua tradit, baptismum & Ecclesiam separari non posse ab invicem; quod quidem conciliari non potest cum his quæ exscripsimus ex ejus epistola ad Quintum. Quam contradictionem in Divo Cypriano S. Augustinus deprehendit.

Epist. 73. Pag. 313.

Baptismus parvulorũ. Epist. 64. Pag. 279. & 280.

XVII. Secundum Sanctum hunc Carthaginiensem Episcopum, Baptismi gratia omnibus indiscriminatim concedenda est, absque ulla ætatis distinctione, nec expectata octava die, juxta legem veteris Circumcisionis. Id perspicue docet in sua Epistola ad Fidum, qui autumabat, octavam diem esse attendendam: S. Cyprianus eidem declarat, se suosque confratres, qui Concilio affuerunt numero LXVI. ut initio illius Epistolæ legitur, hoc judicium tulisse, quod scilicet nulli hominum nato misericordia Dei & gratia deneganda sit: *Universi .... judicavimus, nulli hominum nato misericordiam Dei & gratiam denegandam*: dona Dei æque efficere infantes ac majores natu: *Esse apud omnes sive infantes, sive majores natu, unam divini muneris æqualitatem*: Spiritum Sanctum, non de mensura, sed de pietate atque indulgentia paterna æqualiter omnibus præberi; non esse apud Deum acceptionem ætatis vel personarum, & præbendo omnibus cœlestem suam gratiam, esse æqualiter omnium patrem: *Nam Deus, ut personam non accipit, sic nec ætatem; cum se omnibus ad cœlestis gratiæ consecutionem, æqualitate librata, præbeat patrem.*

Ib. p. 281.

Objecta adversus baptismũ parvulorum, quæ Divus Cyprianus resolvit. Ibid.

XVIII. Objiciebatur primo, Vestigium infantis in primis partus sui diebus constituti mundum non esse; quod unusquisque adhuc horreat exosculari: Verum S. Cyprianus sic respondet: *Nec hoc putamus ad cœlestem gratiam dandam impedimento esse oportere; scriptum est enim: Omnia munda sunt mundis.* Nec aliquis nostrum, prosequitur Sanctus Martyr, id debet horrere quod Deus dignatus est facere. Nam etsi adhuc infans a partu novus est, non ita est tamen, ut quisquam illum in gratia danda, atque in pace facienda horrere debeat osculari, quando in osculo infantis unusquisque nostrum pro sua religione ipsas adhuc recentes Dei manus debeat cogitare, quas in homine modo formato, & recens quodam modo exosculamur quando id quod Deus fecit amplectimur. 2°. octavam saltem diem attendendam esse, ad imitationem circumcisionis judaicæ: Sed spiritalis circumcisio, respondet S. Cyprianus impediri non debet carnali circumcisione, sed omnis omnino homo admittendus est ad gratiam Christi, cum & Petrus in Actis Apostolorum loquatur & dicat: (*d*) Dominus mihi dixit, neminem hominem communem dicendum & immundum. Cæterum si homines impedire aliquid ad consecutionem gratiæ posset, magis adultos & provectos & majores natu possent impedire peccata graviora. Porro autem, si etiam gravissimis peccatoribus, & in Deum multum ante peccantibus, cum postea crediderint, remissa peccatorum datur, & a baptismo atque a gratia nemo prohibetur, quanto magis prohiberi non debet infans &c. Et idcirco hæc fuit in Concilio nostra sententia, concludit S. Cyprianus, a baptismo & gratia Dei neminem debere prohiberi: quod cum circa universos observandum sit atque retinendum, *Tum magis circa infantes ipsos & recens natos observandum putamus, qui hoc ipso de ope nostra ac de divina misericordia plus merentur, quod in primo statim nativitatis suæ ortu plorantes ac flentes, nihil aliud faciunt quam deprecantur.*

Baptismus Adultorũ. Ibid.

XIX. Haud facilis erat S. Cyprianus in concedendo adultis baptismo, nec patiebatur eos ad hoc Sacramentum

(*a*) Biblioth. Scriptor. Ecclesiast. Tom. I. pag. 404. & 485.
(*b*) Hist. Eccle. Tom. IV. Not. 39. p. 626. 627. & 628.
(*c*) Tom. III. in fol. pag. 506. Differt. 14.
(*d*) Cap. 10. verf. 28.

III. Sæculum.

mentum recipi, nisi nostrorum Mysteriorum fidem tenerent: *Cum postea crediderint*, inquit ille in eadem epistola ad Fidum: hinc aliquid temporis requirebatur, ut sufficienter instruerentur qui baptizari cupiebant. Perperam autem eidem oppositum fuisset, hoc modo periclitari salutem Catechumenorum, si ex hac vita decessissent non loti; nam absque ullo dubio id reposuisset, quod ajebat S. Firmilianus socius ac familiatissimus suus de hæreticis, ad Ecclesiam venientibus sine baptismo; hos videlicet haberi in eorum numero qui catechizati quidem sunt, sed prius quam baptizarentur, obierunt; qui non modo dicunt emolumentum veritatis & fidei ad quam relicto errore pervenerunt, sed insuper ejus virtutem receperunt, etsi consummationem gratiæ consecuti non sunt morte præventi. Credebat igitur Firmilianus, sicuti credidit semper docuitque Ecclesia, solo desiderio baptismi, in casu necessitatis, salutem obtineri posse.

Epist. 75. pag. 325. & 326.

Baptismus Sanguinis. Epist. 57. pag. 253.

XX. Proferenda nunc essent quæ docet S. Cyprianus de cæremoniis Baptismi, nisi in animo esset eadem proferre cum de Disciplina disseremus. Itaque dum huic argumento finem imponimus, id unum Lectori observandum proponimus, Divum Cyprianum duplex Baptisma distinguere, aquæ videlicet, & sanguinis. De primo quantum par est verba jam fecimus; secundi vero meminit idem Sanctus Martyr epistola 57. quæ est ad Cornelium Papam, & celeberrima epistola ad Jubajanum; ibi enim magnopere elevat virtutem hujus Baptismatis, ut ex sequentibus formulis perspicue deprehenditur: *Gloriosissimo & maximo sanguinis baptismo*. Et in Tractatu de Unitate Ecclesiæ, ut ostendat quale crimen sit separari ab Ecclesia, exclamat: „ Tales etiamsi occisi in confessione nominis fuerint, macula ista nec sanguine abluitur. Inexpiabilis & gravis culpa discordiæ, nec passione purgatur „. De eodem Baptismo sermonem habens in præfatione Exhortationis ad Martyrium, inquit: *Baptisma* (sanguinis) *in gratia majus, in potestate sublimius, in honore pretiosius*: baptisma, in quo Angeli baptizant, in quo Deus & Christus ejus exultant, post quod nemo jam peccat, quod fidei nostræ incrementa consummat, quod nos de mundo recedentes statim Deo copulat. *In aqua baptismo*, prosequitur Sanctus Doctor, *accipitur peccatorum remissio; in sanguinis baptismo corona virtutum*.

Epist. 73. pag. 312.

Præfat. Tractat. de Exhortat. ad Martyr. p. 118.

Sacramentum Confirmationis. Epist. 73. pag. 308. & 309.

XXI. Unum verbum de Sacramento Confirmationis dicendum superest. Siquidem S. Cyprianus disserens de impositione manuum Apostolorum super Samaritanos a Diacono Philippo jam baptizatos, inquit: *Quod nunc quoque apud nos geritur, ut qui in Ecclesia baptizantur, præpositis Ecclesiæ offerantur, & per nostram orationem ac manus impositionem Spiritum Sanctum consequantur, & signaculo dominico consummentur*. Ex quo testimonio eruitur 1°. Materia Sacramenti Confirmationis, quæ est impositio manuum. 2°. ejus forma, quæ consistit in oratione Episcopi, 3°. hujus Sacramenti Minister, qui est Episcopus. 4°. Confirmationem imprimere characterem, quoniam S. Cyprianus eandem appellat *Signaculum Dominicum*. Firmilianus loquitur pariter de hoc Sacramento in sua ad Divum Cyprianum epistola, illudque designat nomine impositionis manuum, quæ juxta ipsum ad Episcopos spectat. Loquitur etiam Divus Cyprianus de quadam impositione manuum, quæ propria erat Sacramenti Pœnitentiæ; sed hæc manuum impositio diversa erat ab illa Confirmationis. Anne idipsum dici posset de impositione manuum facta super hæreticos & schismaticos ad Ecclesiam reversos? Hæc quæstio nullo negotio dissolvitur, eodem Divo Cypriano testante, & quidem post S. Stephanum Papam, cujus citat verba, hanc fieri consuevisse in pœnitentiam: *Manus imponatur in pœnitentiam*. Vide hac de re ejus epistolam ad Pompejum, quæ est 74. pag. 314. aliasque ejus epistolas, in quibus de hac praxi sermonem habet.

Epist. 75. pag. 322.

Epist. 72. pag. 305. & alibi.

ARTICULUS SECUNDUS.

De Eucharistia.

I. PRæclarissima sunt & apprime accurata quæ docet S. Cyprianus de Eucharistia, quam perhibet nobis ut Sacramentum, & ut Sacrificium. Primo igitur asserit, Eucharistiam esse Sanctum Domini, esse corpus & sanguinem Jesu Christi. Siquidem sic seipsum exprimit in suo Tractatu *de Lapsis*, ibi enim conqueritur, quod qui lapsi sunt, *A diaboli aris ad Sanctum Domini accedunt. Mortiferos idolorum cibos adhuc pene ructantes ..... Domini corpus invadunt*: & tandem, quod contemnentes auctoritatem Scripturæ, vim inferunt corpori & sanguini Jesu Christi &c. *Vis infertur corpori ejus & sanguini; & plus modo in Dominum manibus atque ore delinquunt, quam cum Dominum negaverunt.*

Eucharistia est Sanctum Domini. Tract. de Lapsis. pag. 92.

Eucharistia comprehendit corpus & sanguinem Jesu Christi. Ibid.

III. Sæculum.

II. Iisdem loquendi formulis utitur insuper S. Cyprianus quoad Eucharistiam in quadam sua epistola ad Cornelium Papam, in qua postquam purgavit Ecclesiæ praxim, imponendi scilicet tantam peccatoribus pœnitentiam, quantam æquum esse existimabat, & quidem antequam ad participationem Sacrorum Mysteriorum admitterentur, hæc subjungit: *Ut quos excitamus & hortamur ad prælium, non inermes & nudos* (tempore persecutionis) *relinquamus; sed protectione sanguinis & corporis Christi muniamus*. „ Nam quomodo docemus, inquit Sanctus Episcopus paucis interjectis, „ aut provocamus eos in confessione nominis sanguinem suum fundere, si eis militaturis Christi sanguinem denegamus? Aut quomodo ad martyrii poculum idoneos facimus, si non eos prius ad bibendum in Ecclesia *Poculum Domini* jure communicationis admittimus?

I Sequitur idem argumentum. Epist. 57. pag. 253.

III. In sua ad Thibaritanos epistola hortatur eosdem, ut sumant arma cœlestia & spiritalia: his nos muniamus, inquit ille; induamus loricam justitiæ; portemus fortiter scutum fidei; accipiamus quoque ad tegumentum capitis galeam salutarem; armemus & dexteram gladio spiritali, ut sacrificia funesta fortiter respuat: *& Eucharistiæ memor* (manus) *quæ Domini corpus accepit, ipsum complectatur postea a Domino sumptura præmium cœlestium coronarum*. Firmilianus eundem hunc contactum corporis & sanguinis Domini in Eucharistia fatetur in sua epistola ad S. Cyprianum, quæ est contra epistolam S. Stephani Papæ. Siquidem sermonem habens de hæreticis, qui in Ecclesiæ sinum recipiebantur absque eo quod iterum baptizarentur, hæc habet: „ Cæterum, quale delictum est, vel illorum „ qui admittunt, vel eorum qui admittuntur, *Ut . . . contingant corpus & sanguinem Domini*?

Sequitur idem argumentum. Epist. 58. pag. 258.

Epist. 75. pag. 326.

IV. Tandem ne lectori molesti simus innumera afferendo testimonia S. Cypriani, qui appellat Eucharistiam Corpus & Sanguinem Jesu Christi, carnem Salvatoris, cœleste alimentum; unum solummodo exscribemus ex ejus Tractatu de Lapsis; ibi siquidem Jesu Christi Confessores alloquens hæc habet: *Sanctificata ora cœlestibus cibis, post corpus & sanguinem Domini, profana contagia & idolorum reliquias respuerunt*. Quæ quidem loquendi formulæ perspicuæ adeo sunt, & tanta donantur præcisione, ut, quæcumque tandem violentia adhibeatur, modo a recta ratione non recedamus, fieri nequeat quin præsentiam realem designent. Etenim non aliis utimur etiamnum hodie formulis ad significandam præsentiam realem Jesu Christi in Sacramento Cœnæ. Si igitur easdem voces adhibuit antiquitas de Eucharistia disserens, cur nos non easdem sed diversas ideas illis vocibus aptabimus? Num aliquo, vel levissimo fundamento credere possumus, Divum Cyprianum, ut de illo in particulari loquamur, designare voluisse solam figuram corporis & sanguinis Jesu Christi?

Sequitur idem argumentum. Tract. de Lapsis. Pag. 87.

V. Immo idem Sanctus Doctor nonnulla refert exempla, quæ Novatorum opinionem validissime oppugnant. Parvula quædam puella panem mero mixtum, quod de immolatione idolis facta supererat, comedit: sed puella ista mixta cum Sanctis, precis & orationis impatiens, nunc ploratu concuti, nunc mentis æstu cœpit fluctuabunda jactari, & velut terrore cogente, quibus poterat indiciis conscientiam facti in simplicibus adhuc annis rudis anima fatebatur. Ubi vero solemnibus adimpletis calicem Diaconus offerre præsentibus cœpit, & accipientibus cæteris locus ejus advenit, faciem suam parvula instinctu divinæ majestatis avertere, os labiis obturantibus premere, calicem recusare. Perstitit tamen Diaconus, & reluctanti licet de Sacramento Calicis infudit. Tunc sequitur singultus, & vomitus. *In corpore atque ore violato*, subdit idem Sanctus Cyprianus, *Eucharistia permanere non potuit*. *Sanctificatus in Domini sanguine potus de pollutis visceribus erupit; tanta est potestas Domini, tanta majestas*. Sunt igitur in Eucharistia & potestas, & majestas Jesu Christi: cur non pariter ejus realis præsentia? Cur hæc Domini potestas ac majestas separantur ab ipsa Salvatoris persona? Animadvertendum autem est, id contigisse coram eodem S. Cypriano; *Præsente ac teste me ipso*; & infra: *Sacrificantibus nobis*.

Historia miraculi præterea circa Eucharistiam. Ibid. p. 94.

VI. Alia vero ætate provecta, & in annis adultioribus constituta, quæ eodem patrato crimine ad Eucharistiam accessit, non cibum, sed gladium sibi sumens, & velut quædam venena lethalia intra fauces & pectus admittens, angi & anima exæstuante concludi postmodum cœpit. Et pressuram non jam persecutionis, sed delicti sui passa, *Palpitans & tremens concidit. Impunitum diu non fuit*, subjungit Sanctus Doctor, *nec occultum dissimulatæ conscientiæ crimen. Qua fefellerat hominem, Deum sensit ultorem*. Cujus facti seipsum testem perhibet S. Cyprianus: ait enim, *Sacrificantibus nobis*.

Alia historia circa idem argumentum. Ibid.

VII. En tertium exemplum æque notabile. Cum quæ-

Alia historia circa idem argumentũ. *Ibid.*

quædam ; verba sunt Sancti hujus Episcopi, *Arcam suam, in qua Domini Sanctum fuit*, manibus indignis tentasset aperire, *igne inde surgente deterrita est, ne auderet attingere*. Ex quibus, præter præsentiam realem, eruitur, in initiis Christianæ Religionis unumquemque in domum suam tulisse Eucharistiam, ut indigitant hæc verba *arcam suam*; necnon præsentiam realem non arctari ad solam sumptionem specierum Sacramentalium, uti inter Novatores quidam opinati sunt; sed tamdiu permanere, quamdiu species subsistunt. Colligitur pariter ex hac historia, Communionem sub una specie locum habuisse etiam Divi Cypriani ætate.

Aliud miraculum circa Eucharistiã. *Ibid.*

VIII. Narrat insuper idem Sanctus Episcopus, quod quidam alius, quia & ipse maculatus, sacrificio a Sacerdote celebrato, partem cum cæteris ausus est latenter accipere, *Sanctum Domini edere & contrectare non potuit; cinerem ferre se apertis manibus invenit*. Perpendenda sunt hæc verba, *Sanctum Domini edere & contrectare*. Igitur Sanctum Domini contrectamus, & edimus in Cœna, minime vero figuram corporis Jesu Christi. Quid satis validi reponere possint Calvinistæ omnibus hisce auctoritatibus, ignorare me fateor: quæ quidem auctoritates eo magis urgent, quo innituntur factis publicis atque notoriis, quæque coram innumeris fidelibus ad sancti Sacrificii celebrationem coadunatis contigerunt.

Animadversio Divi Cypriani quoad postremũ hoc miraculum. *Ibid.*

IX. In postremum hoc exemplum, illud animadvertit S. Cyprianus, quod æque ac ipsum exemplum Calvinistas oppugnat. *Documento unius ostensum est*, inquit ille, *Dominum recedere, cum negatur . . . quando gratia salutaris in cinerem, sanctitate*, (hoc est Jesu Christo) *fugiente, mutetur*. Dixi, nomine Sanctitatis intelligendum esse ipsum Jesum Christum, quem Sanctus Doctor alibi appellat *Sanctum Domini*, quemadmodum superius vidimus. Si hoc verum est, Jesus Christus recessit ab Ostia, de qua locuti sumus: sed nemo recedere potest a loco, in quo antea non erat: ergo Jesus Christus in laudata Ostia præsens erat.

Panis & vinum materia Eucharistiæ. *Epist. 63. pag. 276. & 277.*

X. Quoad materiam Eucharistiæ nullo negotio ex Divo Cypriano hæc deprehenditur, etiamsi sola apud nos extaret ejus epistola ad Cæcilium de Sacramento Dominici Calicis: ibi enim aperte declarat, Sacrificium Jesu Christi, hoc est Sacrificium Altaris de quo loquitur tota illa epistola, præfiguratum esse in Melchisedech offerente panem & vinum: *In Sacerdote Melchisedech, sacrificii Dominici Sacramentum præfiguratum videmus, secundum quod Scriptura Divina testatur & dicit: Et Melchisedech, Rex Salem, protulit panem & vinum; fuit autem Sacerdos Dei summi*: ait insuper, Jesum Christum idem Sacrificium Patri suo obtulisse: *Qui* (Dominus noster Jesus Christus) *Sacrificium Deo Patri obtulit, & obtulit hoc idem, quod Melchisedech obtulerat, idest panem & vinum, suum scilicet corpus & sanguinem*: tandem, imaginem hujus Sacrificii in pane & vino præcessisse; & Christum Dominum deinceps hanc oblationem perfecisse: *Præcedit ante imago sacrificii Christi, in pane & vino scilicet constituta; quam rem perficiens & adimplens Dominus, panem & calicem mixtum vino obtulit, & qui est plenitudo, veritatem præfiguratæ imaginis adimplevit*. Perjucundum sane est Ecclesiæ Catholicæ, Sanctos Patres loqui non posse de Eucharistia, quin veritatem præsentiæ realis validissime asserant & tueantur. Asserit siquidem & validissime reipsa tuetur hoc loco S. Cyprianus, cum ejus verba rationabiliter intelligi nequeant, nisi intelligantur de veritate corporis & sanguinis Jesu Christi in Sacrificio Altaris. Quid enim singulare habet Sacrificium altaris, quid abundantius Sacrificio Melchisedech, si utrumque solam figuram præseferunt corporis & sanguinis Jesu Christi? Num dici poterit, Salvatorem veritatem illam adimplevisse, cujus figura erat sacrificium Melchisedech, si in Sacrificio Altaris nil præter panem & vinum habetur? Quacumque prærogativa aliunde donetur, ut sacrificio Melchisedech augustius ostendatur, meræ figuræ naturam nunquam amittet, nunquam veritas evadet. Vel igitur loquitur hoc loco Divus Cyprianus de veritate corporis & sanguinis Jesu Christi, vel non ratiocinatur. Postremum hoc nec vel ipsi nostri adversarii dicere audebunt: dicant ergo primum, & a Sancto Doctore discant ratiocinari.

Necessario requiritur vinum ad consecrationemCalicis. *Ibid. pag. 276.*

XI. Ipsius ætate quidam Episcopi, sive ignoranter, sive simpliciter solam aquam in calice ponebant: Verum Sanctus Cyprianus absolutam vini necessitatem sequentibus momentis tuetur. 1°. quia Christus Dominus obtulit calicem vino mixtum. 2°. quia Christus appellat seipsum vitem: igitur sanguis Christi non est aqua, sed vinum: *Sanguis Christi non aqua est utique, sed vinum. Nec potest videri sanguis ejus, quo redempti & vivificati sumus, esse in calice, quando vinum desit calici, quo Christi sanguis ostenditur*. 3°. Sanguis Christi præsignatus fuit in vino, quo Noe inebriatus est. 4°. Melchisedech sacerdos Dei summus obtulit panem & vinum. 5°. Sapientia vinum mixtum declarat, idest calicem Domini aqua & vino mixtum prophetica voce prænuntiat. 6°. Messias, juxta Jacob vaticinium debebat in vino stolam suam lavare, & in sanguine uvæ amictum suum. 7°. Ejus vestimenta ab Isaia prædicta sunt rubicunda, & indumenta ejus velut a calcatione torcularis pleni & percalcati. „ Numquid rubicunda vestimenta, inquit S. Cyprianus, „ aqua potest facere, aut in torculari aqua est quæ „ pedibus calcatur, vel prælo exprimitur „? *Vini utique mentio ponitur, ut Domini sanguis intelligatur*. Alia profert testimonia ex veteri Testamento idem Sanctus Episcopus, quæ vini necessitatem in sacrificio altaris ostendunt. Videri hæc possunt in eadem epistola ad Cæcilium. Pag. 277. Pag. 279.

Difficultas deprompta ex D. Cypriano circa aquam, quæ in calice infunditur vino. *Ib. p. 280.*

XII. Fatetur nihilominus idem Sanctus Doctor, uti modo vidimus, etiam aquam in consecratione Calicis adhibitam fuisse; quin immo prima fronte videri posset, eum hac de re loquentem asseruisse aquam æque necessariam ac vinum: ait siquidem: *Sic autem in sanctificando calice Domini, offerri aqua sola non potest, quomodo nec vinum solum potest*; & paucis interjectis sic concludit: *Sic vero Calix Domini non est aqua sola, aut vinum solum, nisi utrumque sibi misceatur*. Augetur, saltem in speciem, difficultas hac paritate, quod scilicet panis esse non potest nec farina sola, nec aqua sola, sed utrumque requiritur adunatum & copulatum.

Resolvitur. *Ibid.*

XIII. Verum nullo negotio solvitur hæc difficultas, quæ illos solummodo terrere potest, qui hanc epistolam, ex qua difficultas eruitur, non perlegerint. Certum enim est, Sanctum Doctorem hoc loco sermonem habere de sanguine Jesu Christi sumpto secundum suum esse spirituale aut mysticum; minime vero secundum suum esse physicum aut reale. Quod quidem sic probatur. Primo enim, inquit Divus Cyprianus, aquam in Scripturis populos significare. „ Quod scilicet perspicimus, subjungit, & in Sacramento Calicis contineri „. *Videmus in aqua populum intelligi, in vino vero ostendi sanguinem Christi*. Quando autem in calice vino aqua miscetur, *Christo populus adunatur*. Deinde postquam verbum dixit de unione inseparabili quæ est inter Jesum Christum, & suam Ecclesiam, profert testimonium in objectione allatum, quod scilicet offerri aqua sola non potest, quomodo nec vinum solum: sed statim seipsum explicat inquiens: *Nam si vinum tantum quis offerat, Sanguis Christi incipit esse sine nobis*; Si vero aqua sit sola, plebs incipit esse sine Christo. Quod sane abunde est ut intelligamus, juxta Divum Cyprianum Salvatoris Sanguinem esse in Eucharistia independenter ab aqua, adeoque aquam non esse necessariam ad consecrationem hujus pretiosi sanguinis sumpti secundum suum esse physicum, sed solummodo secundum suum esse spirituale, quod consistit in unione populi cum Jesu Christo, quæ in calice representari nequit, quin vinum & aqua misceantur: *Quando autem utrumque miscetur*, inquit Sanctus Doctor, *tunc Sacramentum spiritale & cæleste perficitur*. Fateamur nihilominus, hanc consuetudinem ponendi aquam & vinum in calice, juxta Divum Cyprianum originem trahere a Jesu Christo; & hæc est communis Ecclesiæ opinio, uti declaravit Concilium Tridentium: (a) quo fit, ut hanc consuetudinem summa veneratione prosequi debeamus.

Effectus Eucharistiæ. *Epist. 57. pag. 252.*

XIV. Nunc vero de effectibus Eucharistiæ fit sermo. Eucharistia itaque fideles roborat adversus tentationes hujus vitæ; idque satis ostendit S. Cyprianus epistola 57. quæ est ad Cornelium Papam: nam ut demonstret, eos absolvendos esse, qui cum antea lapsi essent, nondum pœnitentiam impleverant appropinquante aliqua contra Ecclesiam persecutione, hæc habet: At vero nunc non infirmis, sed fortibus pax necessaria est, nec morientibus sed viventibus communicatio a nobis danda est; ut quos excitamus & hortamur ad prælium, non inermes & nudos relinquamus, sed protectione sanguinis & corporis Christi muniamus; & cum ad hoc fiat Eucharistia, ut possit accipientibus esse tutela, quos tutos esse contra adversarios volumus, munimento Dominicæ securitatis armemus. Nam quomodo docemus aut provocamus eos in confessione nominis sanguinem suum fundere, si eis militaturis Christi sanguinem denegamus? Aut quomodo ad martyrii poculum idoneos facimus, si non eos prius ad bibendum

(a) Session. 22. cap. 7.

bendum in Ecclesia poculum Domini jure communicationis admittimus. Hoc poculo hostias Deo & victimas præparamus. *Mens deficit, quam non recepta Eucharistia erigit & accendit.*

Sequitur idem argumentũ. Epist. 63. pag. 279.

XV. „ Calix Domini, inquit alio loco Divus Cyprianus, sic bibentes inebriat, *Ut sobrios faciat, ut mentes ad spiritalem sapientiam redigat, ut a sapore isto sæculari, ad intellectum Dei unusquisque resipiscat*: & quemadmodum vino isto communi mens solvitur, & anima relaxatur, & tristitia omnis exponitur, ita epotato sanguine Domini & poculo salutari, exponatur memoria veteris hominis, & fiat oblivio conversationis pristinæ sæcularis, & mœstum pectus ac triste, quod prius peccatis angentibus premebatur, divinæ indulgentiæ lætitia resolvatur „.

Sequitur idem argumentũ. Tractat. de Oration. Domin. pag. 104.

XVI. „ Hunc autem panem, (Eucharisticum scilicet) inquit Sanctus Doctor in Tractatu de Oratione Dominica, dari nobis quotidie postulamus, ne qui in Christo sumus, & Eucharistiam quotidie ad cibum salutis accipimus, intercedente aliquo graviore delicto, dum abstenti & non communicantes a cœlesti pane prohibemur, a Christi corpore separemur, ipso prædicante & monente: (a) Ego sum panis vitæ, qui de cœlo descendi: Si quis ederit de meo pane, vivet in æternum. Panis autem quem ego dedero, caro mea est pro sæculi vita. Quando ergo dicit in æternum vivere si quis ederit de ejus pane, ut manifestum est eos vivere, qui corpus ejus attingunt, & Eucharistiam jure communicationis accipiunt; ita contra timendum est & orandum, ne dum quis abstentus separatur a Christi corpore, procul remaneat a salute, comminante ipso & dicente: (b) Nisi ederitis carnem filii hominis, & biberitis sanguinem ejus, non habebitis vitam in vobis. Et ideo panem nostrum, concludit Sanctus Doctor, idest Cmillum dari nobis quotidie petimus, ut qui in Christo manemus & vivimus, a sanctificatione ejus & corpore non recedamus.

XVII. Verum ad fructuosam hujus Sacramenti participationem quædam requiruntur dispositiones, quemadmodum docet S. Cyprianus, immo ipsa docet Ecclesia. Hic panis vitæ dari non debet nisi iis, qui Baptismi innocentiam vel numquam amiserunt, vel amissam sincera pœnitentia repararunt. Conqueritur Divus Cyprianus in quibusdam suis epistolis, eo quod ætate sua oppositum perageretur, & ad sacrorum mysteriorum participationem admitterentur illi, qui post lapsum impositam pœnitentiam perfecte non impleverant: seductionem appellat hanc consuetudinem, & aperte declarat, hos, qui sic admittuntur, perire, &c. *Seducuntur ut magis pereant, & qui erigere se possint plus cadant.* „ Eucharistia illis datur, cum scriptum sit: (c) Qui ederit panem, aut biberit calicem Domini indigne, reus erit corporis & sanguinis Domini „.

Dispositiones ad sumendam Eucharistiam. Epist. 16. pag. 195.

XVIII. Conqueritur eodem modo in alia epistola contra quosdam Presbyteros & Diaconos, qui ipsius ætate hujusce generis pœnitentes reconciliare audebant, necnon sanctum Domini corpus profanare: *Sanctum Domini corpus profanare audeant.* „ Et lapsis quidem, inquit ille, potest in hoc venia concedi: quis enim non mortuus vivificari properaret? Sed Præpositorum est præceptum tenere, & vel properantes, vel ignorantes instruere, *Ne qui ovium pastores esse debent, lanii fiant. Ea enim concedere, quæ in perniciem vertant, decipere est, nec erigitur sic lapsus, sed per Dei offensam magis impellitur ad ruinam.*

Sequitur idem argumentũ. Epist. 15. pag. 193.

XIX. Eucharistia est cibus nimis solidus iis qui pœnitentiæ stadium percurrere debent, eorumque plagis cicatricem non inducit, sed vulnera auget; properata communionis remedia non solum nihil proficiunt ad salutem, sed nova vulnera veteribus vulneribus imprimunt. *Hoc non est curare*, inquit Clerus Romanus in quadam ad Divum Cyprianum epistola, *sed . . . occidere*. Deus utique ad convivium vocat, habet ibidem Clerus Romanus; sed habitum nuptiarum non habentem ligatis manibus & pedibus extra Sanctorum cœtum foras jactat. Paravit cœlum, sed paravit & tartarum. Paravit refrigeria, sed paravit etiam æterna supplicia. Hæc erat antiquorum doctrina quoad properatas communiones. Non uti remedium, sed uti venenum æquo jure habebantur: *Hoc non est curare, sed . . . occidere.*

Epist. 31. pag. 213.

Epist. 30. pag. 212.

XX. Idipsum repetit S. Cyprianus in suo Tractatu de Lapsis his verbis: A diaboli aris revertentes, ad Sanctum Domini sordidis & infectis nidore manibus accedunt. Mortiferos idolorum cibos adhuc pene ructantes, exhalantibus etiam nunc scelus suum faucibus & contagia funesta redolentibus, Domini corpus invadunt, quando occurrat Scriptura Divina, & clamet, & dicat: (d) Omnis mundus manducabit carnem, & anima quæcumque manducaverit ex carne sacrificii salutaris, quod est Domini, & immunditia ipsius super ipsum est, peribit anima illa de populo suo .... „ Jacens, inquit inferius idem Sanctus Doctor, stantibus & integris vulneratus minatur, & quod non statim Domini corpus inquinatis manibus accipiat, aut ore polluto Domini sanguinem bibat, Sacerdotibus sacrilegus irascitur. Atque o tuam nimiam, furiose, dementiam! Irasceris ei, qui abs te avertere iram Dei nititur; ei minaris, qui pro te Domini misericordiam deprecatur; qui vulnus tuum sentit, quod ipse non sentis; qui pro te lacrymas fundit, quas forsitan ipse non fundis. Oneras adhuc crimen & cumulas; & cum sis ipse implacabilis ad Antistites & Sacerdotes Dei, putas circa te Dominum posse placari „?

Tract. de Lapsis. pag. 92.

p. 93 & 94.

XXI. Superius jam retuli quædam terribilia exempla de indignis Communionibus. Illud solummodo hic addam quod docet S. Cyprianus in suo Tractatu de Oratione Dominica, graviora scilicet peccata prohibere nos ab Eucharistia, uti superius observavimus. Verum graviora hæc peccata non erant solummodo peccata enormia & publica, sed etiam peccata occulta, quæ in hominum oculis reputari poterant simplices defectus, ut erat libellum accipere ad vitandam persecutionem. Tradit S. Cyprianus, fideles de hoc pœnitentiam facere consuevisse; immo exomologesim Conscientiæ fecisse, si quando de hoc vel cogitaverunt. Ast hic articulus pœnitentiam respicit, de qua capite sequenti differemus.

Tract. de Orat. Domin. pag. 104.

Tract. de lapsis. pag. 99

XXII. Antequam huic capiti finem imponamus, ostendendum superest ex Divo Cypriano, Eucharistiam esse verum Sacrificium. Pluribus hujus Doctoris testimoniis superius demonstravimus orthodoxam ejus fidem quoad hanc veritatem: alia modo perhibemus, quæ idipsum confirmant. In quadam Epistola ad Lucium Papam hæc habet: „ Non cessamus *in Sacrificiis atque orationibus nostris* (de tuo adventu) Deo gratias agere „. Et ad Episcopos Numidas scribens, inquit: „ Ut autem fratres nostros ac sorores, qui ad hoc opus tam necessarium operati sunt, (loquitur de pecunia quam ab illis acceperat pro redemptione captivorum) in mente habeatis *in Orationibus, in sacrificiis, & precibus*, subdidi nomina singulorum „. In Epistola ad Cæcilium appellat Eucharistiam, Sacrificium Dei Patris, & Jesu Christi: *Si in Sacrificio Dei Patris, & Christi vinum non offerimus.* Et paulo supra habet: *Unde apparet . . . . nec Sacrificium Dominicum legitima sanctificatione celebrari, nisi oblatio & sacrificium nostrum responderit passioni.* Tradit insuper ibidem, Jesum Christum, qui est summus Pontifex Patris, omnium primum obtulisse hoc Sacrificium, & præcepisse hoc fieri in sui commemorationem: *Sacrificium Patri seipsum primus obtulit, & hoc fieri in sui commemorationem præcepit.* Deinde hæc subdit: *Utique ille Sacerdos vice Christi vere fungitur, qui id quod Christus fecit imitatur; & sacrificium verum & plenum tunc offert in Ecclesia Deo Patri, si sic incipiat offerre, secundum quod ipsum Christum videat obtulisse.* Tandem *Passionis ejus*, inquit, *mentionem in Sacrificiis omnibus facimus; passio est enim Domini Sacrificium quod offerimus.*

Eucharistia est Sacrificium. Epist. 61. pag. 271. Epist. 62. pag. 275.

Epist. 63. pag. 270.

Ib. p. 277.

Ib. p. 278.

XXIII. S. Cyprianus ait insuper in quadam epistola ad Magnum, Eucharistiam esse Sacrificium Domini, & in Tractatu de Oratione Dominica inquit: *Et quando in unum convenimus, & sacrificia divina cum Dei Sacerdote* (Episcopo) *celebramus.* In quadam epistola ad Nemesianum & cæteros Martyres in metallo constitutos, eosdem sic consolatur: „ Sed nec in illo, fratres dilectissimi, aliqua potest aut Religionis aut fidei jactura sentiri, quod illic nunc Sacerdotibus Dei facultas non datur offerendi & celebrandi sacrificia divina. Celebratis immo atque offertis sacrificium Deo, & pretiosum pariter & gloriosum & plurimum vobis ad retributionem præmiorum cœlestium profuturum cum Scriptura divina loquatur, & dicat: (e) Sacrificium Deo spiritus contribulatus, cor contritum & humiliatum Deus non despicit. Hoc vos sacrificium Deo offertis, hoc sacrificium sine intermissione die ac nocte celebratis „.

Epist. 69. Pag. 295. Tractat. de Orat. Domin. pag. 100.

Epist. 76. pag. 328.

XXIV. Alia afferre possem Divi Cypriani testimonia, quæ Sacrificium novæ Legis respiciunt. Verum præter

(a) Joann. cap. 6. vers. 51. 52.
(b) Ibid. vers. 54.
(c) I. ad Corinth. cap. 11. vers. 27.

(d) Levitic. cap. 7. vers. 19. 20.
(e) Psalm. 50. vers. 19.

III. SÆCULUM.

præter quam quod locum habere hæc debent, cum de Disciplina sermo erit, modo allata satis superque ostendunt, Eucharistiam primis Ecclesiæ sæculis, non secus ac nostris hisce temporibus, uti verum Sacrificium obtinuisse. Animadvertendum ex recitatis testimoniis volumus: 1°. quod præter generalem intentionem orandi in Sacrificio Missæ pro bono totius Ecclesiæ, oratio quandoque fiebat pro aliquibus in particulari, ut colligitur ex epistola ad Lucium Papam, & ex ea quæ est ad Episcopos Numidas. 2°. quod Sacrificium Missæ est commemoratio, & veluti prosecutio Sacrificii Crucis, ut eruitur ex epistola ad Cecilium, 3°. quod ipse Christus Dominus Sacrificium istud instituit, postquam omnium primus illud obtulerat, ut constat ex eadem epistola, 4°. quod soli Presbyteri hoc Sacrificium offerre possunt, ut patet ex epistola ad Nemesianum, & cæteros Confessores, 5°. tandem quod supplicii quoddam genus erat fidelibus, si quando huic sacrificio interesse non poterant, ut ex eadem ad Nemesianum epistola deprehenditur.

ARTICULUS TERTIUS.

DE POENITENTIA.

I. SI qua est Theologiæ pars, in qua mirifice excelluerit Divi Cypriani doctrina, hæc sane illa est, quæ Pœnitentiam respicit: de hac siquidem dum disserit, suam prodit charitatem, prudentiam, zelum, magnanimitatem: charitatem quidem & prudentiam, quando peccatores hortatur ut per sinceram pœnitentiam Deo reconcilientur, eosque incendit spe gratiæ obtinendæ per debitam satisfactionem: zelum vero & magnanimitatem, quando semetipsum opponit insolentiæ quorumdam pœnitentium, qui absolutionem per vim extorquere volebant, necnon vecordiæ quorumdam Sacerdotum, qui reconciliationis gratia eosdem temere donabant. Sanctum hunc pœnitentiæ Doctorem, hoc siquidem nomine eum appellare possumus, Deus peculiariter in Ecclesia suscitavit, ut ecclesiasticam de pœnitentia Disciplinam tueretur; & nemo unquam pœnitentiæ necessitatem validius demonstravit; sed nunquam nimio rigore peccatores excepit, eosdem nunquam repulit: indulgentia, qua opus erat, utebatur, & a nimia severitate tantum aberat, ut in quadam sua epistola, seipsum ad ignoscendum pronissimum dicat. Dicendum itaque cum suæ Vitæ Scriptore, egregium hunc Antistitem duxisse Ecclesiæ navim per mediam viam inter nimiam severitatem Schismaticorum, hoc est Novatianorum, & lenitatem quorumdam Catholicorum, festinantium reconciliare peccatores priusquam hanc reconciliationem essent promeriti. Momenta quæ hucusque dicta validissime probant modo dabimus.

Epist. 59.

Necessitas Pœnitentiæ.

II. Illud primo loco certum indubitatumque est, Divum Cyprianum multum attollere pœnitentiæ necessitatem. Si percurrantur omnes ferme ipsius epistolæ, necnon quidam ipsius Tractatus, illico innotescet, verum salutis iter pro peccatoribus esse pœnitentiam; peccatores qui pœnitere nolunt, esse veluti ægrotos qui manum medici ad eorum salutem appropinquantis propulsant; esse ægrotos, qui potus amaros respuentes, & nonnisi quod palato jucundum sit sumentes, ipsi sibi mortem consciscunt ex intemperantia & obstinatione; dempta peccatoribus pœnitentia, eorum ruinam majorem evadere, & quæ reparari nequeat; Evangelium pœnitentiam præcipere; eum mirum in modum cæcutire, qui propria crimina nec sentit, nec plorat; idque procedere ex ira Dei erga peccatores; hisque post lapsum solam pœnitentiam remanere, ut Deo satisfaciant; & alia hujusmodi multa, quæ evidenter ostendunt absolutam necessitatem pœnitentiæ pro illis qui in Deum peccaverunt.

In quo consistat Pœnitentia. Epist. 11. Pag. 183.

III. Nunc vero videndum est, in quo juxta Divum Cyprianum pœnitentia consistat. Hæc est igitur ipsius doctrina: pœnitenti non sufficit assiduis orationibus, & enixis precibus instanter incumbere, sed insuper ad placandum atque exorandum Dominum, jejuniis, & lacrymis, & omni genere deprecationis ingemiscere debet. Pœnitentes præ cæteris humiles esse debent, *Ut post gravem lapsum . . . humilitate tota promereri Dominum possint.* Submissos & quietos, & verecundos esse oportet eos, qui delicti sui memores satisfacere Deo debent. Nec blanditias ac palpitationes appetere debent, quoniam non proficit ad salutem medela vera, dum blandimentis decipit dulcis illecebra. Qui ceciderunt, delicti sui magnitudinem agnoscentes, intelligant non momentaneam neque præproperam desiderare medicinam. Maxime enim illis congruit verecundia, quorum in delictis damnatur mens inverecunda. Pulsent sane fores, sed non utique confringant. Adeant ad limen Ecclesiæ, sed non utique transiliant. *Castrorum cælestium excubent portis, sed armati modestia, qua intelligant se desertores fuisse.* Arment se quidem modestiæ telis, & quem negando mortis metu fidei dimiserant clypeum, resumant . . . *Mittant legatos pro suis doloribus lacrymas. Advocatione fungantur ex intimo pectore prolati gemitus, dolorem probantes commissi criminis & pudorem.* Hoc pacto Cletus Romanus alloquitur S. Cyprianum.

Epist. 26. Pag. 205. — Epist. 34. Pag. 217. — Epist. 30. Pag. 211. — Ib. p. 212.

Epist. 65. Pag. 282.

IV. Pœnitentes, inquit Sanctus Doctor epistola ad Epitectum & plebem Assuritanorum, Deo satisfacere debent, & ad Dominum exorandum diebus ac noctibus lacrymis, & orationibus, & precibus incumbere. A deprecando Domino recedere non debent, sed satisfactionibus immorari, & Domini misericordiam deprecari. Nocte ac die Ecclesiam lacrymis, & gemitu, & dolore pulsare debent ut docet idem Sanctus Episcopus epistola 68. quæ est ad Stephanum Papam. Plene Deo satisfacere debent, & Christo ejus, ut tradit idem Pater epistola 66. quæ est ad Florentium Pupianum. Vel innocuis voluptatibus carere debent, ut in cinere vivant; & confiteri delictum suum dum adhue in hoc sæculo sunt: *Confiteantur singuli*, inquit Divus Cyprianus in suo Tractatu de Lapsis, *delictum suum . . . dum admissi confessio ejus potest, dum satisfactio & remissio facta per Sacerdotes, apud Dominum grata est.* Convertamur ad Dominum *mente tota; & pœnitentiam criminis veris doloribus exprimentes*, Dei misericordiam deprecemur. *Illi* (Deo) *se anima prosternat, illi mæstitia satisfaciat, illi spes omnis incumbat.* Corpora humiliari debent *jejunio, fletu & planctu.*

Epist. 68. Pag. 290. — Epist. 66. Pag. 286. — Tractat. de Lapsis. Pag. 96.

V. Lamentari eum putamus, prosequitur Sanctus Doctor, ex toto corde, jejuniis, fletibus, planctibus Dominum deprecari, qui ex primo criminis die lavacra quotidie cum fœminis celebrat, qui epulis affluentibus pastus, & sagina largiore distentus cruditates suas postridie ructat, nec cibos & potus suos cum pauperum necessitate communicat? Qui hilaris ac lætus incedit, quomodo mortem suam deflet? *An illa ingemiscit & plangit*, inquit egregie pœnitentiæ Doctor, *cui vacat cultum pretiosæ vestis induere, nec indumentum Christi, quod perdidit, cogitare? accipere pretiosa ornamenta, & monilia laborata, nec divini & cælestis ornatus damna deflere?* „ Tu licet indumenta peregri„ na, addit idem Episcopus, & vestes sericas induas, „ nuda es. Auro te licet, & margaritis gemmisque „ condecores, sine Christi decore deformis es. Et „ quæ capillos tuos inficis, vel nunc in doloribus de„ fine; & quæ nigri pulveris ductu oculorum linia„ menta depingis, *vel nunc lacrymis oculos tuos ablue.* „ Si quem de tuis carum mortalitatis exitu perdidis„ ses, ingemisceres dolenter & fleres, facie inculta, „ veste mutata, neglecto capillo, vultu nubilo, ore „ dejecto indicia mœroris ostenderes. Animam tuam, „ misera perdidisti, spiritualiter mortua supervivere „ hic tibi, *& ipsa ambulans funus suum portare cœpi„ sti;* & non acriter plangis, non jugiter ingemiscis, „ non te vel pudore criminis vel continuatione lamen„ tationis abscondis? „

Ibid. p. 98.

VI. Deinde paucis interjectis Pœnitentes alloquitur S. Cyprianus, & hortatur hisce verbis: Vos vero, fratres dilectissimi, mali vestri memores estote, pœnitentes & dolentes peccata vestra perspicite, gravissimum conscientiæ crimen agnoscite, ad intelligentiam delicti vestri oculos cordis aperite, nec desperantes misericordiam Domini, nec tamen jam veniam vindicantes. *Deus*, illico subjungit, *quantum pietate Patris indulgens & bonus est, tantum judicis majestate metuendus est. Quam magna deliquimus, tam granditer defleamus. Alto vulneri diligens & longa medicina non desit. Pœnitentia crimine minor non sit.* „ Orare opor„ tet impensius & rogare, diem luctu transigere, vi„ giliis noctes ac fletibus ducere, tempus omne la„ crymosis lamentationibus occupare; *Stratos solo ad„ hærere cineri, in cilicio & sordibus volutari*: post „ indumentum Christi perditum, nullum jam velle ve„ stitum; post diaboli cibum, malle jejunium; justis „ operibus incumbere, quibus peccata purgantur, elee„ mosynis frequenter insistere, quibus a morte animæ „ liberantur. *Quod adversarius auferebat, Christus ac„ cipiat.* Ad hoc tantum profuerit quod remansit, ut „ inde crimen & culpa redimatur. Incunctanter & lar„ giter fiat operatio, sensus omnis in medelam vulne„ ris erogetur „.

VII. Tenes modo ex Divo Cypriano ideam veræ pœnitentiæ. Qui vere pœnitens esse desiderat, orare debet, ex toto corde ad Deum redire, indesinenter jejunare, flere, lamentari, vere pœnitens ac dolens peccata sua perspicere, gravissimum conscientiæ crimen agnoscere, ante Deum & homines seipsum humiliare Dei ministris sua vulnera detegere, plena & perfecta satisfactione Deum placare, omnibus etiam inno-

cuis hujus sæculi voluptatibus valedicere, bonis operibus incumbere, & præcipue eleemosynæ, a terrenis bonis animum avocare, Jesu Christo ea omnia præbere, quæ diabolus abstulerat: tandem pœnitentia criminum magnitudini & enormitati respondere debet. Quælibet pœnitentia his characteribus destituta, ne nomen quidem pœnitentiæ meretur; est dissimulatio, est hypocrisis.

VIII. Etsi ex allata Divi Cypriani doctrina commode inferri possit necessitas Confessionis, non secus ac Contritionis & Satisfactionis; nihilominus, quia peccatorum Confessio gravissima est naturæ corruptæ, & contra hanc præcipue Novatores insurrexerunt, hinc apprime necessarium ducimus ea exscribere Divi Cypriani testimonia, quæ hujus consuetudinis vetustatem evincunt. Recitavimus jam numero quarto hujus articuli Sancti hujus Episcopi verba, quibus hortatur peccatores ad suorum criminum Confessionem. *Confiteantur singuli*, ait ille, *delictum suum ..... dum admitti confessio ejus potest; dum satisfactio & remissio, facta per Sacerdotes, apud Dominum grata est.* Hæc autem Confessio non respicit tantummodo peccata publica & notoria, sed occulta etiam, immo & peccata solius cogitationis. Id expresse docet S. Cyprianus in suo Tractatu de Lapsis; ibi siquidem ut ad humilem Confessionem excitet eos qui in notoria crimina prolapsi erant, proponit exemplum eorum, qui peccata cogitationis confitebantur. *Denique*, inquit Sanctus Doctor ingenuos hos Christianos alloquens, *quanto & fide majores, & timore meliores sunt, qui quamvis nullo sacrificii aut libelli facinore constricti, quoniam tamen de hoc vel cogitaverunt, hoc ipsum apud Sacerdotes Dei dolenter & simpliciter confitentes, exomologesim conscientiæ faciunt, animi sui pondus exponunt, salutarem medelam parvis licet & modicis vulneribus exquirunt: scientes scriptum esse: Deus non irridetur.*

Confessio peccatorum facta apud Sacerdotes. Tract. de Lapsis. pag. 96.

Ib. p. 95.

IX. Quod quidem Divi Cypriani testimonium maximæ utilitatis est in re theologica. Ex eo enim in genere eruitur 1°. necessitas confitendi peccata. 2°. Hanc Confessionem faciendam esse *apud Sacerdotes Dei*. 3°. Confessionem auricularem in usu fuisse S. Cypriani ætate, cum ibidem sermo sit de peccatis occultis, de peccatis simplicis cogitationis, de peccatis levioribus: *Parvis & modicis vulneribus*, quæ nec confessioni, nec pœnitentiæ publicæ subjici poterant: & aliunde S. Cyprianus expresse ait, hanc declarationem fieri consuevisse *apud Sacerdotes Dei*: quod evidenter designat declarationem factam ad aures, hoc est Confessionem auricularem, qualis hodie etiam in Ecclesia Catholica perseverat. Nec mirum cuiquam videri debet, quod Divus Cyprianus tam aperte de hoc usu loquatur, quoniam eadem præcisione de ipso loquitur ante illum Origenes; immo aliqua ejusdem vestigia in vetustioribus Patribus superius jam observavimus.

X. Probari potest necessitas Confessionis peccatorum potestate, qua Christus Dominus donavit Ecclesiam suam dimittendi in terris peccata: quam veritatem validissime tuetur Divus Cyprianus epistola ad Januarium, in qua ait, ipsam interrogationem quæ fit in Baptismo, testem esse hujus ejusdem veritatis: quæ interrogatio his verbis comprehenditur: *Credis in vitam æternam, & remissionem peccatorum per vitam æternam?* Intelligimus, statim subjungit Sanctus Doctor, remissionem peccatorum nonnisi in Ecclesia dari. Idipsum repetit in sua ad Magnum Epistola; & in Tractatu de Lapsis formaliter agnoscit, Dei Sacerdotes remittere peccata: *Remissio facta per Sacerdotes*, uti non semel diximus. Nunc vero videamus, Divo Cypriano duce, quinam sint limites hujus potestatis.

Potestas dimittendi peccata Ecclesiæ tradita. Epist. 70. pag. 301. Epist. 69. pag. 296. Tract. de Lapsis. pag. 96.

XI. Certum primo loco est, hanc potestatem in omnia peccata extendi, & nulla esse crimina quantumvis gravissima, quæ per Sacerdotes Dei Ecclesia remittere nequeat: 1°. enim quoad venialia peccata, vidimus jam ex Divo Cypriano, penes Sacerdotes esse potestatem eadem remittendi; ait siquidem, eos qui Sacerdotibus Dei hæc confitentur, salutarem medelam parvis vulneribus exquirere: *Salutarem medelam parvis licet & modicis vulneribus exquirunt.* 2°. Quoad peccata graviora, uti sunt hæresis, schisma, adulterium, in baptizatis idololatria & apostasia a fide, innumeris propemodum in locis docet Divus Cyprianus, hæc peccata ab Ecclesia remitti. Hæreticis quidem & Schismaticis Divi Cypriani ætate manus imponebantur, si quando ad Ecclesiam redirent, ut optime eruitur ex epistola Sancti hujus Doctoris ad Quintum: *Quod nos*, inquit ille, *quoque hodie observamus, ut quos constet ... a nobis ad hæreticos transisse; si postmodum, peccato suo cognito, & errore digesto, ad veritatem & matricem redeant, satis sit in pœnitentiam manum imponere.* Sive hoc loco de absolutione Sacramentali sit sermo, sive de pœnitentia publica, æque nobis favet, quoniam juxta doctrinam S. Cypriani nemo ad pœnitentiam compelli potest, si fructus pœnitentiæ, hoc est reconciliatio, subtrahatur: *Nec ad pœnitentiam quis a nobis compelli potest, si fructus pœnitentiæ subtrahatur.*

Hæc potestas in omnia peccata, etiam enormia, exerceri potest. Tract. de Lapsis. pag. 95.

Epist. 71. pag. 303.

XII. *Nam & mœchis*, inquit etiam Sanctus Doctor in eadem epistola ad Antonianum, *a nobis pœnitentiæ tempus conceditur, & pax datur*: quæ verba manifeste designant reconciliationem, sive absolutionem Sacramentalem. Et infra in eadem epistola inquit: *Quibus tamen & ipsis pœnitentia conceditur .... ac satisfaciendi spes relinquitur.* Tandem huic similem doctrinam proponit sequentibus verbis: *Neminem putamus a fructu satisfactionis, & spe pacis arcendum: cum sciamus juxta Scripturarum divinarum fidem, auctore & hortatore ipso Deo, & ad agendam pœnitentiam peccatores redigi, & veniam atque indulgentiam pœnitentibus non denegari.* Potestas clavium Ecclesiæ nequit validius propugnari.

Epist. 55. pag. 246. Ib. p. 247. Ib. p. 249. Ib. p. 250.

XIII. Et re quidem vera, ille fideles derideret, qui ad pœnitentiam eos hortaretur, quemadmodum olim penes Novatianos in more positum fuit, & subtraheret de satisfactione medicinam. *O frustranda fraternitatis derisio!* exclamat S. Cyprianus, *O miserorum lamentantium caduca deceptio! O hæreticæ institutionis inefficax & vana traditio, hortari ad satisfactionis pœnitentiam, & subtrahere de satisfactione medicinam!* „ Dicere „ fratribus nostris plange, & lacrymas funde, & diebus ac noctibus ingemisce, & pro abluendo & purgando delicto tuo largiter & frequenter operare, „ sed extra Ecclesiam post omnia illa morieris „. *Quæcumque ad pacem* (absolutionem) *pertinent, facies; sed nullam pacem, quam quæris, accipies.* Ostendit deinceps S. Cyprianus, nimiam hanc severitatem falsam esse, immo ridiculam; & tandem sic concludit: *Quod si invenimus a pœnitentia agenda neminem debere prohiberi, & deprecantibus .... Domini misericordiam .... per Sacerdotes ejus pacem posse concedi; admittendus est plangentium gemitus, & pœnitentiæ fructus dolentibus non negandus.*

Ibid.

XIV. Nullum igitur est tam enorme crimen, quod, juxta doctrinam S. Cypriani, Ecclesia non possit, vel nolit remittere vere pœnitentibus; nec ipsa excepta Idololatria in baptizatis, hoc est apostasia a fide. Perlegatur hac de re ejus Epistola ad Fortunatum. Scripserat siquidem Divo Cypriano Fortunatus cum aliis Episcopis, & consilium petierat, an eos ad communicationem fas esset admittere, qui tormentorum vi subacti sacrificaverant. Respondet vero Sanctus Doctor, hanc gratiam illis denegandam non esse; ut quod (verba ejus sunt) in novissimo infirmitate carnis subactum videtur, meritorum præcedentium defensione relevetur, & sit satis talibus gloriam perdidisse, non tamen debere nos eis & veniæ locum claudere, atque eos a paterna pietate, atque a nostra communicatione privare. Immo nec illis denegabatur hæc absolutio, qui animi infirmitate in hoc crimen prolapsi erant, ut eruitur ex eadem epistola, etsi non concederetur nisi in articulo mortis, vel in mortali infirmitate. Quia vero crebris ostensionibus a Deo admonitus fuerat S. Cyprianus de proxime futura persecutione, hinc hujusce generis pœnitentibus pacem dedit priusquam omnem pœnitentiam implevissent. Vide epistolam S. Cypriani ad S. Cornelium Papam de pace Lapsis danda.

Epist. 56. pag. 251.

Epist. 57. pag. 252. 253. &c.

XV. Verum, num ex hoc sequitur, Sacerdotes debere absolutionem de facili concedere, & præcipiti festinatione cum Deo reconciliare peccatores? insuper posse eos Eucharistiam illis ministrare, qui veræ pœnitentiæ signa non dederint? Non equidem. Audiamus iterum S. Cyprianum hac super re loquentem: Sacerdotes, qui nimia festinatione reconciliant peccatores, sine respectu Evangelii Sanctum Domini canibus, & margaritas porcis profana facilitate donant; verbum Dei segniter derelinquunt, pœnitentes falsa & irrita pace seducunt. *Qui peccantem blandimentis adulantibus palpat, peccandi fomitem subministrat; nec comprimit delicta ille, sed nutrit. Irrita & falsa pax, periculosa dantibus, & nihil accipientibus profutura ..... Non est pax illa, sed bellum .... Quid injuriam beneficium vocant? Quid impietatem vocabulo pietatis appellant?*

Adversus absolutiones propere impertitas. Epist. 31. pag. 213. Epist. 59. pag. 262. Tract. de Lapsis. pag. 91. Ib. p. 92.

XVI. Isti Sacerdotes hoc sunt ejusmodi lapsis, quod grando frugibus, quod turbidum sidus arboribus, quod armentis pestilens vastitas, quod navigiis sæva tempestas. Non concedit pacem facilitas illa, sed tollit; nec communicationem tribuit, sed impedit ad salutem. *Persecutio est hæc alia, & alia tentatio, per quam subtilis inimicus impugnandis adhuc lapsis occulta populatione grassatur; ut lamentatio conquiescat, ut dolor sileat, ut delicti memoria evanescat, ut comprimatur pectorum gemitus, statuatur fletus oculorum, nec Dominum graviter offensum, longa & plena pœnitentia deprecentur.*

Ibid.

[III. SÆCULUM.] *precetur*. Hæc Divi Cypriani dicta, etsi sapientissima sint, & necessaria, tamen generalem legem non imponunt, quam Confessarii omnes circa omnia indiscriminatim peccata sequi teneantur.

[Ibid.] XVII. *Nemo se fallat*, prosequitur Sanctus Episcopus, *nemo se decipiat. Solus Dominus misereri potest. Veniam peccatis .... solus potest ille largiri, qui peccata nostra portavit, qui pro nobis doluit, quem Deus tradidit pro peccatis nostris. Homo Deo esse non potest major; nec remittere aut donare indulgentia sua servus potest, quod in Dominum suum delicto graviore commissum est:* „ Ne adhuc lapso & hoc accedat ad crimen, si nesciat esse prædictum: (*a*) Maledictus homo, qui spem habet in homine „. *Dominus orandus est, Dominus nostra satisfactione placandus est.*

[Ibid.] XVIII. „ Credimus quidem, loquitur semper Sanctus Doctor, posse apud Judicem plurimum martyrum merita, & opera justorum, sed cum judicii dies venerit, cum post occasum sæculi hujus & mundi ante tribunal Christi populus ejus adstiterit. Cæterum si quis præpropera festinatione temerarius remissionem peccatorum dare se cunctis putat posse, aut audet Domini præcepta rescindere, *Non solum nihil prodest, sed & obest lapsis*. Provocasse est iram non servasse sententiam, nec misericordiam prius Dei deprecandam putare, sed contempto Domino de sua facultate præsumere „.

XIX. S. Cyprianus constantes adeo in hoc articulo optabat Sacerdotes, ut nec ad preces martyrum eos flecti pateretur; sicuti initio numeri superioris vidimus. „ Mandant Martyres aliquid fieri? ait insuper: „ *Si justa, si licita, si non contra ipsum Dominum, a Dei Sacerdote facienda sunt*. Mandant Martyres aliquid fieri? Sed si scripta non sint in Domini lege quæ mandant, ante est ut sciamus illos de Deo impetrasse quod postulant, tunc facere quod mandant: [Pag. 93.] *Neque enim statim videri potest de divina Majestate concessum, quod fuerit humana pollicitatione promissum*. Nam & Moyses pro peccatis populi petiit, nec tamen peccantibus veniam cum petiisset accepit ..... Ille amicus Dei, ille facie ad faciem locutus sæpe cum Domino, quod petiit impetrare non potuit, nec Dei indignantis offensam sua deprecatione placavit. Idipsum Jeremiæ contigit. „ Quid vero justius Noe? ..... Quid gloriosius Daniele? ..... Quid Job in operibus promptior? ... „ Nec his tamen, si rogarent, concessurum se Deus dixit „.

XX. Vel centum extant insuper Divi Cypriani testimonia, quæ properatas absolutiones damnant: en autem quæ mihi notabiliora visa sunt. Docet, exempli gratia, Sanctus iste Episcopus, falsas has reconciliationes obesse potius quam prodesse, & per has poenitentes magis periclitari: [Epist. 16. pag. 195.] *Seducuntur, ut magis pereant, & qui erigere se possent, plus cadant*: per has divinam indignationem gravius provocari: [Epist. 17. pag. 196.] *Ne dum temere pax usurpatur, divina indignationis offensa gravius provocetur*: hujusmodi Sacerdotes, non esse Pastores, sed homicidas, cum hoc pacto peccatores magis impellantur ad ruinam: *Nec erigitur sic lapsus, sed ..... magis impellitur ad ruinam:* [Epist. 15. pag. 193.] tandem Sacerdotes consulere debere saluti peccatorum, non adulatione composita, sed sincera fide, ut vera poenitentia, & gemitu, & dolore pleno Dominum deprecentur. [Pag. 217.] Vide quoad postremam hanc partem, Epistolam 34. Divi Cypriani ad Presbyteros & Diaconos suæ Ecclesiæ.

ARTICULUS QUARTUS.

DE ORDINE, ET DE MATRIMONIO.

I. DIvus Cyprianus pluribus in locis egregie disserit de Ordine Ecclesiastico; & ut initium fit ab Episcopis, qui hujus Ordinis Capita sunt, agnoscit, [Origo Episcopatus. Epist. 74. pag. 318.] eorum dignitatem originem trahere ab Apostolica traditione, & ab Evangelio. „ Si in aliquo, inquit Sanctus Doctor, nutaverit & vacillaverit veritas, ad originem dominicam atque Apostolicam traditionem revertamur, *& inde surgat actus nostri ratio, unde & ordo, & origo surrexit* „. Alio loco scribit, [Episcopatus est institutionis divinæ. Epist. 33. pag. 216.] Ordinationem Episcoporum divinæ esse institutionis. *Dominus noster*, ... verba ejus sunt, *Episcopi honorem, & Ecclesia sua rationem disponens in Evangelio, loquitur, & dicit Petro: Ego tibi dico, quia tu es Petrus.... Inde*, ... subjungit idem S. Episcopus, *Episcoporum ordinatio, & Ecclesia ratio decurrit.*

[III. SÆCULUM.] II. Episcopi sunt successores Apostolorum: *Per Apostolos nobis successoribus traditam*, inquit Sanctus Doctor epistola 45. quæ est ad S. Cornelium Papam, de Unitate Ecclesiæ verba faciens. Christus Dominus in persona Petri eorum auctoritatem constabilivit. [Episcopi sunt Apostolorum successores.] Apostolis succedunt, & eorum loco ordinantur; *Qui (præpositi) Apostolis vicaria ordinatione succedunt*. Succedunt, inquam, illustribus his viris, & eadem auctoritate, eademque potestate Ecclesiam Dei gubernant; [Epist. 45. pag. 232.] quoniam Christus Jesus ad patrem suum rediens, commendat Episcopis in persona Apostolorum sponsam suam, hoc est Ecclesiam, [Tract. de Unitate Ecclesiæ. p. 76. & 77. Epist. 46. pag. 285.] juxta phrasim celeberrimi Concilii Carthaginiensis: *Christus Dominus & Deus noster*, inquit Venantius Episcopus Timisiensis, qui huic Concilio interfuit, [Conc. Carthag. pag. 184. Can. 49.] *ad Patrem proficiscens, sponsam suam nobis commendavit*.

III. Ex his necessario sequitur, Episcopos primas in Ecclesia Dei sedes habere; ut docet ipse S. Cyprianus his verbis: [Superioritas Episcoporum. Epist. 33. pag. 216.] *Ut Ecclesia super Episcopos constituatur, & omnis actus Ecclesia per eosdem præpositos gubernetur*. Ipsorum est consulere & subvenire gregi Jesu Christi; ipsorum, inquam, qui Dei summam bonitatem veluti exemplar sibi proponentes, gubernandæ Ecclesiæ libram tenent: [Epist. 68. Pag. 291.] *Cui rei nostrum est consulere & subvenire .... Qui .... gubernanda Ecclesia libram tenentes &c.* Ipsis tradita est gubernanda gregis portio: [Epist. 59. pag. 266.] *Ut ..... singulis pastoribus portio gregis sit adscripta, quam regat unusquisque & gubernet*. Singuli Episcopi necessariam auctoritatem ad Ecclesiæ regimen tenent. [Epist. 72. Pag. 306. Epist. 73. pag. 309.] Tandem Episcopi in Ecclesia præsident: *In hac Ecclesia præsidemus.*

IV. Ex quibus clarissime eruitur, fideles, & ipsum etiam Clerum teneri absolute audire Episcopos, eisdem subjici, eisdem adhærere. Detestabiles igitur ii sunt, qui contemnunt pastores evangelicos. „ Cum „ scriptum sit: Neque maledici regnum Dei consequentur, (*b*) verba sunt S. Cypriani; [Epist. 59. pag. 260.] & iterum „ Dominus in Evangelio suo dicat: qui dixerit fratri „ suo fatue, & qui dixerit racha, reus erit in gehenna ignis (*c*); quomodo possunt censuram Domini ultoris evadere qui talia ingerunt, non solum „ Fratribus, sed & Sacerdotibus, *Quibus honor tantus de Dei dignatione conceditur, ut quisquis Sacerdoti ejus ..... non obtemperaret, statim necaretur.*

V. In medium profert deinde S. Cyprianus alias Scripturarum auctoritates, quæ obsequium Præpositis præstandum ostendunt. Inter cætera Scripturæ verba, hæc recitat, quæ Dei sunt ad Samuelem: Non te spreverunt, sed me spreverunt: (*d*) pariter hæc Christi Domini: Qui audit vos, me audit .... & qui vos spernit, me spernit (*e*). Deinde subjungit idem S. Cyprianus: Cum Christus tempore passionis alapam accepisset a servo Sacerdotis; adversus Pontificem Dominus contumeliose nihil dixit, nec quidquam de Sacerdotis honore detraxit, sed innocentiam suam solummodo asseruit & ostendit (*f*). Et postmodum beatus Paulus Apostolus cum appellasset Ananiam, qui Pontifex erat, parietem dealbatum, *Tamen ipsum quamvis inane nomen & umbram quamdam Sacerdotis cogitans; nesciebam, inquit, quia Pontifex est* (*g*). [Pag. 262.]

VI. „ Cum hæc tanta ac talia, & multa alia exempla præcedant, concludit S. Cyprianus, *Quibus sacerdotalis auctoritas & potestas de divina dignatione firmatur*, quales putas esse eos, qui Sacerdotum hostes, & contra Ecclesiam Catholicam rebelles, „ nec præmonentis Domini comminatione, nec futuri „ juditii ultione terrentur? „ *Neque enim aliunde hæreses obortæ sunt; aut nata sunt schismata, quam inde, quod Sacerdoti Dei* (hoc est Episcopo) *non obtemperatur; nec unus in Ecclesia ad tempus judex vice Christi cogitatur.*

VII. Nil mirum igitur, si Divus Cyprianus epistola ad Pomponium tribuit Episcopis potestatem excommunicandi illos, [Epist. 4. pag. 175.] qui eisdem obtemperare nolunt; & permittit insuper, ut erga rebelles spiritali gladio utantur. Nec mirum pariter, si Episcopo permittit, ut virtute suæ Episcopalis potestatis vindictam de eo sumat, qui contumeliis & injuriis eumdem exacerbaverat. „ Graviter & dolenter commoti sumus, inquit „ S. Cyprianus epistola ad Rogatianum Episcopum... „ lectis litteris tuis, quibus de Diacono tuo con- [Epist. 3. pag. 172.] „ questus es, quod immemor sacerdotalis loci tui & „ officii ac ministerii sui oblitus, contumeliis & injuriis suis te exacerbaverit. Et tu quidem honorifice „ circa nos & pro solita tua humilitate fecisti, ut „ malles de eo nobis conqueri, cum pro Episcopatus

„ vigo-

(*a*) Jerem. cap. 17. vers. 5.
(*b*) I. ad Corinth. cap. 6. vers. 10.
(*c*) Matth. cap. 5. vers. 22.
(*d*) I. Reg. cap. 8. vers. 7.

(*e*) Luc. cap. 10. v. 16.
(*f*) Joann. cap. 18. vers. 22. 23.
(*g*) Act. Apostol. cap. 23. v. 3. 5.

III. SAECULUM.

„ vigore, & cathedræ auctoritate haberes potestatem „ qua posses de illo statim vindicari „. Deinde recitatis nonnullis Scripturarum oraculis, quibus observantia & obedientia Episcopis debita apertissime insinuatur, sic prosequitur: „ Et ideo oportet, Diaconum, de quo scribis, agere audaciæ suæ pœnitentiam, *Et honorem Sacerdotis agnoscere, & Episcopo præposito suo plena humilitate satisfacere* .... Quod si ultra te contumeliis suis exacerbaverit, & provocaverit, *fungeris circa eum potestate honoris tui*, ut eum vel deponas, vel abstineas „.

Pag. 193.

VIII. S. Cyprianus elevat adeo præstantiam Episcoporum in Ecclesia Dei, ut epistola ad Florentium Pupianum formaliter doceat, ex unione populi cum Episcopo, & gregis cum pastore Ecclesiam coalescere: *Ecclesia*, inquit ille, *plebs Sacerdoti adunata, & pastori suo grex adhærens. Unde scire debes*, prosequitur idem Doctor, *Episcopum in Ecclesia esse, & Ecclesiam in Episcopo; & si qui cum Episcopo non sint, in Ecclesia non esse*: & frustra sibi blandiri eos, qui pacem cum Sacerdotibus Dei non habentes, obrepunt, & latenter apud quosdam communicare se credunt, *Quando Ecclesia* .... *scissa non sit, neque divisa; sed sit utique connexa, & cohærentium sibi invicem Sacerdotum glutino copulata*.

Epist. 66. pag. 286.

Unitas Episcopatus. Epist. 43. pag. 229.

IX. Tuetur æque S. Cyprianus Unitatem Episcopatus. „ Deus unus est, inquit ille Epistola 43. quæ „ est ad plebem Carthaginiensem, & Christus unus, „ & una Ecclesia, & *Cathedra una* super Petrum Domini voce fundata. Aliud altare constitui, aut Sacerdotium novum fieri præter unum altare & unum „ sacerdotium non potest. Quisquis alibi collegerit, „ spargit „. Alibi vero hæc habet: *Idcirco enim*..... *copiosum corpus est Sacerdotum concordiæ mutuæ glutino atque unitatis vinculo copulatum; ut si quis ex collegio nostro hæresim facere, & gregem Christi lacerare tentaverit, subveniant cæteri, &* .... *oves dominicas in gregem colligant* .... *Nam etsi pastores multi sumus*, subdit eodem loco, *unum tamen gregem pascimus*.

Epist. 68. pag. 291. Ib. p. 293.

X. Igitur, juxta S. Cyprianum, in unitate Ecclesiæ fundatur unitas Episcopatus, in unitate gregis Christi fundatur unitas seu unio Pastorum: quæ unitas tanta est, juxta ejusdem Sancti Episcopi doctrinam, ut non vereatur appellare Lucium & Cornelium Romanos Episcopos, antecessores suos, & quidem in epistola ad Stephanum Papam, qui Lucio successerat: *Servandus est enim*, inquit ille S. Stephanum alloquens, *antecessorum nostrorum beatorum martyrum Cornelii & Lucii honor gloriosus*. Perperam autem quis abuteretur hoc Divi Cypriani testimonio contra Primatum Summorum Pontificum, omnes Episcopos, non secus ac Romanos, appellando Divi Petri & aliorum Summorum Pontificum successores: hoc sane esset imponere Divo Cypriano, qui immediate post laudata verba, subdit quæ sequuntur: *Quorum memoriam cum nos honoremus, multo magis tu, frater charissime, honorificare & servare gravitate, & auctoritate tua debes, qui vicarius, & successor eorum factus es*.

Ibid.

XI. Quando igitur Sanctus Carthaginiensis Episcopus seipsum vocat successorem Sanctorum Pontificum Cornelii & Lucii, quando eosdem appellat antecessores suos, tunc loquitur in sensu generico, qui cæterorum Episcoporum proprius est solummodo propter omnium Episcoporum unionem, & propter Episcopatus unitatem, quæ, ut superius dixi, in Ecclesiæ unitate fundatur. *Episcopatus*, inquit alio loco idem Sanctus Doctor, *unus est, cujus a singulis in solidum pars tenetur*. Unde monet Christus ipse in Evangelio suo & dicit: *Et erit unus grex, & unus pastor* (a).

Tract. de Unit. Ecclesiæ pag. 78. pag. 79.

XII. Habes modo ex Divo Cypriano ideam Episcopatus & Episcoporum. Episcopatus originem trahit ab Evangelio, est institutionis divinæ. Ipse Jesus Christus fundavit Episcopatum in persona Divi Petri cæterorumque Apostolorum, quorum vere successores sunt Episcopi, ac vicarii, qui eadem auctoritate, eademque potestate Ecclesiam Dei gubernant. Super Episcopos Ecclesia Dei fundata est, iisdemque commissa est & demandata Ecclesiæ administratio. Ipsi in Ecclesia cæteris præsunt, & primas ibidem sedes tenent. Ipsos audire debemus, ipsos colere, ipsis parere, veluti Apostolis, & ipsi Christo Jesu. Contemni nequeunt, quidquid quandoque videri nobis possint, quin illico contemnatur Christus Dominus, cujus potestas & auctoritas in ipsis residet. Non possumus eisdem denegare obedientiam, quin hæresi ac schismati nosmetipsos exponamus. Ab illis separari non possumus, quin separemur ab Ecclesia, quoniam *Ecclesia in Episcopo est*, inquit S. Cyprianus; & nihil aliud est Ecclesia, juxta eumdem Sanctum Doctorem, quam plebs Sacerdoti adunata, & pastori suo grex adhærens. Tandem Episcopi, etsi ingens sit eorum numerus, sunt veluti unus & solus Pontifex propter arctissimam unionem, quæ inter eosdem viget: sunt veluti unus & solus Pastor ad pascendum unum & solum gregem positus: verum hæc Episcopatus unitas nihil officit juribus & prærogativis Summi Pontificis, hoc est Romani Episcopi. Vidimus jam cum de Ecclesia disseruimus, Summum Pontificem esse Ecclesiasticæ unitatis centrum, adeoque centrum unitatis Episcopalis, necnon primum Episcoporum; & Romanam Cathedram esse omnium Sedium Principem, cum ad ostendendam unitatem, eamdem in solo Petro Christus Dominus fundaverit. Romanæ igitur Sedi firmiter adhærere oportet, nec ab ejus obedientia recedere quis potest, quin ab obedientia cæterarum recedat, immo ab obedientia ipsius Ecclesiæ, cum Romana Sedes sit centrum Ecclesiasticæ Unitatis.

XIII. Nec sit qui contra Principatum Sanctæ Sedis opponat hæc S. Cypriani verba superius recitata. Episcopatus unus est, cujus a singulis in solidum pars tenetur; quasi verbis his Sanctus Doctor insinuare vellet, omnes Episcopos eamdem cum Episcopo Romano habere potestatem & dignitatem, quantum ad Ecclesiasticam jurisdictionem attinet. Oppositum ex eodem Divo Cypriano superius jam demonstravimus in capite de Ecclesia. Quod autem Divus Cyprianus nunquam censuerit, omnes Episcopos pares esse quoad potestatem jurisdictionis, ex eo eruitur, quod ipse tanquam Metropolitanus ad se recurrentibus Carthaginiensis Provinciæ Episcopis consilia præbet, dubia resolvit &c. ut pluribus ejusdem epistolis ostendere facile foret. Inutile autem & supervacaneum hoc esset, nec quidquam reponi potest contra evidentiam testimoniorum Divi Cypriani, quæ in favorem Romanæ Ecclesiæ, & Romani Episcopi supra recitavi.

XIV. Multa remanent exscribenda ex Divo Cypriano circa Episcopos; verum quia Disciplinam respiciunt, suo loco eadem proferemus. Unum hujusce Doctoris afferendum testimonium superest de materia Ordinationis Episcoporum, quæ est impositio manuum: siquidem epistola 67. de Ordinatione Sabini verba faciens, *Et manus*, inquit, *ei in locum Basilidis imponeretur*. Alia occurrunt in eodem Patre testimonia quoad Ordinationem Episcoporum: verum de hoc argumento alibi sermo erit.

Ordinatio Episcoporum. Ep. 67. Pag. 289.

XV. Nunc vero aliquid dicendum de Presbyteris cæterisque Ministris. S. Cyprianus de Presbyteris loquitur in pluribus epistolis suis; in quadam enim, quæ est ad suum Clerum, eosdem appellat Confratres suos: *Ad id vero*, inquit ille, *quod scripserunt mihi Compresbyteri nostri Donatus & Fortunatus, Novatus & Gordius*: & in alia, quæ est ad Cornelium, *Legi*, inquit, *litteras tuas, frater charissime, quas per Primitivum Compresbyterum nostrum misisti*. Nec cuiquam mirum videri debet, Divum Cyprianum tanta veneratione prosecutum esse Presbyteros, cum ipse eorum institutionem Divinam asserat æque ac institutionem Episcoporum: hæc siquidem habet epistola tertia, quæ est ad Rogatianum: „ Meminisse autem Diaconi debent, quoniam Apostolos, idest *Episcopos & Præpositos* „ *Dominus elegit*; Diaconos autem post ascensum Domini in cœlos Apostoli sibi constituerunt Episcopatus sui, & Ecclesiæ Ministros „. Ast de solis Presbyteris hæc vox *Præpositos* intelligi potest: 1°. enim de Episcopis intelligi nequit, quoniam de illis antea loquitur, eosque a Præpositis distinguit per conjunctionem &. 2°. Qui hoc loco *Præpositi* appellantur, Diaconis superiores sunt, quoniam eorum institutionem ad Christum usque perducit; & Episcopis sunt inferiores, quia solum post illos recensentur: hæc autem omnia solis Presbyteris possunt convenire.

Dignitas Presbyterorum. Epist. 14. pag. 192. Epist. 48. Pag. 235. Epist. 3. Pag. 5.

XVI. Cæterum S. Cyprianus satis aperte ostendit quanta æstimatione tum in Ecclesia, tum penes Episcopos fruerentur Presbyteri cum ait, eos cum Episcopis sedisse. „ Cæterum (inquit Sanctus Doctor epistola 39. quæ est ad Clerum & plebem suam de Celerino & Aurelio, quos ordinaverat Lectores) Presbyterii honorem designasse nos illis jam sciatis, ut „ & sportulis iisdem cum Presbyteris honorentur, & „ divisiones mensuras æquatis quantitatibus partiantur, *Sessuri nobiscum* „. Et epistola 40., quæ est ad Clerum pariter & plebem suam, „ Nam admonitos nos, inquit, & instructos sciatis dignatione divina, ut Numidius Presbyter adscribatur Presbyterorum Carthaginensium numero, *& nobiscum sedeat* „ *in Clero* „. Et Epistola 45. quæ est ad S. Cornelium Papam, hæc habet: *Et idcirco, frater charissime, cum* ad

Presbyteri partem habent in Ecclesiæ regimine. Epist. 39. pag. 244. Epist. 40. Pag. 225. Epist. 45. pag. 231.

(a) Joann. cap. 10. vers. 16.

III. SÆCULUM.

ad me talia de te & Compresbyteris tecum considentibus scripta venissent, &c.

XVII. S. Cornelius Papa in quadam ad Divum Cyprianum epistola docet, consuevisse se quandoque contrahere Presbyterium, Presbyterorum consilium petere, eorum sententiam sequi. Omni igitur actu ad nos perlato, inquit ille, (de eo quod egerant quidam Confessores ut ad unitatem redirent verba faciens) *placuit contrahi presbyterium, ut firmato Consilio quid ... observari deberet, consensu omnium statueretur*. Hæc sunt honoris insignia, quibus olim Presbyteri excipiebantur: sedebant cum Episcopis, consilium ab ipsis requirebatur, eorum decisiones admittebantur. Ipsi Summi Pontifices, & celebriores Episcopi deferebant Presbyteris suis, quos uti confratres & cooperatores habebant, non autem uti meros simplicesque Ministros.

Epist. 49. pag. 135.

XVIII. Tandem de Diaconis cæterisque in Minoribus ordinibus constitutis sit sermo. Diaconorum institutio, juxta Divum Cyprianum, est traditionis Apostolicæ. Apostoli siquidem, uti superius ex eodem diximus, post ascensum Jesu Christi in cœlos, illos instituerunt: *Diaconos autem post ascensum Domini in cælos Apostoli sibi constituerunt Episcopatus sui, & Ecclesiæ ministros*. Si hoc verum esset, Ordo Diaconatus non esset institutionis Divinæ, adeoque non esset Sacramentum. Quidquid tamen de hoc sit, Diaconi sunt Ecclesiæ Ministri, ut ex recitatis verbis *Ecclesiæ Ministros*, clare colligitur: sunt Ministri Episcoporum, ut ex laudatis Divi Cypriani verbis eruitur: insuper sunt Ministri Presbyterorum, ut in epistola ad suum Clerum insinuat Sanctus Doctor his verbis: *Integre, & cum disciplina fecistis, fratres charissimi, quod ..., Gajo Diddensi presbytero & diacono ejus censuistis non communicandum*. Iste Gajus verosimiliter idem erat ac qui hodie appellatur Parochus, qui ad sibi ministrandum Diaconum secum habebat.

Origo Diaconatus. Epist. 3. pag. 173.

Diaconi sunt Ministri Ecclesiæ, Episcoporum, & Presbyterorum. Epist. 34. pag. 217.

XIX. Diaconorum officia erant, Altari deservire, Eucharistiam fidelibus ministrare, ut colligitur ex prodigiosa historia, quam refert S. Cyprianus in suo Tractatu de Lapsis, & cujus mentionem fecimus in articulo de Eucharistia. Comites aderant Presbyteri in celebratione Sancti Sacrificii, uti eruitur ex epistola 5. Divi Cypriani, quæ est ad suum Clerum. *Consulite ergo & providete*, habet ille ad Presbyteros & Diaconos suos, ... *ut Presbyteri* ..... *qui illic* (loquitur hoc loco de captivis) *apud Confessores offerunt, singuli cum singulis Diaconis per vices alternent*. Ecclesiæ redditus administrabant, Ecclesiasticis conventibus aderant, in Conciliis partem habebant, ut colligitur ex epistola 59. Divi Cypriani, & quandoque Ecclesias regebant. Hujusce rei exemplum extat in epistola hujus editionis sexagesima septima, quam Divus Cyprianus inscribit Felici Presbytero & plebibus consistentibus ad Legionem & Asturicæ; item Lælio Diacono & plebi Emeritæ; siquidem si in postrema hac Ecclesia vel unus extitisset Presbyter, eidem, non autem Diacono suam inscripsisset epistolam. Quidquid dici possit, certum est ex Canone 77. Concilii Eliberitani, Diaconos olim Ecclesiarum regimen habuisse; at solummodo, ut verosimile est, deficientibus Presbyteris. Vide Canonem 77. mox laudati Concilii.

Diaconorum officia. Epist. 5. pag. 176. Epist. 32. pag. 237.

Epist. 59. pag. 267.

Conc. Eliberitan. Can. 77. T. I. Concil. P. Labbe.

XX. Haud levem parit difficultatem quoad Diaconos Epistola Divi Cypriani 18. quæ est ad suum Clerum: ibi enim concedit Diaconis facultatem absolvendi pœnitentes, si quando Episcopi & Presbyteri desint. „ Quoniam video, inquit Sanctus Carthaginensis Episcopus, facultatem veniendi ad vos nondum esse, & jam æstatem cœpisse, quod tempus infirmitatibus assiduis & gravibus infestatur, *Occurrendum puto fratribus nostris*; ut qui libellos a martyribus acceperunt, & prærogativa eorum apud Deum adjuvari possunt, si incommodo aliquo, & infirmitatis periculo occupati fuerint, non expectata præsentia nostra, apud Presbyterum quemcumque præsentem, *vel si Presbyter repertus non fuerit, & urgere exitus cœperit, apud Diaconum quoque exomologesin facere delicti sui possint, ut manu eis in pœnitentia imposita, veniant ad Dominum cum pace, quam dari Martyres litteris ad nos factis desideraverunt*.

De Potestate, quam Divus Cyprianus tribuit Diaconis, absolvendi pœnitentes, deficientibus Episcopis ac Presbyteris. Epist. 18. pag. 197. & 198.

XXI. Inficiari non possumus, haud levem difficultatem in allatis verbis reperiri, & nonnullos inde inferre consuevisse, Diaconos de Episcopi mandato habuisse usum clavium Ecclesiæ in casu necessitatis, quin tamen virtute ordinis proprii & characteris haberent earumdem clavium potestatem. Quod Diaconi quandoque ex mandato habuerint usum clavium, certum videtur. Vide D. Ceillierum in suis notis in hunc Divi Cypriani locum, ubi plurima profert antiquitatis monumenta, quæ hanc opinionem firmare videntur. Alii vero Auctores, & quidem numero majores, contendunt, Divum Cyprianum laudato loco sermonem habere de absolutione pure cæremoniali, quam Diaconus, æque ac Presbyter, de mandato Episcopi poterat impertiri: & hæc est communior sententia, & Ecclesiæ praxi cæteris accommodatior; an autem sit etiam sententia S. Cypriani, fateor me ignorare. Cæterum, certissimum est, Divum Cyprianum nunquam credidisse, penes Diaconos residere potestatem remittendi peccata ex vi ordinis Diaconatus, ejusque characteris. Vidimus jam superius de Pœnitentia differentes, solos Presbyteros hanc potestatem habuisse, & Divi Cypriani ætate, sicuti semper in usu fuit, ad solos Presbyteros accessisse fideles ut propria peccata faterentur, & donarentur absolutione: *Cum remissio facta per Sacerdotes*, inquit ille in Tractatu de Lapsis, *apud Dominum grata est*. Et paulo supra de iis verba faciens, qui vel simplicem cogitationem sacrificandi Idolis confitebantur, *Hoc ipsum*, inquit, *apud Sacerdotes Dei, dolenter & simpliciter confitentes*. Exprobat utique Sanctus Doctor in quadam sua Epistola quibusdam Diaconis, quod imprudenter reconciliationis gratia donarent lapsos, & sanctum Domini corpus profanarent, iisdem Communionem concedentes; verum hoc nunquam evincet, ipsius ævo Diaconos potuisse sacramentaliter absolvere: id unum siquidem concludi posset, eosdem habuisse quandoque usum clavium de mandato Episcopi, quemadmodum supra jam diximus. Ego interim verum sensum laudati textus peritioribus Theologis determinandum relinquo.

III. SÆCULUM.

Tract. de Lapsis. pag. 96.

Ibid. p. 95.

XXII. Ad Subdiaconos quod attinet, horum sæpe meminit S. Cyprianus in suis epistolis. Vide, exempli caussa, epistolam 9. quæ est ad Clerum Romanum; in ea enim loquitur de quodam Subdiacono, qui appellabatur Clementius: epistolam 29. in qua loquitur S. Cyprianus de alio Subdiacono, cui nomen erat Optatus: & ejusdem Sancti Doctoris epistolam ad suum Clerum de Cajo Presbytero Diddensi, in qua duorum Subdiaconorum, Philumeni & Fortunati mentio occurrit. In quadam epistola Cleri Romani ad Divum Cyprianum, de quodam Subdiacono fit mentio. Favorini Acolythi meminit laudata epistola de Cajo; & Nicephori pariter Acolythi alia epistola ad S. Cornelium de criminibus Novati; Saturi, qui & ipse Acolythus erat, alia epistola ad eumdem S. Cornelium de Fortunato & Felicissimo; & tandem Feliciani Acolythi ibidem & alibi meminit idem Sanctus Doctor. In epistola 69. loquitur S. Cyprianus de Exorcistis; & in epistolis 29. & 38. de Lectoribus. Ex hac postrema eruimus, Lectorum officium fuisse instruere Catechumenos, necnon eosdem legere consuevisse omnem Sacram Scripturam ex pulpito, nec ipso Evangelio excepto. Hæc Evangelii lectio Diaconis deinceps fuit reservata.

Subdiaconi, cæterique Ministri inferiores. Epist. 9. p. 29. &c.

XXIII. Huic Capiti de Sacramentis finem imponimus aliqua proferentes de Matrimonio. Pauca admodum de hoc Sacramento habet Divus Cyprianus, cum de illo non ex professo, sed obiter verba faciat. Hinc in Tractatu de Lapsis inter mala quæ ante persecutionem patrabant fideles, recensetur consuetudo ineundi matrimonia cum infidelibus: „ Jungere, inquit ille, „ cum infidelibus vinculum matrimonii, prostituere „ gentilibus membra Christi „. Et in libro tertio Testimoniorum ostendere nititur quibusdam Scripturarum oraculis, hæc Matrimonia esse illicita. Hinc legitur, inquit ille, apud Tobiam: (*a*) Uxorem accipe ex semine parentum tuorum, & noli sumere alienam mulierem, quæ non est ex tribu parentum tuorum. Item in Genesi: (*b*) Mittit puerum suum Abraham, ut de semine suo accipiat Rebeccam filio ejus Isaac. Item in Esdra (*c*) satis non fuit Deo, cum vastarentur Judæi, nisi alienigenas uxores cum Filiis quoque, quos ex illis procreaverant, reliquissent. Probat insuper suam propositionem Sanctus Doctor aliis Scripturæ oraculis, uti sunt, exempli gratia, hæc Pauli verba; (*d*) *Cui vult nubat, tantum in Domino*. Verum S. Augustinus (*e*) ait, hæc Apostoli verba in duplici sensu intelligi posse, & nihil aliud significare, quam viduam hanc debere vel in christiana religione permanere, aut Christiano viro copulari. Deinde subjungit, matrimonia Christianorum cum infidelibus expresse non prohiberi in novo Testamento. *Non enim*, verba sunt Divi Augustini, *tempore revelati Testamenti novi, in Evangelio, vel aliis Apostolicis litteris, sine ambiguitate declaratum esse recolo, utrum Dominus prohi-*

De Matrimonio. Tract. de Lapsis. pag. 88.

Lib. 3. Testimon. cap. 62.

(*a*) Tobiæ, cap. 6.
(*b*) Genes. cap. 24. vers. 3. 4.
(*c*) I. Esdræ, cap. 10.

(*d*) I. Corinth. cap. 7. vers. 39.
(*e*) Lib. 1. de Adulterin. Conjug. cap. 25.

III. SÆCULUM. *prohibuerit fideles infidelibus jungi; quamvis B. Cyprianus inde non dubitet, nec in levibus peccatis constituat, jungere cum infidelibus vinculum matrimonii, atque id esse dicat prostituere gentibus membra Christi.* Nunc vero ad alia progrediamur.

CAPUT DECIMUM.

DE PECCATO ORIGINALI, DE LIBERO ARBITRIO, ET DE GRATIA.

I. APerte adeo veritatem peccati originalis tuetur S. Cyprianus, hujusque peccati maculam in omnes Adæ posteros, ut solus ille hanc veritatem non percipiat, qui in pleno meridie cæcutire velit. Sanctus Doctor manifestat suam orthodoxiam quoad primarium hunc articulum, in suo Tractatu de Habitu Virginum, inquiens: *Scientes quod templa Dei sint membra nostra ab omni fæce contagionis antiquæ, lavacri vitalis sanctificatione purgata.* S. Cyprianus hoc loco appellat contagionem seu corruptionem antiquam id, quod a S. Irenæo appellatur antiquum vulnus, uti vidimus tomo primo hujus Operis; quod quidem designat peccatum originale. (Peccatum Originale. Tract. de Habitu Virgin. p. 68.)

II. Validius vero hanc eamdem veritatem probat S. Cyprianus in suo Tractatu de Opere & Eleemosynis: ait siquidem initio illius Tractatus, Conservandis ac vivificandis nobis Pater filium misit, ut reparare nos posset: Filius humiliavit se, ut populum qui prius jacebat erigeret: vulneratus est, ut vulnera nostra curaret: servivit, ut ad libertatem servientes extraheret. Deinde, paucis interjectis hæc subdit: *Nam cum Dominus adveniens sanasset illa quæ Adam portaverat vulnera, & venena serpentis antiqui curasset; legem dedit sano, & præcepit ne ultra jam peccaret, ne quid peccanti gravius eveniret.* Pulcherrimum sane testimonium! quod laudatam veritatem validissime tuetur, & apertissime evincit. Hoc eodem testimonio S. Augustinus urget Pelagianos ostenditque, per summam injuriam peccatum Adæ in posteros ab iisdem denegari. (Tract. de Oper. & Eleemos. pag. 137.)

III. Nec minus valide idipsum confirmat S. Cyprianus in Tractatu de Bono Patientiæ: ibi enim hæc habet: *Nam cum in illa prima transgressione præcepti firmitas corporis cum immortalitate discesserit, oportet in hac fragilitate atque infirmitate corporea luctari semper & congredi.* Observandum attente hic est, S. Cyprianum laudatis verbis æque afferere culpam & pœnam peccati Originalis: culpam quidem, cum Adæ transgressionem, veluti nostram proponat: pœnam vero, cum fragilitatem atque infirmitatem nostram originali culpæ adscribat. (Tract. de Bono Patientiæ. pag. 149.)

IV. In Tractatu de Zelo & Livore recitatis his Apostoli verbis: Mortui estis, & vita vestra abscondita est cum Christo in Deo (a), hæc habet: „ Qui ergo in Baptismo *secundum hominis antiqui peccata carnalia* & mortui, & sepulti sumus, qui regeneratione cœlesti Christo consurreximus, quæ sunt Christi & cogitemus pariter & geramus „. Quod autem Sanctus Doctor hoc loco loquatur de peccato Originali, eruitur ex eo quod statim recitat Apostoli testimonio, videlicet: „ Primus homo de terræ limo, secundus homo de cœlo. Qualis ille de limo, tales & qui de limo; & qualis cœlestis, tales & cœlestes. Quomodo portavimus imaginem ejus qui de limo est, portemus & imaginem ejus qui de cœlo est (b) „: evidenter siquidem constat, eum hoc loco opponere Jesum Christum Adæ, innocentiam Salvatoris transgressioni primi hominis. At, juxta S. Cyprianum huic transgressioni in Baptismo morimur; ergo ante Baptismum hujus transgressionis rei sumus, & per consequens originalis culpæ, quæ ab hac transgressione nihil differt. (Tract. de Zelo & Livore Pag. 156.)

V. In Tractatu pariter de Opere & Eleemosyna hanc veritatem formaliter tuetur: ibi enim ut ad eleemosynam elargiendam divites perducat, „ Eme tibi, inquit, qui locuples & dives es, eme tibi albam vestem, *Ut qui secundum Adam nudus fueras, & horrebas ante deformis, indumento Christi candido vestiaris.* Et in Tractatu de Patientia docet, Adam per suum peccatum amisisse divinam similitudinem; quam nos per Baptismum & per bona opera iterum acquirimus & conservamus: *Si similitudo divina, quam peccato Adam perdiderat, manifestetur & luceat in actibus nostris.* (Tract. de Opere & Eleemos. pag. 141.) (Tract. de Patient. pag. 146.)

VI. Tandem orthodoxa Divi Cypriani fides de peccato originali sic invictissime probatur. Quidam in Africa Episcopus, Fidus nomine, consilium a Sancto Doctore petierat, num oporteret baptizare infantes intra secundam vel tertiam diem ex quo nati sunt, vel, juxta legem circumcisionis antiquæ, & expectanda esset dies octava a nativitate, ut salutari aqua tingerentur: S. Cyprianus respondet epistola 64., sibi aliisque Episcopis in Concilio congregatis visum esse, legem circumcisionis antiquæ considerandam non esse, nec denegandum infantibus recens natis Baptisma, quoniam per hoc Sacramentum accipiunt remissionem peccati, quod contraxerunt per nativitatem ex Adamo. Cæterum si homines, inquit S. Cyprianus, impedire aliquid ad consecutionem gratiæ posset, magis adultos, & provectos, & majores natu possent impedire peccata graviora: Porro autem si etiam gravissimis delictoribus, & in Deum multum ante peccantibus, cum postea crediderint, remissa peccatorum datur, & a Baptismo atque gratia nemo prohibetur; *Quanto magis prohiberi non debet infans, qui recens natus nihil peccavit, nisi quod secundum Adam carnaliter natus, contagium mortis antiquæ prima nativitate contraxit? Qui ad remissam peccatorum accipiendam hoc ipso facilius accedit; quod illi remittuntur non propria, sed aliena peccata.* (III. SÆCULUM.) (Epist. 64. Pag. 281.)

VII. In quem Divi Cypriani textum animadvertendum est 1°. maximam hæc verba obtinere auctoritatem, quia sunt decisio plena & absolutissima totius Concilii in Africa congregati: & sub hoc quidem aspectu laudatum testimonium urget S. Augustinus contra Julianum. 2°. Manifestum est, Divum Cyprianum cum toto Concilio tueri veritatem peccati Originalis in omnibus Adæ posteris; in omnibus, inquam, qui recens nati nihil peccaverunt: *Qui recens natus nihil peccavit.* 3°. S. Cyprianus subdit, peccatum originale in infantibus non esse proprium eorum peccatum, sed peccatum alienum: *Non propria, sed aliena peccata*, quæ verba quosdam morari possent, quasi Sanctus Doctor insinuare vellet, peccatum hoc non attingere infantes recens natos: sed falsa & ridicula esset hæc interpretatio, tum quia pulcherrima superius allata S. Cypriani testimonia contrarium evincunt; tum quia vel hoc ipsum testimonium, ex quo præsens difficultas eruitur, talem interpretationem destruit: ibi enim conceptis verbis docet S. Cyprianus, omnes homines secundum Adam carnaliter natos, contagium mortis antiquæ prima nativitate contrahere: quando igitur Sanctus Doctor repræsentat hanc maculam veluti peccatum alienum, id unum significare intendit, quod ii qui hujus criminis rei dicuntur, propria non vivebant vita, quando primi parentes eam maculam contraxerunt, sed eorum vita vivebant, in quibus erat semen totius posteritatis. Cæterum Deus infantibus imputat peccatum originale, uti proprium eorum peccatum, & carnalis generatio efficit peccatum hoc proprium iis omnibus, quibus per spiritualem regenerationem non est ablatum.

VIII. Etsi Originalis labes perfectissimam hominis viatoris libertatem aliquantulum læserit; certum nihilominus est, juxta doctrinam Sancti hujus Carthaginiensis Episcopi, per hanc labem hominis libertatem omnino destructam non fuisse. Deus servat legem, qua homo libertati suæ relictus appetit sibimet vel vitam, vel mortem: *Servans scilicet legem, qua homo libertati suæ relictus, & in arbitrio proprio constitutus, sibimet ipse vel mortem appetit, vel salutem.* Hinc Salvator in terris degens *non increpuit recedentes, aut graviter comminatus est, sed magis conversus ad Apostolos suos dixit: Numquid & vos vultis ire (c)?* Hæc habet S. Cyprianus epistola 59. quæ est ad S. Cornelium Papam. (Liberum hominis arbitrium. Epist. 59. pag. 262.)

IX. Eamdem hanc veritatem tradit Sanctus Doctor in suo Tractatu de Ecclesia: ibi enim de Hæreticis & Schismaticis verba faciens, *Hæc*, inquit, *Dominus permittit & patitur, manente propriæ libertatis arbitrio*: „ Ut dum corda nostra, subjungit Sanctus Episcopus, & mentes nostras veritatis discrimen examinat, probatorum fides integra manifesta luce clarescat „. Probat vero alio loco manifestis Scripturarum oraculis, a nostra libertate pendere, credere, vel non credere. In Deuteronomio siquidem Moyses sic Hebræos alloquitur: (d) Proposui vobis vitam & mortem, benedictionem & maledictionem. Elige ergo vitam, ut & tu vivas, & semen tuum. Isaias Deum sic loquentem inducit: (e) Si volueritis & audieritis me, bona terræ comedetis: quod si nolueritis, & me ad iracundiam provocaveritis, gladius devorabit vos. In Evangelio Divi Lucæ Salvator ait: (f) Ecce Regnum Dei intra vos est. Hæc est Divi Cypriani mens quoad libertatem (Tract. de Unitate Ecclesiæ. Pag. 80.) (Lib. 3. Testimon. pag. 58.)

(a) Ad Colossens. cap. 3. vers. 3.
(b) I. ad Corinth. cap. 15. vers. 47. 48. 49.
(c) Joann. cap. 6. v. 68.
(d) Cap. 30. vers. 19.
(e) Cap. 1. vers. 19. 20.
(f) Cap. 17. vers. 21.

III. SAECULUM.

bertatem hominis viatoris. Homo, juxta ipsum, proprio arbitrio relinquitur, ita ut possit vel bonum vel malum operari, ad virtutem sectandam nulla necessitate cogitur: Deus relinquit eum in manu arbitrii sui juxta legem quam sibimet ipse Deus constituit, servandi scilicet hominis libertatem: ab homine pendet credere vel non credere: ea quae promittit Deus in Scripturis, & ea quae ibidem minatur, hanc doctrinam evincunt: haec evidenter ostendunt, posse hominem vel salutem obtinere, vel damnationem incurrere, absque eo quod promissiones istae, vel istae comminationes supervacaneae ac ridiculae evadant. Novatores quidem aliter sentiunt; verum contra Scripturam, contra Traditionem, ut pluries jam demonstravimus.

X. Praerogativa haec homini caeteroquin gloriosa nullam eidem debet inspirare praesumptionem; hoc siquidem esset toto coelo aberrare a mente Divi Cypriani: ex solo enim ejus Tractatu de Oratione Dominica edocemur, juxta animadversionem Divi Augustini, nimium nos praesumere non debere de libero arbitrio: *Legimus* (*a*), verba sunt Sancti Hipponensis Episcopi, *librum Beatissimi Martyris Cypriani de Oratione Dominica, & ostendimus quemadmodum docuerit omnia quae ad mores nostros pertinent, quibus recte vivimus, a Patre nostro qui in coelis est esse poscenda; ne de libero praesumentes arbitrio, a divina gratia decidamus.* Recitabimus modo hunc Divi Cypriani textum de necessitate gratiae, qui reipsa legitur in ejus Tractatu de Oratione Dominica, & de quo loquitur iterum S. Augustinus in sua epistola 107. & in suo libro de Gratia & Libero arbitrio cap. 13. & alibi.

Necessitas Gratiae. Tract. de Oratione Domin. pag. 205. XI. En igitur celeberrimum Divi Cypriani testimonium. „ Addimus quoque & dicimus, inquit ille, „ fiat voluntas tua sicut in coelo & in terra, non ut „ Deus faciat quod vult, sed ut nos facere possimus „ quod Deus vult: nam Deo quis obsistit, quo minus quod velit faciat? Sed quia nobis a Diabolo „ obsistitur, quo minus per omnia noster animus at„ que actus Deo obsequatur, oramus & petimus ut

pag. 205. „ fiat in nobis voluntas Dei, „ *Quae* (*Dei voluntas*) *ut fiat in nobis, opus est Dei voluntate, idest ope ejus & protectione, quia nemo suis viribus fortis est, sed Dei indulgentia & misericordia tutus est.* Quae celeberrima Divi Cypriani verba & infirmitatem hominis, & necessitatem gratiae ad recte operandum perbelle demonstrant.

XII. Certum igitur est ex Divo Cypriano, nunquam nos posse Dei voluntatem implere absque ejus gratia, cui veritati firmiter adeo adhaeret Sanctus Doctor, ut

Tract. de Gratia ad Donat. pag. 2. Epist. 53. pag. 216. Tract. de Orat. Domin. pag. 204. alio loco asserat, Dei esse omne quod possumus: *Dei est, inquam, Dei omne quod possumus*; necnon sanctos viros adscribere Deo quidquid in Ecclesia gloriose & granditer operati sunt: tandem, quando in Oratione Dominica petimus ut Dei nomen sanctificetur; *Id petimus & rogamus*, inquit S. Cyprianus, *ut qui in baptismo sanctificati sumus, in eo, quod esse coepimus, perseveremus .... hanc continuis orationibus precem facimus; hoc diebus ac noctibus postulamus, ut sanctificatio & vivificatio, quae de Dei gratia sumitur, ipsius protectione servetur.*

XIII. Concludamus ex his Divi Cypriani testimoniis, & praecipue ex postremo, omne quod possumus Dei esse, initium & perseverantiam in bono a Deo procedere: *Ut sanctificatio, & vivificatio, quae de Dei gratia sumitur, ipsius protectione servetur:* initium quidem, quoniam de ejus gratia & sanctitatem, & vitam habemus, *Quae de Dei gratia sumitur:* perseverantiam vero, quoniam hanc postulamus: *Hoc postulamus, ut sanctificatio & vivificatio .... ipsius protectione serve-*

Lib. 3. Testim. c. 4. pag. 46. *tur.* Nil mirum igitur si S. Cyprianus asserat, in nullo nobis gloriandum esse, quando nostrum nihil sit: nec mirum si proferat deinde haec Evangelii verba: (*b*) Nemo potest quidquam accipere, nisi datum fuerit illi de coelo: item haec Divi Pauli: (*c*) Quid enim habes quod non accepisti? Si autem accepisti, quid gloriaris quasi non acceperis? Tandem verba haec ex libro primo Regum: (*d*) Nolite gloriari, neque loquamini excelsa, & non procedat magniloquentia ex ore vestro, quia Deus scientiarum Dominus.

Ibid. c. 10. pag. 48. XIV. Eadem de causa hortatur nos Sanctus Carthaginiensis Episcopus, ut in solo Deo gloriemur: in Deum solum fidendum, inquit ille, & in ipso gloriandum esse. Docet pariter, ut super nosmetipsos vigilemus, & eo magis humiles simus, quo majora a Deo consecuti sumus; quoniam Dei gratiam amittere possumus, & potest Dei gratia nos deserere. Etsi summa sit sanctitas Christiani, non eum immunem fa-

III. SAECULUM.

cit ab insidiis diaboli, aut contra tentationes & pericula & incursus atque impetus saeculares adhuc in saeculo positum perpetua securitate defendit. „ Caeterum „ nunquam in Confessoribus fraudes & stupra & adul„ teria postmodum videremus, quae nunc in quibus„ dam videntes ingemiscimus & dolemus. Quisquis

Gratia & Justitia Christiana amitti possunt. Tract. de Unit. Ecclesiae. pag. 84. „ ille Confessor est, Salomone major aut melior aut „ Deo charior non est; qui tamen, quamdiu in via „ Domini ambulavit, tamdiu gratiam, quam de Do„ mino fuerat consecutus, obtinuit; postquam dereli„ quit Domini viam, perdidit & gratiam Domini. „ Et ideo scriptum est: (*e*) Tene quod habes, ne „ alius accipiat coronam tuam. Quod utique Domi„ nus non minaretur auferri posse coronam justitiae, „ nisi quia recedente justitia, recedat necesse est & „ corona. Confessio exordium gloriae est, non meri„ tum jam coronae ..... Quidquid ante finem fuerit, „ gradus est quo ad fastigium salutis ascenditur, non „ terminus quo jam culminis summa teneatur „ ..... *Post confessionem periculum majus est, quia plus adversarius provocatus est.*

XV. Certum igitur est, posse nos & gratiam, & justitiam christianam amittere, quidquid in contrarium dicere possint Novatores. Omnis igitur gloriatio absit a nobis; imbecillitatem & infirmitatem nostram confiteamur; omnia Dei gratiae tribuamus: *Ut dum praecedit*

Tract. de Orat. Domin. p. 206. *humilis & submissa confessio, & datur totum Deo, quidquid suppliciter cum timore & honore Dei petitur, ipsius pietate praestetur.* Sit tantum timor innocentiae

Augentur & multiplicantur gratiae Divinae prout quis fideliter iisdem respondet. Tract. de Gratia ad Donatum. pag. 3. custos, ut qui in mentes nostras indulgentiae coelestis allapsu clementer Dominus influxit, in animi oblectantis hospitio justa obtemperatione teneatur, ne accepta securitas indulgentiam pariat, & vetus denuo hostis obrepat. Caeterum si tu innocentiae, verba sunt S. Cypriani, si justitiae viam teneas, si illapsa firmitate vestigii tui incedas, si in Deum viribus totis ac toto corde suspensus hoc sis tantum quod esse coepisti, tantum tibi ad licentiam datur, quantum gratiae spiritalis augetur. Non enim qui beneficiorum terrestrium mos est, in capessendo munere coelesti mensura ulla vel modus est. Profluens largiter Spiritus nullis finibus premitur, nec coercentibus claustris intra certa metarum spatia fraenatur. *Manat jugiter, exuberat affluenter. Nostrum tantum sitiat pectus & pateat: quantum illic fidei capacis afferimus, tantum gratiae inundantis haurimus.*

Efficacia Gratiae. Ibid. p. 2. XVI. Nunc vero de gratiae efficacia sit sermo. Hanc veritatem mirifice probat S. Cyprianus sola narratione eorum quae in seipso expertus est ante & post suum Baptismum. „ Ego, inquit ille, cum in tenebris at„ que in nocte caeca jacerem, cumque in salo jactan„ tis saeculi nutabundus ac dubius vestigiis oberranti„ bus fluctuarem, vitae meae nescius, veritatis ac lucis „ alienus, difficile prorsus ac durum pro illis tunc „ moribus opinabar, quod in salutem mihi divina in„ dulgentia pollicebatur, ut quis renasci denuo pos„ set, utque in novam vitam lavacro aquae salutaris „ animatus quod prius fuerat exponeret, & corporis „ licet manente compage hominem animo ac mente „ mutaret. *Qui possibilis, ajebam, est tanta conversio,* „ *ut repente .... exuatur, quod vel genuinum situ ma*„ *teriae naturalis obduruit, vel usurpatum diu senio* „ *vetustatis inolevit?* .... Quando parsimoniam di„ scit, qui epularibus coenis & largis dapibus assue„ vit; & qui pretiosa veste conspicuus in auro atque „ in purpura fulsit, ad plebejum se ac simplicem cul„ tum quando deponit? Fascibus ille oblectatus & „ honoribus, esse privatus & inglorius non potest: „ hic stipatus clientium cuneis, frequentiore comita„ tu officiosi agminis honestatus, poenam putat esse „ cum solus est .... *Haec egomet saepe mecum.* Nam „ ut ipse quamplurimis vitae prioris erroribus impli„ citus tenebar, quibus exui me posse non crederem; „ sic vitiis adhaerentibus obsecundans eram, & despe„ ratione meliorum malis meis veluti jam propriis ac „ vernaculis favebam. „

XVII. „ Sed postquam undae genitalis auxilio supe„ rioris aevi labe detersa, in expiatum pectus serenum „ ac purum *desuper se lumen infudit* .... mirum in „ modum protinus confirmare se dubia, patere clau„ sa, lucere tenebrosa, facultate dare quod prius dif„ ficile videbatur, geri posse quod impossibile putaba„ tur, ut esset agnoscere terrenum fuisse quod prius „ carnaliter natum delictis obnoxium viveret, Dei es„ se coepisse quod jam Spiritus Sanctus animaret .... „ Dei est, inquam, Dei est omne quod possumus. „ Inde vivimus, inde pollemus, inde sumpto & con-

ccepto

(*a*) Epist. 47.
(*b*) Joann. cap. 3. vers. 27.
(*c*) 1. Corinth. cap. 4. vers. 7.
(*d*) Cap. 2. vers. 3.
(*e*) Apocal. cap. 3. vers. 11.

III. SAECULUM.

„ cepto vigore hic adhuc positi futurorum indicia „ prænoscimus „. Nescio an validius aliquid proferri possit ad vim & efficaciam gratiæ comprobandam. Ex recitatis modo præclarissimis Divi Cypriani verbis apertissime constat, medicinalem gratiam Salvatoris prompte & celeriter adesse, necnon validissime operari, quoniam protinus immutat, & *mirum in modum*, ut inquit ipse S. Cyprianus, hominem, cujus conversio eo magis impossibilis in seipsa videbatur, quod homini eidem videbatur incredibilis. Verum, quis Deo obsistere posset, ut Sanctus Episcopus egregie habet alio loco, quominus faceret quod velit? *Nam Deo quis obsistit, quominus quod velit faciat?*

Tract. de Orat. Dom. p. 102.

XVIII. Ut mirabilibus gratiæ effectibus, quos in sua conversione expertus est, corresponderet S. Cyprianus, miram gratiæ Divinæ vim & efficaciam deinceps semper asseruit & propugnavit. Huic Divinæ gratiæ ut aliquo utamur exemplo, attribuit ille victoriam Martyrum, & repræsentat nobis Christum pugnantem in Sanctis suis, & in ipsis vincentem mortem, quam pro nobis semel vicit. „ Major est, inquit gloriosissimus iste Martyr epistola 10. quæ est ad Martyres & „ Confessores, qui in nobis est, quam qui est in hoc „ mundo, nec plus ad dejiciendum potest terrena pœ„ na, quam ad erigendum tutela divina „. Tum loquitur de tormentis a Sanctis Martyribus fortiter & constanter toleratis; deinde sic prosequitur: „ Vidit „ admirans præsentium multitudo cœleste certamen, „ certamen Dei, certamen spiritale, *prælium Christi .... Quam lætus illic Christus fuit, quam libens in talibus servis suis & pugnavit & vicit .... Certamini suo adfuit, præliatores atque assertores sui nominis erexit, corroboravit, animavit. Et qui pro nobis mortem semel vicit, semper vincit in nobis .... Sed & ipse luctatur in nobis, ipse congreditur, ipse .... & coronat pariter & coronatur.*

Epist. 10. pag. 183. — pag. 184.

CAPUT UNDECIMUM.

DE INVOCATIONE SANCTORUM DE SACRIS RELIQUIIS, DE VOTIS, ET DE INDULGENTIIS.

I. JUcundissimum esse debet Ecclesiæ Catholicæ proferre posse S. Cyprianum testem suæ Doctrinæ quoad plurima Dogmata, quorum veritatem in dubium de more vocant qui ab illius communione recesserunt. Inter has veritates recensere possumus quatuor articulos qui hujus capitis argumentum constituunt; hoc est, Intercessio Sanctorum, Sacræ Reliquiæ, Vota, & Indulgentiæ. Si Novatoribus fides habeatur, illicitum est invocare Sanctos, & invocari nequeunt, quin lædatur Mediatio Jesu Christi. Videamus modo, num idipsum sentiat S. Cyprianus quoad primum hunc articulum.

Intercessio Sanctoru. Tract. de Habit. Virgin. p. 74.

II. Itaque Sanctus Carthaginiensis Episcopus Tractatum suum de Habitu Virginum sic concludit: *Tantum mementote tunc nostri, cum incipiet in vobis Virginitas honorari:* quod certe supponit, Sanctos, qui in cœlis sunt, orare pro illis qui in terris degunt. Utique Joannes Fellus, cujus Editionem sequimur, diverso prorsus pacto intelligit hunc Divi Cypriani locum, contenditque, vetustum hunc Ecclesiæ Patrem hoc loco sermonem habere de remuneratione quæ præbetur in terris per martyrium, non in cœlis per gloriam. Verum hic non est genuinus & naturalis sensus verborum S. Cypriani, cum meridiana luce clarius sit, de Beatorum gloria ibidem verba fieri. Audiamus eumdem Sanctum Martyrem, paulo superius sic loquentem: „ Hortamentis vos mutuis excitate, æmulis de virtute „ documentis ad gloriam provocate. Durate fortiter, „ spiritaliter pergite, pervenite feliciter. Tantum „ mementote tunc nostri, cum incipiet in vobis Vir„ ginitas honorari „. Nonne loquitur hoc loco S. Cyprianus de gloria cœlesti, cujus adeo expresse meminit recitatis verbis? Ast, subdit Editor, quando verum esset, Sanctorum orationes proficere nobis in terris, non inde necessario sequeretur, posse nos eosdem Sanctos invocare. Secunda hæc Fulli animadversio minus inepta est, sed æque ac prima, nulli valido nititur fundamento: si enim Sancti in cœlis possunt nobis prodesse, cur illicitum erit nobis in terris illos invocare? Si eorum intercessio, sive mediatio mediationi Jesu Christi non officit, cur dicemus, mediationem Salvatoris lædi Sanctorum invocatione; præcipue quando secundum purissimam & orthodoxam Ecclesiæ mentem invocentur?

Epist. 60. pag. 271.

III. „ Memores nostri invicem simus, inquit insuper S. Cyprianus epistola 60. quæ est ad S. Cornelium Papam, concordes atque unanimes, utrobique „ pro nobis semper oremus, pressuras & angustias „ mutua charitate relevemus, *& si quis istinc nostrum prior divinæ dignationis celeritate præcesserit, perseveret apud Dominum nostra dilectio, pro fratribus & sororibus nostris apud misericordiam Patris non cesset oratio.* An dicet Fullus, non agi hoc loco de intercessione Sanctorum in cœlis? Hujusce testimonii auctoritate convictus fatetur ipse, animas Sanctorum in cœlis pro nobis orare; sed semper negat inde sequi, posse nos in terris ad Sanctos preces fundere. Nulla mihi occurrit S. Cypriani hac de re auctoritas, quam Fullo opponere possim: occurrunt tamen innumeri Patres Cypriano vetustiores, qui exagitant quoad hunc articulum hæreticos, uti superius non semel observavimus.

IV. Cæterum, si invocari possunt Sancti qui adhuc in terris sunt, si eorum intercessio implorari potest; sane non video, uti supra ajebam, quo pacto illicitum esse possit eos invocare qui in Cœlis jam sunt. Si enim preces istis porrectæ, injuriosæ sunt Christo Domino, erunt pariter & preces porrectæ justis adhuc in carne positis; vel, si injuriosæ non sunt istæ, nec erunt illæ. Verum inter Epistolas S. Cypriani una proferri potest, quæ est Celerini ad Lucianum, ex qua eruitur, Justorum adhuc viventium mediationem & intercessionem olim imploratam fuisse, adeoque & nunc pariter implorari posse. Celerinus de Sorore sua verba faciens, quæ furente persecutione idolis imolaverat, eam præcipue commendat precibus Luciani cæterorumque Confessorum, ut eorum intercessione veniam sui criminis impetrare valeat: „ Cre„ do enim, subjungit Celerinus, jam Christum eis „ (loquitur hoc loco de Numeria & Candida) secun„ dum earum pœnitentiam, vobis martyribus suis pe„ tentibus indulturum ..... Rogo itaque, Domine, „ & peto per Dominum nostrum Jesum Christum, ut „ cæteris Collegis tuis fratribus tuis meis Dominis „ referas, & ab eis petas, ut quicumque prior ve„ strum coronatus fuerit, istis sororibus nostris Nume„ riæ & Candidæ tale peccatum remittant .... Sed „ quatenus per vestras sanctas orationes & petitiones, „ *in quas nos fatimus* .... quod omnia indu gemis „.

Epist. 21. pag. 201. — pag. 202.

V. Inter Divi Cypriani epistolas altera extat, quæ est Nemesiani, Dativi, Felicis, & Victoris ad eumdem Sanctum Doctorem, in qua veteres isti fatentur, Angelos pro nobis intercedere, & orationibus suis nobis favere: en autem illius epistolæ verba: *Simul ergo orationibus nostris alterutrum adjutores, & rogemus, sicut mandasti, ut Deum & Christum, & Angelos, in omnibus actibus nostris habeamus fautores.* Antiquitas tota deponit contra Novatores, ac tuetur Sanctorum intercessionem. Qua fronte igitur, quibus momentis adversari possunt & fidei & praxi totius Ecclesiæ quoad hunc articulum?

Epist. 77. pag. 330.

VI. Novatores isti non minus acerbe insurgunt contra cultum Sacrarum Reliquiarum: at & in hac parte æque adversantur toti antiquitati. Id demonstravimus jam supra auctoritate quorumdam Ecclesiæ Patrum: nunc vero ex Divo Cypriano idipsum confirmamus. Narrat Auctor vitæ Divi Cypriani, quod cum magnus iste Episcopus ad prætorium venisset, nondum procedente Proconsule, secretior locus datus est. Illic, prosequitur idem Auctor, cum post iter longum nimio sudore madidatus sederet, quidam ex tesserariis, quondam Christianus, res suas obtulit, quasi vellet ille vestimentis suis humidis sicciora mutare: *Qui videlicet*, inquit Pontius Diaconus, *nihil aliud in rebus oblatis ambiebat, quam ut proficiscentis ad Deum martyris sudores jam sanguineos possideret.* Exemplum hoc saltem evincit, olim reliquias Martyrum summam venerationem apud fideles obtinuisse: quæ quidem veneratio e diametro opponitur sacrilego contemptui Novatorum erga easdem.

De Reliquiis Sanctorum. Vit. S. Cyprian. Pag. 10.

VII. Acta Martyrii S. Cypriani, juxta editiones Manutii & Moreli, referunt, fideles linteamina & manualia ante eum misisse, ne sanctus ejus cruor defluens absorberetur a terra. Quæ Acta maximam obtinent auctoritatem, cum eadem memoret Pontius Diaconus. In aliis Actis ex vetusto quodam Manuscripto desumptis, & publici juris per Pamelium factis, idipsum iisdem verbis refertur: *Linteamina vero & manualia a fratribus ante eum mittebantur*; & quidem eadem de caussa mox allata, videlicet *Ne sanctus cruor defluens absorberetur a terra*, ut habent Acta supra recensita.

VIII. Supervacaneum autem est ex alienis scriptis momenta mutuari, quibus Sacrarum Reliquiarum veneratio asseratur, cum validissima suppetant in quadam S. Cypriani Epistola, quæ est sexta Oxoniensis editionis. Sanctus Episcopus initio suæ epistolæ testatur Confessoribus, quibus epistola illa inscripta est, testatur, inquam, lætitiam qua perfunderetur, si quando complecti posset illa membra, quæ eorum Confessionis instrumenta fuerunt; si osculari posset ora illa,

quæ

III. SÆCULUM.

quæ nomen Jesu Christi gloriose confessa sunt; si posset conspici ab oculis illis, qui despecto sæculo, conspiciendo Deo digni extiterunt: *Quid mihi speciosius*, inquit ille, *& lætius .... quam ut complecterer manus illas, quæ .... Dominicam fidem servantes sacrilega obsequia respuerunt? Quid jucundius & sublimius, quam osculari ora illa, quæ gloriosa voce Dominum confessa sunt?* Ridendi igitur non erimus, si ex hoc S. Cypriani testimonio concludamus, Sanctorum reliquias esse honorandas: nam si eorum membra, dum adhuc in vivis erant, veneratione erant digna, majori quidem digna censeri debent postquam ad plures migraverunt; nisi dicere velimus, per gloriosam eorum mortem pretiosas eorum reliquias vilescere: at contra per mortem novum gloriæ gradum acquirunt.

Epist. 6. pag. 176. & 177.

IX. Quoad vota vero, quæ injustas Novatorum censuras non effugiunt, docet S. Cyprianus, hæc ipsius ævo in usu fuisse. In suo Tractatu de Habitu Virginum loquitur Sanctus Doctor de quibusdam, *Quæ se Christo dicaverant, & a carnali concupiscentia recedentes, tam carne, quam mente se Deo voverant*. Quamprimum videbimus, vota hæc non fuisse absoluta, & hujusmodi voventes potuisse in casu necessitatis inire matrimonium. Ast Novatores saltem inficiari non poterunt, tertio sæculo in Ecclesia extitisse vota a votis Baptismi diversa.

Continentiæ Votum in usu erat S. Cypriani ætate. Tract. de Habit. Virgin. p. 68.

X. Pomponius ad S. Cyprianum litteras miserat, postulans & desiderans, ut sibi rescriberet quid illi de iis Virginibus videretur, quæ cum semel statum suum continenter & firmiter tenere decrevissent, detectæ fuerant postea in eodem lecto pariter mansisse cum masculis. S. Cyprianus respondet inter cætera, Virgines non solum non debere cum masculis dormire, sed nec simul vivere: *Quod si ex fide se Christo dicaverunt*, subdit Sanctus Doctor, *pudice & caste sine ulla fabula perseverent*. Si autem perseverare nolunt, vel non possunt, *melius est ut nubant*, quam in ignem deliciis suis cadant. Quod quidem obiter confirmat nostram superius propositam animadversionem, vota scilicet tunc temporis non fuisse adeo absoluta, ut obligarent etiam in casu necessitatis. Cæterum docet S. Cyprianus fieri non posse, quin Christus Dominus irascatur & indignetur, dum cernit *Virginem suam sibi dicatam & sanctitati suæ destinatam* jacere cum altero: & tandem asserit, excommunicatione eas plectendas esse, quæ in hæc crimina prolabuntur, & ab Ecclesiæ communione tamdiu arcendas, quamdiu pœnitentiam fecerint, & proprium crimen publica Confessione omnibus aperuerint.

Epist. 4. pag. 174.

XI. Ex quibus S. Cypriani verbis nullo negotio eruitur, Continentiæ vota fuisse publica. Nam si res se ita non habet, non video quo jure harum Virginum crimen, veluti adulterium plecti potuerit, nec ad rem esset rigorose loquendo comparatio quam instituit Sanctus Doctor inter uxorem adulteram mariti sui, & virginem adulteram Christi. Insuper, quo jure præcepisset Ecclesia, ut Virgines istæ ab obstetricibus diligenter inspicerentur, uti referente S. Cypriano, reipsa tunc temporis inspiciebantur? Sane non omnes in genere Virgines, quæ cum masculis dormierant, inspiciebantur: igitur laudatæ Virgines peculiari aliquo titulo ac vinculo ad Ecclesiam pertinebant; pertinebant autem per propria vota, quæ per consequens nonnisi publica esse poterant.

XII. Indulgentiæ æque in praxi primorum Ecclesiæ sæculorum fundantur, ut testantur quædam S. Cypriani epistolæ. Primo igitur epistola 18. Editionis Oxoniensis, videns S. Cyprianus, facultatem eundi Carthaginem nondum se habere, & jam æstatem cœpisse quod tempus infirmitatibus assiduis & gravibus infestatur, mandat Presbyteris, & in casu necessitatis Diaconis Ecclesiæ suæ, ut aliqua indulgentia utantur erga lapsos, si quando in vitæ discrimine sint constituti: „ Ut qui libellos a Martyribus acceperunt, „ inquit Sanctus Doctor, & prærogativa eorum apud „ Deum adjuvari possunt, si incommodo aliquo, & „ infirmitatis periculo occupati fuerint, non expectata „ præsentia nostra, apud Presbyterum quemcumque „ præsentem, vel si Presbyter repertus non fuerit, & „ urgere exitus cœperit, apud Diaconum quoque „ exomologesim facere delicti sui possint; ut manu „ eis in pœnitentiam imposita veniant ad Dominum „ cum pace, quam dari Martyres litteris ad nos factis desideraverunt „. Idipsum repetit epistola 19. „ Quoniam tamen, inquit ille alloquens suum Clerum, significastis quosdam immoderatos esse, & „ communicationem accipiendam festinanter urgere, „ & desiderastis in hac re formam a me vobis dari, „ satis plene scripsisse me ad hanc rem proximis litteris ad vos factis credo, ut qui libellum a Martyribus acceperunt .... *si premi infirmitate aliqua & periculo cœperint, exomologesi facta, & manu eis a vobis in pœnitentiam imposita, cum pace a Martyribus sibi promissa ad Dominum remittantur*.

De Indulgentiis. Epist. 18. pag. 197. & 198.

Epist. 19. pag. 198.

XIII. Hæc testimonia, & alia plurima quæ afferri possent si opus esset, validissime probant potestatem, quæ penes Ecclesiam residet, concedendi Indulgentias. Has concedebat Ecclesia ætate Divi Cypriani, ut modo vidimus: potest ergo easdem hodie etiam concedere. Sancta hæc Mater primis sæculis considerabat, Martyres per tormenta acquirere meritorum superabundantiam, quæ pro certo habebat se posse iis applicare, quibus propter dispositiones animæ vere pœnitentis poterant utilitatis aliquid afferre: non enim credibile est, omnibus indiscriminatim Martyrum libellos datos fuisse: oppositum siquidem insinuant hæc verba epistolæ 15. *Peto*, sic S. Cyprianus alloquitur Martyres, *ut eos quos ipsi videtis, quos nostis, quorum pœnitentiam satisfactioni proximam conspicitis, designetis nominatim libello*, & sic ad nos fidei ac disciplinæ congruentes litteras dirigatis. Nunquam credidit Ecclesia, posse peccatores salutem consequi, si Divinæ justitiæ pro suis peccatis non satisfecerint. Merita Martyrum, eorum libelli id unum obtinebant, ut pœnitentiæ tempus, & quidem in casu necessitatis, imminueretur. Idem spiritus viget etiamnum hodie in Ecclesia quoad Indulgentiarum dispensationem. Quando aperit ipsa thesaurum meritorum Sanctorum, non intendit largiri satisfactiones, secus indulgentiæ essent illusoriæ. Sed unice vult, has indulgentias, sicuti olim, diffundi super eos, qui ob optimas dispositiones Sanctorum meritis possint esse participes. Ecclesia semper intendit servare hanc regulam, quam in eadem epistola tradit S. Cyprianus: *Inspiciatis & actum, & opera, & merita singulorum, ipsorum quoque delictorum genera, & qualitates cogitetis*. Quæ tanta prudentia conceduntur Indulgentiæ, legitimæ apprime sunt, & ad fidelium utilitatem mirum in modum proficiunt.

XIV. In genere, Indulgentiæ cum sint auxilia non propria, sed aliena, caute ac moderate concedi debent. *Provocasse est iram, non servasse justitiam, nec misericordiam prius Dei deprecandam putare, sed contempto Domino de sua facilitate præsumere. Neque enim statim videri potest de divina Majestate concessum, quod fuerit humana pollicitatione promissum*. Adeo non omne quod petitur in præjudicio petentis, sed in dantis arbitrio est: *Nec quidquam sibi usurpat & vindicat humana sententia, nisi annuat & censura divina*. Nemo infamet Martyrum dignitatem, nemo eorum glorias destruat & coronas. Manet incorruptæ fidei robur incolume, nec dicere aliquid aut facere contra Christum potest, cujus & spes, & fides & gloria omnis in Christo est. Ut ab Episcopis contra mandatum Dei fiat, auctores esse non possunt qui ipsi Dei mandata fecerunt. *Deus non deridetur: derideri & circumveniri Deus non potest, nec astutia aliqua fallente deludi*. Uno verbo Indulgentiæ omne meritum omnemque virtutem amittunt quando sunt contra Evangelium; & reipsa sunt contra Evangelium, quando celeriter nimis peccatorum remissionem concedunt reis, & antequam Deo per veram pœnitentiam fecerint satis. Hæc est decisio Cleri Romani scribentis ad S. Cyprianum. Verum de hoc argumento satis. Paucis animadvertamus, Indulgentias, quæ recensitis conditionibus destituuntur, enervare vigorem Disciplinæ & plus officere, quam prodesse dantibus simul & accipientibus.

Tract. de Lapsis. pag. 92. pag. 93.

pag. 95.

Epist. 36. pag. 219.

CAPUT DUODECIMUM.

DE JUDICIO, DE GLORIA SANCTORUM, DE PURGATORIO, ET DE INFERNO.

I. Sanctus Cyprianus de extremo judicio verba faciens exclamat: „ O dies ille qualis & quantus adveniet, Fratres dilectissimi, cum cœperit populum suum Dominus recensere, & divinæ cognitionis examine singulorum merita recognoscere, mittere in gehennam nocentes, & persecutores nostros „ *Flammæ pœnalis ardore* flammare, nobis vero mercedem fidei & devotionis exolvere .... Dum revelatio illa venerit, cum claritas super nos Dei fulserit, tam beati erimus & læti, dignatione Domini honorati, quam rei remanebunt & miseri, qui Dei desertores, aut contra Deum rebelles voluntatem fecerunt Diaboli „. Alibi vero Scripturarum auctoritate probat, quod hoc judicium erit terribile. Sic scri-

Judicium extremum. Epist. 58. pag. 258.

III. SAECULUM.

scriptum est in Malachia Propheta: (a) „ Ecce dies „ Domini venit ardens velut clibanus ; eruntque omnes alienigenæ, & omnes iniqui stipula, & succendet illos adveniens dies, dicit Dominus. Quod item legimus in Psalmis, prosequitur S. Cyprianus, (Tract. de Patient. pag. 151.) *ubi Dei judicis prædicatur adventus censura sua majestate venerandus* : Deus (b) manifestus veniet, „ Deus noster, & non silebit. Ignis ante ipsum ardebit, & in circuitu ejus procella nimia. Advocabit cœlum sursum, & terram deorsum, ut separet populum suum. Colligite illi justos ejus, eos qui disponunt testamentum ejus in sacrificiis; & annuntiabunt cœli justitiam ejus, quoniam Deus Judex est „. Deinde postquam docuit, hunc judicem futurum ipsum Jesum Christum, sic prosequitur : „ Hunc expectemus, fratres dilectissimi, judicem & vindicem nostrum, Ecclesiæ suæ populum, & ab initio mundi justorum omnium nunerum secum pariter vindicaturum .... Hujus adventui plenum expectationis obsequium præbeamus. Nec defendi ante Dominum servi irreligiosa & inverecunda festinatione properemus. „

II. Perspicuum est, in omnibus recitatis Divi Cypriani testimoniis sermonem fieri de extremo judicio, de generali illo judicio, quod in fine Mundi futurum est. Videamus modo, quid sentiret S. Cyprianus de Gloria Sanctorum. „ Quæ erit gloria, inquit ille epistola 58. (De Gloria Sanctorũ. Epist. 58. pag. 258.) & quanta lætitia, admitti ut Deum videas, honorari ut cum Christo Domino Deo tuo salutis ac lucis æternæ gaudium capias, Abraham, & Isaac, & Jacob, & Patriarchas omnes & Prophetas, & Apostolos, & Martyres salutare, cum justis & Dei amicis in regno cœlorum datæ immortalitatis voluptate gaudere, sumere illic quod nec oculus vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis ascendit „. *Sedis & securitatis æternæ portum petimus*, inquit idem Sanctus Doctor in suo Tractatu de Mortalitate (Tract. de Mortalit. pag. 111.), *quando expuncta hac morte, ad immortalitatem venimus. Illa est enim*, subjungit, *nostra pax, illa fida tranquillitas, illa stabilis & firma & perpetua securitas.* Gaudium eorum est, videre Christum (pag. 114. pag. 115.). Justi dum moriuntur, ad refrigerium vocantur, ex hac vita ad meliorem transeunt, patriam petunt, parentes suos & vident & amplectuntur. *Qualis*, exclamat Sanctus Doctor, *illic cœlestium regnorum voluptas, sine timore moriendi, & cum æternitate vivendi? Quam summa & perpetua felicitas! Illic Apostolorum gloriosus chorus; illic Prophetarum exultantium numerus; illic Martyrum innumerabilis populus .... triumphantes illic virgines .... remunerati misericordes, qui alimentis & largitionibus pauperum justitiæ opera fecerunt, qui Dominica præcepta servantes, ad cœlestes thesauros terrena patrimonia transtulerunt.* (pag. 116.)

III. Hanc nobis perhibet S. Cyprianus Paradisi ideam. Est omnium Sanctorum congregatio, tam veteris, quam novi Testamenti, qui ad Dei visionem admissi, cum Christo Domino perpetua felicitate fruuntur (Sancti statim ac decedunt, ascendunt ad cœlum.), felicitate summa & immuni ab omni vel minima imperfectione. In eodem hoc Tractatu de Mortalitate S. Cyprianus docet (pag. 111. pag. 113.), Deum, qui verax est, cujus sermo credentibus æternus & firmus est, immortalitatem nobis ex hac vita exeuntibus & æternitatem promisisse: docet pariter, Justos, dum moriuntur, ad refrigerium vocari; puerosque ad continentiæ atque innocentiæ præmium feliciter pervenire (pag. 114.): tandem repræsentat nobis mortem veluti transitum a misera ad beatam vitam : unde conjicimus, S. Cyprianum credidisse, Justorum animas relicto hoc sæculo, illico æterna felicitate donari. (pag. 115. & alibi.)

IV. En aliud S. Cypriani testimonium, quod evincit, Justos omnes, qui in Ecclesiæ gremio ex hac vita decedunt, illico frui æterna felicitate. *Quanta est dignitas*, inquit Sanctus Doctor (Exortat. ad Martyr. pag. 128.) .... *claudere in momento oculos, quibus homines videbantur, & mundus; & aperire eosdem statim, ut Deus videatur & Christus .... Terris repente subtraheris, ut in regnis cœlestibus reponaris .... Sine damno temporis merces Deo judice redditur; in persecutione militia, in pace conscientia coronatur.* Omnia hæc S. Cypriani loca gravissima sunt, & proferenda essent contra Dominum Rigaltium, qui in notis in Epistolam 15. S. Cypriani contendit, Patres primorum sæculorum, quando docuerunt, Martyres immediate post mortem cœlesti gloria donari, intendisse unice inflammare Christianos ad martyrium. Injurius sane est hoc loco Rigaltius vetustis Ecclesiæ Patribus, quos potius uti peritos Politicos, quam uti Doctores veritatis traducit. Hæc si stetisset S. Cypriano opinio, nequaquam asseruisset, cœlesti gloria eos coronari, qui pacis tempore in Ecclesiæ gremio decedunt, sed de solis Martyribus hoc prædicasset.

V. Quoad Infernum vero (Supplicia Inferni. Epist. 58. pag. 258.), qui ibidem damnantur, æternis ignibus cruciantur, uti superius initio hujus Capitis diximus, dum de extremo Judicio verba fecimus : *flammæ pœnalis perpetuo ardore*. S. Cyprianus subjungit in suo Tractatu contra Demetrianum (Tract. contra Demetrian.), hos miseros inferni flammis addictos, jam redire non posse. *Cremabit addictos ardens semper gehenna: & vivacibus flammis vorax pœna; nec erit unde habere tormenta vel requiem possint aliquando, vel finem. Servabuntur cum corporibus suis animæ infinitis cruciatibus ad dolorem.* „ Spectabitur illic a nobis semper, qui hic nos spectavit ad tempus, & in persecutionibus factis oculorum crudelium brevis fructus perpetua visione pensabitur, secundum Scripturæ Sanctæ fidem dicentis: (c) Vermis eorum non morietur, & ignis eorum non extinguetur .... Erit tunc sine fructu pœnitentiæ dolor pœnæ, inanis ploratio, & inefficax deprecatio „. *In æternam pœnam sero credent, qui in vitam æternam credere noluerunt.* Idipsum de inferno tenet ac docet Ecclesia: si hodie vero Religionis contemptores veritatem & æternitatem tormentorum inferni credere nolunt; *in æternam pœnam sero credent.*

VI. Preces & Sacrificium pro defunctis supponunt fidem de existentia Purgatorii. Tradit vero S. Cyprianus, preces & oblationes pro defunctis in Ecclesia offerri consuevisse; ut eruitur ex prima ejus epistola, in qua vetat oblationes aut deprecationes fieri pro dormitione cujusdam Episcopi, Victoris nomine, qui excedens de sæculo, Geminium Faustinum Presbyterum tutorem testamento suo nominaverat. „ Et ideo Victor, inquit Sanctus Doctor, cum contra formam nuper in Concilio a Sacerdotibus datam Geminium Faustinum Presbyterum ausus sit tutorem constituere, (Preces pro defunctis; & Purgatorium. Epist. 1. pag. 170.) *Non est quod pro dormitione ejus apud vos fiat oblatio, aut deprecatio aliqua nomine ejus in Ecclesia frequentetur.*

VII. S. Cyprianus in alia epistola ut ostendat, propter Ecclesiæ indulgentiam in reconciliatione lapsorum non debere fideles despondere animis, nec debere inde Martyrum copiam impediri, ait, Martyres per mortem omnia sua peccata delere, cum e contra cæteri conficiantur in carcerem, non inde exituri, donec solvant novissimum quadrantem: *Aliud est*, inquit ille (Epist. 55. pag. 247.), *ad veniam stare, aliud ad gloriam pervenire: aliud missum in carcerem non exire inde, donec solvat novissimum quadrantem; aliud statim fidei & virtutis accipere mercedem: aliud pro peccatis longo dolore cruciatum emundari, & purgari diu igne*, sive ut habent plurima Manuscripta, *diutine* pro *diu igne*; *aliud peccata omnia passione purgasse; aliud denique pendere in die judicii ad sententiam Domini; aliud statim a Domino coronari.*

VIII. Utinam hoc S. Cypriani testimonium de Purgatorio accipi posset prolatum, uti reipsa nonnulli demonstrare satagerunt, litteraliter nimis quam par erat accipientes laudata verba, & auctoris scopum non attendentes. Opinor ego, veritatem Purgatorii non satis comprobari hoc Sancti Doctoris testimonio, qui unice intendit hoc loco, ut reor, indigitare discrimen quod habetur inter Martyrem, qui pro Christi nomine moritur, & labores pœnitentiæ, quibus subjiciebantur lapsi, de quibus Sanctus Episcopus in hac epistola loquitur. Hæc est quorumdam eruditorum opinio, quos inter Rigaltius habetur; quam opinionem piæ opinioni libenter præfero, cum pia opinio satis valido fundamento non innitatur. Qui hanc epistolam attente perlegerit, nobiscum quoad hunc articulum sentient.

APPENDIX

In qua explicantur quædam difficilia Divi Cypriani loca quoad Dogma.

I. PRiusquam Morum veritates ex Divo Cypriano exscribamus, injucundum non erit Lectori, si aggredimur explicare quædam difficilia loca quoad Dogma, quæ eum in lectione vetusti hujus Patris quandoque morari possent. Explicandum itaque primo loco suscipimus quemdam Sancti Doctoris textum ex ejus Tractatu de Lapsis, qui aliquam difficultatem quoad

(a) Cap. 4. vers. 1.
(b) Psalm. 49. vers. 1.

(c) Marc. cap. 9. vers. 43.

III. SÆCULUM.

Difficilis textus circa Baptismum. Tract. de Lapsis. pag. 90.

quoad Baptismum lectori creare posset. Differens siquidem Sanctus Episcopus de infantibus, qui parentum manibus vel impositi vel attracti fuerant ad profana altaria, inquit: *Amiserunt parvuli quod in primo statim nativitatis exordio fuerant consecuti*; hoc est, Baptismum, qui parvulis æque ac adultis conferebatur, uti ex eodem Sancto Cypriano superius vidimus: ex quibus verbis concludi potest, hos infantes simul amisisse characterem & gratiam Baptismi, vel saltem gratiam sanctificantem, quæ in hoc Sacramento confertur.

II. Verum 1o. quoad characterem, hæc opinio Divo Cypriano abscribi nequit, cum agnoscat ipse & fateatur, Baptismum semel collatum legitime & in Ecclesia, uti erat Baptismus puerorum de quibus loquitur, nunquam iterari posse. Legi hac de re debet ejus Epistola ad Quintum, in qua hæc habet: *Quod nos quoque hodie observamus, ut quos constat hic baptizatos esse, & a nobis ad hæreticos transisse, si postmodum..... ad veritatem & matricem redeant, satis sit in pœnitentiam manum imponere*. Eos vero, qui in schismate aut in hæresi baptizati sunt, non asserit esse iterum baptizandos, sed simpliciter baptizandos, cum supponat, licet falso, eorum baptismum esse nullum: *Nos autem dicimus, eos ..... non rebaptizari apud nos, sed baptizari*. Nunquam igitur credidit S. Cyprianus, puerorum baptismum in Ecclesia collatum amitti posse.

Epist. 71. pag. 303.

pag. 302.

III. 2o. Nunc vero videndum superest, num de Gratia sanctificanti loquatur S. Cyprianus. Divus Augustinus hanc difficultatem elucidat his verbis: (*a*) *Amiserunt, dixit, quantum ad illorum scelus, a quibus amittere coacti sunt; amiserunt in eorum mente ac voluntate, qui in eos tantum facinus admiserunt. Nam si in seipsis admisissent, remansissent utique divina sententia sine ulla defensione damnandi. Quod si S. Cyprianus arbitraretur, non eorum defensionem continuo subjiceret*. Recitat deinde quæ habet Sanctus Carthaginiensis Episcopus ad horum puerorum excusationem. Qua quidem posita S. Augustini explicatione, hoc argumentum instauro: Gratia sanctificans Baptismi amitti nequit, nisi propria voluntate, nisi proprio peccato: sed nec propria habebatur voluntas, nec proprium peccatum in pueris, qui parentum manibus vel impositi vel attracti fuerant ad profana altaria, quemadmodum S. Augustinus, & ipse etiam S. Cyprianus conveniunt: ergo hanc gratiam amittere non potuerunt nisi in parentum mente, ac voluntate, sive intentione, uti modo diximus.

IV. Fateamur nihilominus oportet, laudatum Sancti Cypriani textum aliquam semper pati difficultatem; videtur enim idem Sanctus Episcopus docere, hos pueros pœnam luituros hujusce criminis per paternam perfidiam patrati: En ejus verba: „ Nonne illi, cum „ judicii dies venerit dicent: Nos nihil mali fecimus, „ nec derelicto cibo & poculo Domini ad profana „ contagia sponte properavimus. *Perdidit nos aliena „ perfidia: parentes sensimus parricidas. Illi nobis Ecclesiam Matrem, illi Patrem Deum negaverunt*; ut „ dum parvi, & improvidi, & tanti facinoris ignari „ *per alios ad consortium criminum jungimur*, aliena „ fraude caperemur „. Ex quibus omnibus erui posse videtur, S. Cyprianum credidisse istos pueros reos hujus criminis, & per summam gratiam asseruisse, illos non propria voluntate reos esse, sed parentum fraude: *aliena fraude caperemur*. Si in hoc sensu intelligi debet Sanctus Doctor, erravit ipse, nisi dicat, memoratos pueros rationis lumine tunc temporis præditos aliquantulum fuisse; in hoc siquidem sensu criminis rei ipsi essent, licet per parentes ad peccandum adducti, & licet pleno rationis lumine haud præditi fuissent ad deprehendendam totam illius criminis enormitatem. Libentius subscriberem postremæ huic interpretationi, quæ validiori fundmento eo magis innixa videtur, quo incredibile prorsus apparet, Divum Cyprianum habuisse uti reos illos pueros, qui uti mera automata, omni rationis usu expertia operati fuissent.

Tract. de Lapsis. Pag. 90.

Explicatur vox Exomologesis in D. Cypriano.

V. Vocem *Exomologesis* pluries repetit S. Cyprianus: nunc vero inquirenda est vera hujus vocis significatio. Dominus Lombertius, (*b*) qui in Gallicum idioma omnia S. Cypriani opera transtulit, opinatur, hanc vocem significare publicam confessionem, quam suorum delictorum peragebant pœnitentes, percurso jam impositæ pœnitentiæ curriculo, & quæ immediate præcedebat reconciliationem. Validissima adeo mihi videntur momenta quæ ille profert in suæ opinionis confirmationem, ut eidem subscribere optimum ducam. Docet igitur cum Patre Morino, pœnitentes olim duplicem suorum criminum confessionem peragere consuevisse; unam quidem, ut pœnitentia iis imponeretur; alteram vero peracta jam pœnitentia, ad obtinendam absolutionem. De prima Confessione loquitur S. Cyprianus in suo Tractatu de Lapsis, in quo docet, aliquos Christianos sua ætate consuevisse confiteri vel solam cogitationem imolandi idolis si quando ab ethnicis comprehenderentur, & hujus criminis pœnitentiam fecisse. Quoad secundam Confessionem fatetur Lombertius, hanc satis perspicue non deprehendi in Divo Cypriano; credit tamen, hanc insinuari per vocem *Exomologesis*. 1o. quia hac voce utitur Sanctus Episcopus in sua ad Antonianum epistola, ad designandam Confessionem: *Quia exomologesis apud inferos non est*, inquit Sanctus Doctor alludens ad hæc Psalmistæ verba: *In Inferno autem quis confitebitur tibi*, ubi Versio LXX. habet ἐν δὲ τῷ ἄδη τις ἐξομολογήσεταί σοι. 2o. quia S. Cyprianus ordinarie loquendo non memorat exomologesim nisi post pœnitentiam, ut ostendat, exomologesim diversam esse a pœnitentia; secus, inquit Lombertius, (*c*) hæc esset perpetua tautologia, & verosimile non est, tantam dari in vitio uniformitatem. 3o. quia S. Cyprianus epistola 17. asserit, exomologesim fieri non consuevisse, nisi inspecta vita illius, qui pœnitentiam agebat: *Cum.... exomologesis fiat inspecta vita ejus, qui agit pœnitentiam*: quod ostendit, exomologesim diversam fuisse a pœnitentia, sive a satisfactione, cum non perageretur nisi post hanc satisfactionem. Diversa pariter erat ab absolutione, cum immediate post hæc habeat S. Cyprianus: *Nec ad Communionem venire quis possit*. Igitur hoc loco nonnisi secunda confessio intelligi potest, de qua supra verba fecimus. 4o. tandem, Sanctus Cyprianus in duabus aliis epistolis ait, eos, qui premi infirmitate aliqua & periculo cœperint, exomologesi facta, & manu eis a Presbyteris vel Diaconis imposita, cum pace a Martyribus sibi promissa ad Dominum remittendos esse. Exomologesis igitur, concludit Lombertius, (*d*) diversa est ab eo qui deinceps dictus est gradus prostrationis; quoniam in vitæ discrimine constituti, in hoc prostrationis statu esse non poterant; cum tamen possent publice sua crimina confiteri, in quocunque statu essent, modo & mente liberi essent, & loquendi facultate pollerent.

Epist. 17. pag. 177.

VI. Lombertius sibimet objicit Tertullianum, qui hoc pacto definit exomologesim: *Humilificandi hominis disciplina*: at egregie respondet, notionem hanc optime convenire publicæ Confessioni, de qua est sermo, cum ad hominis humiliationem nihil hac confessione sit aptius. Hinc ipse S. Cyprianus in suo Tractatu de Lapsis hanc designat nomine satisfactionis. Cæterum, verosimile est, quod sicuti exomologesis erat sequela quædam pœnitentiæ, ejusque quædam pars, hinc Tertullianus eadem definitione & exomologesim & pœnitentiam designaverit, licet duo hæc inter se differrent. In hoc sensu Lombertius exponit vocem *exomologesis*, & quidem, ni fallor, juxta mentem Sancti Cypriani.

Obscurus textus de potestate Clavium. Lib. 3. Testimon. cap. 28. Pag. 53.

VII. Nec difficultate caret quidam textus S. Cypriani de potestate Clavium Ecclesiæ: Non posse in Ecclesia remitti ei qui in Deum deliquerit: verba hæc sancti Doctoris efformant titulum capitis 28. libri tertii Testimoniorum. Verum, observavimus jam supra, cum de Pœnitentia disseruimus, penes Ecclesiam, juxta Doctrinam S. Cypriani residere potestatem remittendi omnia peccata, ea etiam quæ Deum directe respiciunt, veluti Idololatria; hortatur siquidem Sanctus Doctor eos omnes, qui ipsius ætate in hoc crimen prolapsi erant, ut confiteantur, & pœnitentiam agant &c. *Confiteantur singuli .... delictum suum ....* (loquitur hoc loco de illis, qui persecutionis tempore lapsi erant) *dum admitti confessio ejus potest, dum satisfactio & remissio facta per Sacerdotes apud Dominum grata est*. At quomodo potuisset S. Cyprianus hortari lapsos ad peragendam pœnitentiam de Idololatria, si credidisset, penes Ecclesiam non esse potestatem concedendi fructum hujus pœnitentiæ, scilicet reconciliationem? *Nec ad pœnitentiam*, inquit ille epistola 55. *quis a nobis compelli potest, si fructus pœnitentiæ subtrahatur*. Quando igitur libro tertio Testimoniorum ait: *Non posse in Ecclesia remitti ei, qui in Deum deliquerit*; non adimit Ecclesiæ potestatem remittendi hæc peccata, æque ac alia, nec eidem adimit potestatem clavium, uti pro quibusdam criminibus reipsa adimebant Novatiani; sed hoc unum asserere intendit, Presbyte-

Tract. de Lapsis. Pag. 96.

Epist. 54. Pag. 246.

Lib. 3. Testimon. cap. 28. Pag. 53.

(*a*) Epist. 98. ad Bonif. Tom. 2. Recent. Edition. p. 266.
(*b*) In suis Animadversion. in opera S. Cypriani. pag. 667. & seq.

(*c*) pag. 668.
(*d*) pag. 669.

byteros esse simplices ministros & dispensatores hujusce potestatis, & peccatoris justificationem non esse Opus Presbyterorum, sed Opus Jesu Christi, qui per suam gratiam hanc mutationem interius operatur, licet ad Opus hoc peragendum, ministerio Presbyterorum exterius utatur. In hoc sensu Sanctus Doctor ait alio loco, Presbyteri absolutionem nullum obtinere effectum, nisi Deus eamdem confirmet; debere nos orare Deum, eumque nostra satisfactione placare: insuper, solum Deum posse misereri, veniamque peccatis largiri &c. *Solus Dominus misereri potest; veniam peccatis, quæ in ipsum commissa sunt, solus potest ille largiri, qui peccata nostra portavit, qui pro nobis doluit, quem Deus tradidit pro peccatis nostris*: scilicet, ut seipsum immediate post postrema recitata verba explicat, Homo Deo esse non potest major, nec remittere aut donare indulgentia sua servus potest quod in Dominum delicto graviore commissum est. Hinc sequitur, inquit idem Sanctus Doctor, quod Presbyteri aliquando illos absolvunt, quos Deus non absolvit; neque enim statim videri potest de divina majestate concessum, quod fuerit humana pollicitatione promissum.

Epist. 55. pag. 246.

Tract. de Lapsis. pag. 92.

pag. 93.

VIII. Nec omittendum est, laudatum S. Cypriani textum intelligi commode posse de quibusdam peccatis, uti sunt blasphemia contra Spiritum Sanctum, & contra Dei opera, induratio & obstinatio in peccato, quæ omnia communiter loquendo ad finalem impœnitentiam perducunt, & ideo irremissibilia evadunt, quia horum criminum rei in impœnitentia decedunt. Quod autem de hujusmodi peccatis hoc loco agatur, nullo negotio dignosci potest ex Scripturarum oraculis, quæ profert Sanctus Doctor in suæ propositionis confirmationem; ibi siquidem memorat verba & blasphemias contra Spiritum Sanctum: Verum si de his peccatis loquitur S. Cyprianus, omnis evanescit difficultas, cum certum sit, hæc peccata neque in præsenti vita remitti, neque in futura propter finalem impœnitentiam, quæ est veluti naturalis quædam horum criminum consequentia.

IX. Utinam iisdem rationum momentis purgare possem hæc S. Cypriani verba, quæ extant in ejus epistola ad Donatum: Madet orbis mutuo sanguine; & homicidium cum admittunt singuli crimen est, virtus vocatur cum publice geritur. Quæ quidem verba cum aliqua limitatione intelligi debent, ut optime observat Lombertius in suis animadversionibus in hanc epistolam: etenim absolute loquendo verum non est, omnes subditos, qui de proprii Principis mandato militiæ nomen dederunt, homicidium admittere, si in bello hostes occidant. „ Gerenda ipsa bella, inquit S. Augustinus (*a*) suscipiuntur a bonis, cum in eo rerum „ humanarum ordine inveniuntur, ubi eos vel jubere „ tale aliquid, vel in talibus obedire juste ordo ipse „ constringit. Alioquin Joannes, cum ad eum baptizandi milites venirent, dicentes, Et nos quid faciemus? responderet eis, Arma abjicite, militiam „ istam deserite &c. Vir justus, subjungit ibidem „ idem S. Augustinus, (*b*) si forte sub rege homine, etiam sacrilego militet, recte potest illo jubente bellare, civicæ pacis ordinem servans, cui quod „ jubetur, vel non esse contra Dei præceptum certum est, vel utrum sit, certum non est, ita ut fortasse reum regem faciat iniquitas imperandi, innocentem autem militem ostendat ordo serviendi. „

Peculiaris Divi Cypriani opinio circa bella. Tract. ad Donat. pag. 4.

SECTIO II.

PUNCTA MORALIA.

Moralis Doctrina S. Cypriani instructionem præstat & ædificationem, necnon instituendæ vitæ egregia præcepta tradit. Ex ea siquidem deprehenditur, quid sit Christianus, & quænam ejus esse debeat fides, spes, aliæque virtutes. Quænam sint vera bona inquirenda, quænam vera mala fugienda, ibidem dignoscet pius Lector. Ostendet ibidem Sanctus Doctor, hujus mundi ærumnas, miserias, persecutiones, tormenta non esse vera mala; immo vera bona reipsa evadere iis, qui vero religionis Christianæ spiritu eadem perpatiuntur. Ostendet insuper, Mortem non debere Christiano viro terribilem esse, immo nimium mortis timorem esse quamdam reprobationis notam. Tandem præclarum Martyrii elogium, quod instaurat S. Cyprianus, ejusque ad Martyrium exhortationes vel timidiores movere possunt, ut Jesu Christi nomen, si quando se præbeat occasio, strenue & alacriter confiteantur, & pro Christi nomine occumbant. Pulcherrimas has veritates modo exponamus, profectum nostrum in his inquirentes: verum passionibus nostris prius imponendum est silentium, & præjudicia procul amandanda.

CAPUT PRIMUM.

QUID SIT CHRISTIANUS.

I. Christianus juxta mentem Sancti hujus Doctoris, est templum ipsius Dei, & Spiritus Sancti habitaculum, quemadmodum Apostolus antea docuerat. „ Etiamsi charitas, (inquit S. Cyprianus epistola 64. quæ est ad Episcopos Numidas de redemptione Fratrum ex captivitate barbarorum) nos mi„ nus adigeret ad opem fratribus ferendam, conside„ randum tamen hoc in loco fuit, Dei templa esse „ quæ capta sunt, nec pati nos longa cessatione & „ neglecto dolore debere, *ut diu Dei templa captiva sint*.

Christianus est templum Dei, & Spiritus Sancti habitaculum. Epist. 62. Pag. 274.

II. Cum igitur Christianus sit templum Dei, nemini mirum videri debet, si S. Cyprianus exoptat, immo vult, Christiani actiones eximiæ huic qualitati respondere; insuper nec mirum videri debet, si appellat christianum sæculo majorem, & majorem rebus omnibus, quæ plurimi ab hominibus æstimantur. *Nihil appetere jam*, inquit Sanctus Doctor, *nihil desiderare de sæculo potest, qui sæculo major est*.

Sæculo major est. Tract. ad Donat. pag. 6.

III. Christianus, quem jam spiritualibus castris cœlestis militia signavit, tenet incorruptam, tenet sobriam religiosis virtutibus disciplinam. Assidua est ei oratio, vel lectio. Nunc cum Deo loquitur, nunc Deus cum illo. Deus eum præceptis suis instruit, & disponit. Christianum, quem Deus divitem fecerit, nemo pauperem faciet. Penuria esse nulla jam poterit cui semel pectus cœlestis sagina saturavit. Christiano jam sordent auro distincta laquearia, & pretiosi marmoris crustis vestita domicilia, cum sciat se excolendum magis, se potius ornandum, domum sibi hanc esse potiorem, quam Dominus insedit templi vice, in qua Spiritus Sanctus cœpit habitare.

Ibid. pag. 6. & 7.

IV. Christianus major est omnibus sæculi honoribus, nec desiderat terrena, sed cœlestia: *Sed qui renuntiavit jam sæculo, major est & honoribus ejus, & regno; & ideo .... non terrena, sed cœlestia regna desiderat*. Christianus, qui sæculo renuntiavit, & divitias ejus & pompas fide gratiæ spiritalis abjecit, cibum sibi tantum petit & victum; & diurnum cibum petit, nec in longum desideria petitionis extendit: *Merito ergo Christi Discipulus victum sibi in diem postulat, qui de crastino cogitare prohibetur*. Verus Christianus est, qui expeditus & succinctus, nullis laqueis rei familiaris involvitur, sed solutus ac liber, facultates suas ad Deum ante præmissas, ipse quoque comitatur. Sollicitus non est in crastinum, cum probe sciat, quotidianum cibum justo deesse non posse, & omnia illi apponi, qui primum quærit regnum Dei, & justitiam ejus: *Nam cum Dei sint omnia, habenti Deum nihil deerit, si Deo ipse non desit*. Quæ tamen doctrina nequaquam excludit moderatam in crastinum providentiam, adeoque nec moderatum usum bonorum hujus vitæ.

Major est sæculi honoribus, nec desiderat terrena, sed cœlestia. Tract. de Oration. Domin. pag. 102.

Moderatio Christiani. Ibid. pag. 104.

Nulla in eo sollicitudo de terrenis rebus, ejusque tranquillitas. pag. 105.

V. Verus Christianus ille est, qui per secundam nativitatem regeneratus, mundo amplius non vivit, sed soli Deo. *Viget apud nos spei robur*, inquit S. Cyprianus in suo Tractatu adversus Demetrianum, *& firmitas fidei, & inter ipsas sæculi labentis ruinas, erecta mens est, & immobilis virtus, & nunquam non læta patientia, & de Deo suo semper anima secura .... Dei hominem & cultorem Dei, subnixum spei veritate, & fidei stabilitate fundatum, negat mundi hujus, & sæculi infestationibus commoveri. Vinea licet fallat, & olea decipiat, & herbis siccitate morientibus æstuans campus arescat; quid hoc ad Christianos? Quid ad Dei servos, quos Paradisus invitat? .... Sed tamen pro arcendis hostibus, & imbribus impetrandis, & vel auferendis, vel temperandis adversis, rogamus semper, & preces fundimus: & pro pace ac salute vestra .... instanter oramus*.

Aliæ Christiani virtutes. Tract. advers. Demetrian. pag. 134.

VI. „ Pœnam, inquit insuper S. Cyprianus paulo „ supra, de adversis mundi ille sentit, cui & lætitia, & gloria omnis in mundo est. Ille mœret & „ deflet, si sibi male sit in sæculo, cui bene non potest esse post sæculum, cujus vivendi fructus omnis „ hic capitur, cujus hic solatium omne finitur, cu„ jus

(*a*) Lib. 22. contra Faustum Manichæum, cap. 74.

(*b*) cap. 75.

III. SÆCULUM.

,, jus caduca & brevis vita his aliquam dulcedinem ,, computat & voluptatem, quando istinc excesserit, ,, pœna jam sola superest ad dolorem ,,. *Nullus iis dolor est de incursatione malorum præsentium, quibus fiducia est futurorum bonorum. Denique nec consternimur adversis, nec frangimur, nec dolemus .... Spiritu magis quam carne viventes, firmitate animi infirmitatem corporis vincimus. Apud vos* (infideles) *impatientia clamosa semper & querula est: apud nos fortis & religiosa patientia, quieta semper, & semper in Deum grata est.*

Epist. 13. pag. 188. VII. Verum igitur Christiani characterem constituunt quies, humilitas, & tranquillitas, ut alibi docet idem S. Cyprianus: *Cum quies & humilitas & .... tranquillitas christianis omnibus congruat.* Mori possunt *Epist. 60. pag. 270.* Christiani, sed vinci non possunt: *Vinci non posse, mori posse*: & invicti sunt, non solum quia mori non timent, sed quia non repugnant contra impugnantes. *Et hoc ipso invictos esse, quia .... nec repugnare contra impugnantes.* Vincula sunt Christianis ornamenta, & honoris insignia potius, quam ignominiæ nota: *Dicatis Deo hominibus .... ornamenta sunt ista, non vin-* *Epist. 76. pag. 318.* *cula; nec Christianorum pedes ad infamiam copulant, sed clarificant ad coronam.* Tandem Christianus vel inter ipsas flammas tranquillus est & quietus; expectat quotidie lætus profectionis suæ salutarem diem, & jamjamque de sæculo recessurus, ad Martyrum munera & domicilia divina properat, post has mundi tenebras visurus candidissimam lucem, & accepturus majorem passionibus omnibus & conflictationibus claritatem. Habes modo ex Divo Cypriano accuratam veri Christiani ideam, & imaginem graphice depictam. Num recitata Sancti Doctoris verba nostram etiam imaginem referant, penes omnes nos æquum judicium esto.

CAPUT SECUNDUM.

DE VIRTUTIBUS THEOLOGICIS FIDE, SPE, ET CHARITATE.

I. SI Clero Romano fidem præstamus, tota christiana fides consistit in confessione nominis Jesu Christi: *Totum Fides Sacramentum*, inquit Clerus hic in quadam sua epistola ad S. Cyprianum, *in Confessione Christi, ... digestum.* Ad salutem siquidem non sufficit fides in Patrem, quam & Judæi habent, sed necessario requiritur etiam fides in Filium. Tradit id S. Cyprianus, epistola 73. quæ est ad Jubajanum, hisce verbis: ,, Quod enim in Evangeliis, & in Apo- ,, stolorum Epistolis Jesu Christi nomen insinuatur ad ,, remissionem peccatorum, non ita est quasi aut sine ,, Patre, aut contra Patrem prodesse cuiquam solus ,, Filius possit ,,: *Sed ut Judæis .... ostenderetur, quod nihil eis Pater profuturus esset, nisi in Filium crederent, quem ille misisset.* Nam qui Deum Patrem Creatorem sciebant, Filium quoque Christum scire debebant, ne sibi blandirentur & plauderent de solo Patre sine Filii ejus agnitione, qui & dicebat: Nemo venit ad Patrem nisi per me. (*a*) *Duorum autem cognitionem esse quæ salvet, idem ipse* (Salvator) *manifestat dicens: Hæc est vita æterna, ut cognoscant te solum & verum Deum, & quem misisti Jesum Christum.* (*b*) Hinc Gentes merito fidei pervenerunt in locum, quem Judæi sua incredulitate perdiderunt: *Christus autem docens & ostendens, Gentium populum succedere, & in locum quem Judæi perdiderant, nos postmodum merito fidei pervenire &c.* Crassa igitur illusio est opinari quemadmodum quidam Religionis contemptores opinantur, sufficere ad salutem fidem in solum Deum, qui universum condidit & gubernat, nullamque necessario requiri fidem in Jesum Christum.

Fides Christiana in quo consistat. Epist. 30. pag. 210.

Fides in Deum Patrem nihil prodest ad salutem, nisi accedat fides in Filium. Epist. 73. pag. 311.

Epist. 63. pag. 279.

II. Cum Dei arcana perspici non possint, necessario sequitur, fidem nostram simplicem esse debere. Sanctus Cyprianus pluribus Scripturarum oraculis confirmat hanc doctrinam. In simplicitate cordis quærite Deum, inquit Salomon in Sapientia. (*c*) Item alio loco habet: Qui ambulat simpliciter, ambulat fidenter. (*d*) Item alio loco, Altiora te, inquit, ne quæsieris, & fortiora te ne scrutatus fueris. (*e*) Isaias ait: Væ qui arguti sunt in semetipsis. (*f*) Apostolus exclamat: O altitudo divitiarum sapientiæ & scientiæ Dei! quam incomprehensibilia sunt judicia ejus, & quam investigabiles viæ ejus! Quis enim cognovit sensum Domini, aut quis consiliarius ejus fuit? (*g*) Hinc jure Sapiens nos admonet: *Noli esse multum justus, & noli argumentari plusquam oportet.* (*h*) In nostra Vulgata legitur: *multum sapiens.*

Fides debet esse simplex. Lib. 3. Testimon. cap. 53. pag. 58.

III. Non sufficit accepisse fidem in Baptismo; non enim fides seu regeneratio accepta vivificat, sed fides seu regeneratio custodita: *Fides ipsa & nativitas salutaris, non accepta, sed custodita vivificat. Parum, adipisci aliquid potuisse; plus est, quod adeptus es, posse servare.* Alia fidei essentialis conditio, ut prosit nobis ad salutem, est, ut eam bona opera comitentur: si enim opera desint, nullum datur præmium. *Scriptum est*, inquit S. Cyprianus, *& legitur, & auditur, & in exemplum nostri Ecclesiæ ore celebratur: Qui dicit se in Christo manere, debet quomodo ille ambulavit, & ipse ambulare: ambulandum est igitur vestigiis paribus, æmula ingressione nitendum est. Tunc respondet ad fidem nominis, sectatio veritatis, & credenti præmium datur, si quod creditur & geratur.* Falsum igitur apprime est, fidem sine operibus justificare posse.

Fides debet esse perseverans. Epist. 13. pag. 189.

Fidem comitari debent bona opera. Tract. de Habitu Virgin. pag. 70.

IV. Christiana fides in totum utilis est, & tantum possumus, quantum credimus: *Fidem in totum prodesse, & tantum nos posse, quantum credimus.* In hoc sensu legimus in Evangelio secundum Marcum: Omnia quæcumque oratis & petitis, credite quia accipietis, & erunt vobis. (*i*) Item illic: Omnia possibilia credenti. Ille qui vere credit, inquit insuper S. Cyprianus, illico consequi potest quod desiderat: *Posse eum statim consequi, qui vere crediderit.* Dei gratia in nobis diffunditur pro mensura fidei nostræ: Quantum illuc fidei capacis afferimus, inquit S. Cyprianus, tantum gratiæ inundantis haurimus. Postquam Auctorem suum cœlum intuens anima cognovit, sole altior, & hac omni terrena potestate sublimior, *id esse incipit, quod se esse credit.* Nos fide cum hoste congredimur, fide vincimus, fide coronamur: *Qua congredimur, qua vincimus, qua coronamur.* Fides est mensurna auxilii, quod nobis præbet Deus in afflictionibus; & sola incredulitas impedimento esse potest, ne id accipiamus, quod Dei omnipotentia nobis impertiri potest. *Quando unusquisque .....* inquit Sanctus Doctor in sua ad Martyrium exhortatione, *tantum accipiat de Dei ope, quantum se credat accipere; nec sit quod omnipotens præstare non possit nisi si accipientis fides caduca defecerit.*

Effectus Fidei. Lib. 3. Testimon. cap. 42. pag. 56.

Ibid. c. 43. pag. 56.

Tract. contra Donat. pag. 3.

Ib. p. 60.

Epist. 10. pag. 184.

Exhort. ad Martyr. cap. 10. pag. 123.

V. Metueret conscientia nostra, inquit Sanctus Cyprianus, si crederet: quia non credit omnino, nec metuit. Hinc nemo futurorum metum cogitat, diem Domini & iram Dei, & incredulis ventura supplicia, & statuta perfidis æterna tormenta nemo considerat. Si hanc haberemus fidem, & hunc timorem, ad omnia essemus parati. Sit licet rei familiaris amissio, verba sunt Divi Cypriani, sit de infestantibus morbis assidua membrorum & cruenta vexatio, sit de uxore, de liberis, de excedentibus charis funebris & tristis avulsio, non sint tibi scandala ista, sed prælia; nec debilitent aut frangant Christiani fidem, sed potius ostendant in colluctatione virtutem, cum contemnenda sit omnis injuria malorum præsentium fiducia futurorum bonorum: *Ad omnia te paratum facere timor Dei & fides debet.*

Tract. de Unit. Ecclesiæ. pag. 86.

Tract. de Moral. pag. 113.

VI. Tandem, Christiani non sumus, nisi per fidem & spem: *Hoc ipsum quod Christiani sumus, fidei & spei res sumus. Spe salvati sumus*, inquit S. Cyprianus cum Apostolo (*k*): Spes autem quæ non videtur, non est spes. Quod enim videt quis, quid sperat? Si autem quod non videmus speramus, per patientiam expectamus. Clerus Romanus in quadam epistola ad Clerum Carthaginiensem eamdem vim ac efficaciam fidei tribuit & spei: inquit enim: *Qui* (Deus) *omnia præstat sperantibus in se.* Miros divinæ hujus virtutis effectus in Martyribus videbimus infra.

De Spe. Tract. de Patien. pag. 148.

Epist. 8. pag. 181.

VII. Etsi pauca admodum in Divo Cypriano deprehendantur de Charitate, prout est dilectio Dei; quædam nihilominus, & quidem notabilia occurrunt in eodem testimonia de Charitate prout est dilectio proximi, quæ vere Charitas non est, nisi eam aliqua Dei dilectio vivificet. Omnes Christiani, juxta doctrinam S. Cypriani, charitate unum corpus efficiuntur. Christiani per charitatem, cæterorum mala persentiunt, & in fratribus suis, Jesum Christum considerant. Christiani, ut docet Firmilianus in sua ad S. Cyprianum epistola, licet corpore ab invicem separati, tamen spiritu adunantur, quasi non unam tantum regionem tenentes, sed in ipsa atque in eadem domo simul inhabitantes. Dei gratia sic conjungere eos novit vinculo charitatis & unitatis, qui longissimis regionibus ab invicem sunt separati. Nam cum Dominus, prosequitur Firmilianus, unus atque idem sit, qui habitat in nobis

De Charitate. Epist. 62. pag. 274.

Epist. 75. pag. 319. & 330.

(*a*) Joann. cap. 14. vers. 6.
(*b*) Joann. cap. 17. vers. 3.
(*c*) Sapient. cap. 1. vers. 1.
(*d*) Proverbior. cap. 10. vers. 9.
(*e*) Ecclesiastici cap. 3. vers. 22.
(*f*) Cap. 5. vers. 21.
(*g*) Ad Roman. cap. 11. vers. 33. 34.
(*h*) Ecclesiastes. cap. 7. vers. 17.
(*i*) cap. 11. vers. 24.
(*k*) Ad Roman. cap. 8. vers. 24. 25.

III. SÆCULUM.

nobis, conjungit ubique & copulat suos vinculo unitatis. Hinc nihil prodest aliquos proximos & junctos sibi esse corporibus, si animo & mente dissideant, quando adunari animæ omnino non possint, quæ se a Dei unitate diviserint. *Charitas*, inquit pariter S. Cyprianus, *fraternitatis vinculum est, fundamentum pacis, tenacitas ac firmitas unitatis, quæ & spe & fide major est, quæ & opera & martyria præcedit, quæ nobiscum semper apud Deum in regnis cœlestibus manebit.* Charitas magnanima est, inquit etiam Sanctus Doctor cum Apostolo, (a) charitas benigna est, charitas non æmulatur, non inflatur, non irritatur, non cogitat malum, omnia diligit, omnia credit, omnia sperat, omnia sustinet. Hoc est charitatis elogium, quod habemus ex Divo Cypriano.

Tract. de Patient. Pag. 139.

CAPUT TERTIUM.

DE ELEEMOSYNA.

I. INter Opera Divi Cypriani extat Tractatus de Eleemosyna, quem sæpe citant SS. Hieronymus & Augustinus, & cujus meminit Ephesinum Concilium sub titulo Sermonis de Eleemosyna, uti animadvertit Tillemontius in sua Historia Ecclesiastica. (b) Eumdem pariter citat Concilium Chalcedonense sub titulo Libri de Operibus Pietatis & Eleemosynæ. Opus hoc exaratum videtur ante irruptionem Barbarorum in Numidiam, de qua sermo est in epistola sexagesima secunda. Hinc sola hujus concinnandi Tractatus caussa extitit Pastoralis sollicitudo Divi Cypriani, qua populo suo christianæ vitæ præcepta tradebat. Ex hoc Tractatu exscribam modo præcipua & notabiliora loca, quæ hujusce Capitis argumentum respiciunt.

II. Primo igitur loco Sanctus Doctor proponit nobis Eleemosynam utpote medium ad recuperandam gratiam Baptismi, si quando per peccatum misere camdem amisimus. Nam, inquit ille, cum Dominus adveniens sanasset illa quæ Adam portaverat vulnera, & venena serpentis antiqui curasset, legem dedit sano & præcepit, ne ultra jam peccaret, ne quid peccanti gravius eveniret. Quo quidem præcepto, subjungit idem Sanctus Doctor, coarctati eramus, & in angustum innocentiæ præscriptione conclusi, nec haberet quid fragilitatis humanæ infirmitas, atque imbecillitas faceret, nisi iterum pietas divina subveniens, justitiæ & misericordiæ operibus ostensis, viam quamdam tuendæ salutis aperiret, *Ut sordes postmodum quascumque contrahimus, eleemosynis abluamus.... Sicut lavacro aquæ salutaris gehennæ ignis extinguitur, ita eleemosynis.... delictorum flamma sopitur. Et quia semel in Baptismo remissa peccatorum datur, assidua & jugis operatio, Baptismi instar imitata, Dei rursus indulgentiam largitur.*

Eleemosyna Dei indulgentia nobis largitur, ac peccatorũ remissionẽ promeretur. Tract. de Eleemosyna. pag. 137.

III. „ Hoc, prosequitur S. Cyprianus, & in Evan„ gelio Dominus docet: nam cum denotarentur Disci„ puli ejus quod ederent, nec prius manus ablui„ sent, respondit & dixit: Qui fecit quod intus est, „ fecit & quod foris est: Verum date eleemosynam, „ & ecce vobis munda omnia. (c) *Monens & osten„ dens unde mundi & purgati esse possimus, addidit „ eleemosynas esse faciendas.* Misericors (Deus) do„ cet & monet misericordiam fieri; & quia servare „ quærit quos magno pretio redemit, post Baptismi „ gratiam sordidatos docet denuo posse purgari. A„ gnoscamus itaque, fratres charissimi, divinæ indul„ gentiæ munus salubre & emundandis purgandisque „ peccatis nostris, qui sine aliquo conscientiæ vulne„ re esse non possumus, medelis spiritalibus vulnera „ nostra curemus „.

IV. Occurrit deinde S. Cyprianus iis, qui ad eleemosynam erogandam parum dispositi, objicere potuissent, non teneri se ad hæc misericordiæ opera, cum sint absque peccato. Ostendit itaque S. Cyprianus, neminem sic sibi de sua innocentia blandiri posse, ut putet hac medicina non indigere. „ Nec quisquam, „ inquit Sanctus Doctor, sic sibi de puro atque im„ maculato pectore blandiatur, ut innocentia sua fre„ tus, medicinam non putet adhibendam esse vulneri„ bus, cum scriptum sit: Quis gloriabitur, castum se „ habere cor, aut quis gloriabitur mundum se esse a „ peccatis? (d) Et iterum in epistola sua Joannes „ dicat: Si dixerimus quia peccatum non habemus, „ nos ipsos decipimus, & veritas in nobis non est. „ (e) Si autem nemo esse sine peccato potest, & quis„ quis inculpatum se esse dixerit, aut superbus aut „ stultus est, quam necessaria, quam benigna est divi„ na clementia, quæ cum sciat non deesse sanatis quæ„ dam postmodum vulnera, *Dedit curandis denuo sanan„ disque vulneribus remedia salutaria.*

pag. 138.

V. Inter cætera Scripturarum oracula, quibus Deus mandat & præcipit eleemosynam, S. Cyprianus profert hæc Isaiæ verba: Frange esurienti panem tuum, & egenos sine tectu induc in domum tuam. Si videris nudum, vesti eum, & domesticos seminis tui non despicies.... Tunc exclamabis, & Deus exaudiet te: dum adhuc loqueris, dicet: Ecce adsum. (f) In quæ Isaiæ verba egregie observat S. Cyprianus, Prophetam hunc, postquam exprobravit Judæis eorum facinora & abominationes, dixitque, eos, nec si orationibus, & precibus, & jejuniis uterentur, satisfacere pro delictis posse; tandem per superius recitata verba demonstravit, solis eleemosynis Deum placari posse. *In novissima tamen parte demonstrans, solis eleemosynis Deum placari posse, addidit dicens: Frange esurienti panem tuum &c.* Ibid.

VI. Profert insuper Sanctus Doctor hæc Salomonis verba: Conclude eleemosynam in corde pauperis, & hæc pro te exorabit in omni malo. Et iterum: Qui obturat aures ne audiat imbecillum, & ipse invocabit Deum, & non erit qui exaudiat eum. (g) *Neque enim*, observat in hunc locum S. Cyprianus, *promereri misericordiam Domini poterit, qui misericors ipse non fuerit; aut impetrabit de Divina pietate aliquid in precibus, qui ad precem pauperis non fuerit humanus.* Quod item in Psalmis Spiritus Sanctus declarat & probat dicens: Beatus qui intelligit super egenum & pauperem; in die mala liberabit eum Dominus. (h)

Deus illius miseretur, qui erogat eleemosynas. Ibid.

VII. In illa Raphaelis ad Tobiam verba: Bona est oratio cum jejunio & eleemosyna (i) hæc observat S. Cyprianus. *Ostendit (Angelus) orationes nostras.... minus posse, nisi eleemosynis adjuventur. Revelat Angelus, & manifestat..... eleemosynis petitiones nostras efficaces fieri; eleemosynis vitam de periculis redimi, eleemosynis a morte animas liberari.* Quia vero temporalia beneficia magis quam spiritualia nonnulli mirantur; hinc S. Cyprianus resurrectione Tabithæ ostendit, eleemosynam liberare etiam a morte corporis: *Tantum*, inquit ille, *potuerunt misericordiæ merita.*

Eleemosynis petitiones nostræ efficaces fiunt. Pag. 138.

Eleemosyna liberat a morte corporis. Pag. 139.

VIII. Jesus Christus nihil crebrius mandat & præcipit in Evangelio, quam ut insistamus eleemosynis dandis. Vendite, inquit Christus Dominus, res vestras, & date eleemosynam. (k) Vult insuper idem Christus Dominus, ut non condamus nobis thesauros super terram, sed ut thesaurizemus nobis thesauros in cœlo. (l) Et cum observata lege perfectum & consummatum vellet ostendere, Si vis, inquit, perfectus esse, vade, & vende omnia tua, & da egenis. (m) Item alio loco negotiatorem cœlestis gratiæ & comparatorem salutis æternæ, distractis omnibus rebus suis, pretiosam margaritam, hoc est, *Vitam æternam Christi cruore pretiosam de quantitate patrimonii sui dicit debere mercari.* (n) Eos denique & Abrahæ filios dicit, quos in juvandis alendisque pauperibus operarios cernit. „ Nam si Abraham credidit Deo, inquit hac su„ per re S. Cyprianus, & deputatum est ei ad justi„ tiam, utique qui secundum præceptum Dei eleemo„ synas facit, Deo credit, & qui habet fidei verita„ tem, servat Dei timorem, qui autem Dei timorem „ servat in miserationibus pauperum Deum cogitat. „ Operatur enim ideo quia credit, quia scit vera es„ se quæ prædicta sunt verbis Dei, nec Scripturam „ sanctam posse mentiri.... misericordes ad regnum „ vocari „. Hoc pacto S. Cyprianus ostendit, Eleemosynam in Scripturis sanctis mandari & præcipi.

Jesus Christus eleemosynam nobis mandat & præcipit. Ibid.

IX. Si vereris & metuis, prosequitur Sanctus Doctor, ne si operari plurimum cœperis, patrimonio tuo larga operatione finito ad penuriam forte redigaris: *esto in hac parte intrepidus, esto securus: Finiri non potest unde in usus Christi impenditur, unde opus cœleste celebratur: nec hoc tibi de meo spondeo, sed de Sanctarum Scripturarum fide, & divinæ pollicitationis auctoritate promitto.* Idque probat his Proverbiorum verbis: Qui dat pauperibus, nunquam egebit; qui autem avertit oculum suum, in magna penuria erit. (o) In-

Vanæ excusationes hac super re refelluntur. pag. 139. Nunquam deficiunt divitiæ, quando in eleemosynas impenduntur. Ibid.

(a) 1. Corinth. cap. 13. vers. 4. 5. 7.
(b) Tom. 4. pag. 128.
(c) Luc. cap. 9. vers. 40. 41.
(d) Proverb. cap. 20. vers. 9.
(e) 1. Joann. cap. 1. vers. 8.
(f) Isaiæ cap. 58. vers. 7. 9.
(g) Proverb. cap. 21. vers. 13.
(h) Psalm. 40. vers. 1.
(i) Tob. cap. 12. vers. 8.
(k) Luc. cap. 12. vers. 33.
(l) Matth. cap. 6. vers. 19. 20.
(m) Matth. cap. 19. vers. 21.
(n) Matth. cap. 13. vers. 46.
(o) Proverb. cap. 27. vers. 28.

III. SÆCULUM.

Insuper hoc Apostoli oraculo: Qui administrat semen seminanti, & panem ad edendum præstabit, & multiplicabit seminationem vestram, & augebit incrementa frugum justitiæ vestræ, ut in omnibus locupletemini. (*a*) Administratio hujus officii, inquit alibi idem Apostolus, non tam supplebit ea quæ Sanctis desunt, sed & abundabit per multam gratiarum actionem in Deum. (*b*) *Quoniam*, subjungit S. Cyprianus, *dum gratiarum actio ad Deum pro eleemosynis ..... pauperum oratione dirigitur, census operantis, Dei retributione cumulatur.*

Eleemosyna e contra ditat. Ibid.

X. *Metuis*, prosequitur idem sanctus Episcopus, *ne patrimonium tuum forte deficiat, si operari ex eo largiter cœperis; & nescis, miser, quia dum times ne rei familiaris deficiat, vita ipsa & salus deficit:* & dum ne quid de rebus tuis minuatur attendis, *non respicis quod ipse minuaris, amator magis mammonæ quam animæ tuæ; ut dum times ne pro te patrimonium tuum perdas, ipse pro patrimonio tuo pereas.* „ Metuis ne „ patrimonium tuum forte deficiat, si operari ex eo „ largiter cœperis: quando enim factum est, ut justo possent deesse subsidia vitæ? Elias in solitudi„ ne corvis ministrantibus pascitur, & Danieli in la„ cu ad leonum prædam jussu Regis incluso prandium „ divinitus apparatur „: *& tu metuis, ne operanti tibi & Dominum promerenti desit alimentum. Volucres Deus pascit.... & quibus nullus divinæ rei sensus est, eis nec potus, nec cibus deest: tu Christiano, tu Dei servo, tu bonis operibus dedito, tu Domino suo charo aliquid defuturum existimas? Nisi si putas, quia qui Christum pascit, a Christo ipso non pascitur, aut eis terrena deerunt, quibus cœlestia & divina tribuuntur.*

Salus deficit, dum timetur, ne res familiaris deficiat. pag. 139.

Pag. 140.

Timor iste nulli valido fundamento innititur. Ibid.

XI. Divus Cyprianus appellat has cogitationes, impias & sacrilegas; insuper pharisæos vocat illos, qui hæc meditantur. *Unde*, verba sunt Sancti Doctoris, *hæc incredula cogitatio? Unde impia & sacrilega ista meditatio? Quid facit in domo fidei perfidum pectus? Quid, qui Christo omnino non credit, appellatur & dicitur Christianus? Pharisæi tibi magis congruit nomen.* „ Quales (pharisæos) nunc quosdam in Ecclesia vi„ demus, quorum præclusæ aures & corda cæcata „ nullum de spiritualibus ac salutaribus monitis lumen „ admittunt, de quibus mirari non oportet quod con„ temnant in tractatibus servum, quando a talibus ip„ sum Dominum videamus esse contemptum „. Quæ animadversio est Divi Cypriani, qui sic prosequitur: „ Quid tibi in istis ineptis & stultis cogitatio„ nibus plaudis, quasi metu & sollicitudine futuro„ rum ab operibus retarderis? Quid umbras & præ„ stigias quasdam vanæ excusationis obtendis. Confi„ tere immo quæ vera sunt.... Obsederunt animum „ tuum sterilitatis tenebræ, & recedente inde lumine „ veritatis, carnale pectus alta & profunda avaritiæ „ caligo cæcavit „. *Pecuniæ tuæ captivus & servus es; catenis cupiditatis & vinculis alligatus es, & quem jam solverat Christus, denuo vinctus es.* En verum eleemosynæ impedimentum. Avaritia & cupiditate alligantur ii, qui pauperum miseriam levare possent. Quælibet alia excusatio vana est & futilis.

Avaritia eleemosynas impedit. Ibid.

XII. Sed heu infelices divites! Servas pecuniam, inquit S. Cyprianus, quæ te servata non servat: patrimonium cumulas, quod te pondere suo onerat; nec meministi quid Deus responderit diviti exuberantium fructuum copiam stulta exultatione jactanti: Stulte, inquit (*c*) hac nocte expostulatur anima tua a te: quæ ergo parasti cujus erunt? Quid divitiis tuis, prosequitur Sanctus Doctor, solus incubas; quid in pœnam tuam patrimonii tui pondus exaggeras, ut quo locupletior sæculo fueris, pauperior Deo fias? Redditus tuos divide cum Domino Deo tuo, fructus tuos partire cum Christo, fac tibi possessionum terrestrium Christum participem, ut & ille te sibi faciat regnorum cœlestium cohæredem....: Qui ergo locuples & dives es, eme tibi a Christo aurum ignitum, ut sordibus tuis tamquam igne decoctis, esse aurum mundum possis, si eleemosynis & justa operatione purgeris. Eme tibi albam vestem, ut indumento Christi candido vestiaris. Deinde ad mulieres præcipue sermonem convertens S. Cyprianus, inquit: Egentem & pauperem non vident oculi tui superfusi nigroris tenebris & nocte contecti: locuples & dives es, & dominicum celebrare te credis, quæ corban omnino non respicis, quæ in dominicum sine sacrificio venis, quæ partem de sacrificio quod pauper obtulit sumis. Postremum hunc articulum explicabimus, quando de Disciplina sermo erit.

Adversus hanc avaritiam. Pag. 140.

XIII. Sed enim multi sunt in domo liberi, objiciet fortasse aliquis, & retardat me numerositas filiorum quo minus largiter bonis operibus insistam. Atqui hoc ipso, respondet S. Cyprianus, operari amplius debes, quo multorum pignorum pater es. Idque sic probat Sanctus Doctor. Plures sunt, pro quibus Dominum depreceris, multorum delicta redimenda sunt, multorum purgandæ conscientiæ, multorum animæ liberandæ. Sic & Job sacrificia numerosa pro liberis offerebat, quantusque erat in domo pignorum numerus, tantus dabatur Deo & numerus hostiarum. „ Si ergo „ vere filios tuos diligis, prosequitur S. Cyprianus, „ si eis exhibes plenam & paternam dulcedinem cha„ ritatis, operari magis debes, ut filios tuos Deo ju„ sta operatione commendes. *Illi, (Deo) assigna fa„ cultates tuas, quas hæredibus servas: ille sit liberis „ tuis tutor, ille curator, ille protector.* Patrimonium „ Deo creditum nec Respublica eripuit, nec fiscus „ invadit, nec calumnia aliqua forensis evertit: *In tu„ to hæreditas ponitur, quæ Deo custode servatur.* Hoc „ est charis pignoribus in posterum providere, hoc „ est futuris hæredibus paterna pietate consulere „.

Quo major est filiorum numerus, eo major est eleemosynæ elargiendæ obligatio. Pag. 142.

XIV. Ex his omnibus Sanctus Episcopus concludit, prævaricatorem & proditorem, non patrem, eum esse, qui filiis suis fideliter non consulit, qui conservandis eis religiosa vera pietate non prospicit: qui studet terreno magis quam cœlesti patrimonio, subdit ille, filios suos diabolo magis commendat quam Christo; bis delinquit, & duplex crimen admittit, & quod non præparat filiis suis Dei Patris auxilium, & quod docet filios patrimonium plus amare quam Christum. Proponit deinde Sanctus Doctor salutaria monita Tobiæ ad filium suum, quæ videri possunt Tob. cap. 4. vers. 6. & seq. Ostendit postea, eos qui eleemosynas non largiuntur, nullam afferre posse excusationem; & recitatis Evangelii verbis, quibus Jesus Christus ad ignem æternum eos damnat, qui in pauperibus eum non susceperunt, eosque ad regnum cœlorum vocat, qui eum in pauperibus susceperant, sic prosequitur: „ Quid potuit nobis majus Christus edi„ cere? Quomodo magis potuit justitiæ ac misericor„ diæ nostræ opera provocare, quam quod præstari „ dixit sibi quidquid egenti præstatur & pauperi; & „ sic dixit offendi nisi egenti præstetur & pauperi; ut „ qui respectu fratris in Ecclesia non movetur, vel „ Christi contemplatione moveatur, & qui non cogi„ tat in labore atque in egestate conservum, vel Do„ minum cogitet in ipso illo quem despicit consti„ tutum „.

XV. Pulcherrimum adeo est exemplum Fidelium, qui Apostolorum ætate divendito patrimonio iisdem Apostolis pretium pauperibus dispensandum offerebant, ut illud Sanctus Doctor prætermittere haudquaquam possit. Proponit itaque exemplum illud sui ævi fidelibus, & commendata charitate ac fide illorum credentium quorum una erat anima, unaque mens, istos hortatur, ut imitentur æquitatem Dei Patris, a cujus beneficiis & muneribus nemo arcetur. „ Sic æqualiter „ dies illuminat, inquit ille, sol radiat, imber ri„ gat, ventus aspirat, & dormientibus somnus unus „ est, & stellarum splendor ac lunæ communis est „. Tandem postquam significavit Sanctus Doctor, Dominum, meritis atque operibus nostris præmia promissa contribuentem, pro terrenis cœlestia, pro temporalibus sempiterna, pro modicis magna præstare, concludit Tractatum suum præclarissimo hoc elogio Eleemosynæ. Præclara, inquit ille, & divina res salutaris operatio, solatium grande credentium, securitatis nostræ salubre præsidium, tutela fidei, medela peccati, res posita in potestate facientis, res & grandis & facilis, sine periculo persecutionis, corona pacis, *Verum Dei munus & maximum, infirmis necessarium, fortibus gloriosum, quo christianus adjutus perfert gratiam spiritalem, promeretur Christum judicem, Deum computat debitorem.* Nullam in diversa hujusce Tractatus loca peculiarem observationem instituo: id unum in genere animadverto, Tractatum hunc maximæ esse utilitatis, complecti moralem doctrinam apprime catholicam, & validissimis inniti principiis: verum fateamur oportet, paucos admodum inter Christianos hodie reperiri, qui has veritates moribus teneant & opere compleant,

Pag. 144.

Elogium Eleemosynæ. Ibid.

CA.

(*a*) II. Corinth. cap. 9. vers. 10.
(*b*) ibid. vers. 12.
(*c*) Luc. cap. 12. vers. 20.

CAPUT QUARTUM.

DE PATIENTIA.

Patientia est donum cœleste. Tract. de Bono Patientiæ. Pag. 145.

I. TRactatum de Opere & Eleemosynis, de quo supra verba fecimus, sequitur immediate Tractatus de Bono Patientiæ, qui & instructionem & ædificationem christiano Lectori præstare potest. Initio hujus Tractatus agnoscit S. Cyprianus, Patientiam esse Christianorum unice propriam virtutem, quam cum Deo communem habent; necnon esse donum cœleste, cum ejus dignitas & claritas e cœlo sit: *Est enim nobis cum Deo virtus ista communis; inde patientia incipit; inde claritas ejus & dignitas caput sumit.* Quod patientiam diligere debeant homines, ex eo probat Sanctus Doctor, quod ipsi Deo cara est hæc virtus: quod autem eamdem debeant sectari, id confirmat ejusdem Dei exemplo, qui patientissime sustinens in contumeliam suæ majestatis & honoris instituta ab hominibus profana templa, & terrena figmenta, & sacra sacrilega, super bonos & malos æqualiter facit diem nasci, & lumen solis oboriri: *Et cum crebris, immo continuis exacerbetur offensis Deus; indignationem suam temperat, & .... retributionis diem patienter expectat.* Itaque ipsius Dei patientia est prima ratio, quæ ad hanc virtutem sectandam movere nos debet.

Deus patiens est. Pag. 146.

Patientia Jesu Christi validissime probat ejus Divinitatem. Pag. 146.

II. Depromitur secunda ratio ex exemplo Salvatoris, qui non hoc tantum verbis docuit, inquit Sanctus Cyprianus, sed implevit & factis. Inter cætera mirabilia virtutum suarum, quibus indicia divinæ majestatis expressit, paternam quoque patientiam tolerantiæ tenore servavit. *Omnes denique actus ejus ab ipso statim adventu, patientia comite signantur.* Ejus Incarnatio, Baptisma, Jejunium quadraginta dierum, post quod sequitur triplex tentatio, ejus benignitas erga suos Discipulos, lotio pedum Apostolorum, osculum Judæ, labores tandem ab eodem Salvatore exhantlati pro conversione Judæorum, satis superque ipsius patientiam manifestant. Sub ipsa autem passione & cruce, priusquam ad crudelitatem necis & effusionem sanguinis veniretur, quæ conviciorum probra patienter audita, quæ contumeliarum tolerata ludibria, ut insultantium sputamina exciperet, flagella ipse pateretur, coronaretur spinis, palmis in faciem verberaretur, cibaretur felle, aceto potaretur; ille innocens, ille justus immo innocentia ipsa & ipsa justitia, inter facinorosos deputatur, & testimoniis fallis veritas premitur, judicatur judicaturus, *& Dei sermo ad victimam tacitus ducitur.*

Omnes Salvatoris operationes patientia comite signantur. Ibid.

III. Cum ad Crucem Domini confundantur sidera, elementa turbentur, contremiscat terra, nox diem claudat, sol, ne Judæorum facinus aspicere cogatur, & radios, & oculos suos subtrahat, *Ille non loquitur, nec movetur, nec majestatem suam sub ipsa saltem passione profitetur.* Usque ad finem perseveranter ac jugiter tolerantur omnia, ut consummetur in Christo plena & perfecta patientia. Et post ista omnia, adhuc interfectores suos, si conversi ad eum venerint, suscipit. Illos adversarios, illos blasphemos, illos nominis sui semper inimicos, si pœnitentiam delicti agant, si admissum facinus agnoscant, non solum ad indulgentiam criminis, sed & ad præmium regni cœlestis admittit. *Quid potest patientius,* exclamat hoc loco S. Cyprianus, *quid benignius dici? vivificatur Christi sanguine, etiam qui fudit sanguinem Christi.* Quæ quidem verba, ut mihi videtur, mentem sublimia admodum cogitantem manifestant.

Pag. 147.

IV. Quid vero inferendum sit ex his prodigiis patientiæ Salvatoris, audi ex eodem Divo Cypriano: „ Quod si & nos, inquit ille, in Christo sumus, si „ Christum induimus, si ipse est salutis nostræ via, „ qui Christum vestigiis salutaribus sequimur, *per Christi exempla gradiamur*: sicut Joannes Apostolus instruit dicens: (a) Qui dicit se in Christo manere, debet quomodo ille ambulavit & ipse ambulare. Christus passus est pro nobis, inquit Princeps Apostolorum, (b) relinquens vobis exemplum, ut sequamini vestigia ejus .... qui cum malediceretur, non remaledicebat, cum pateretur, non comminabatur. Hoc est secundum momentum quod urget S. Cyprianus, ut ad patientiam nos inducat.

Exemplar patientiæ in Sanctis. Pag. 147.

V. Tertium vero momentum depromitur ex Sanctis utriusque Testamenti. Patriarchæ, & Prophetæ, & Justi omnes veteris Testamenti, nihil magis custodierunt in laude virtutum suarum, quam quod patientiam forti & stabili æquanimitate tenuerunt. Sic Abel humilis & mitis patienter occiditur. Sic Abraham tentatus in filio, præceptis Dei tota patientiæ devotionis obsequitur: & Isaac quando a patre immolandus offertur, patiens invenitur. Sic Jacob fugatus a fratre, de terra sua patienter excedit, & majore patientia postmodum supplex adhuc magis impium & persecutorem muneribus pacificis ad concordiam redigit. Sic Joseph venumdatus a fratribus, patienter ignoscit. Sic Moyses pro ingrato & perfido populo patiens & lenis Dominum deprecatur. Sic David mira & christiana patientia, cum sæpe Saul Regem persequentem se & interficere concupiscentem posset occidere, noluit rependere inimico vicem sed occisum adhuc insuper & vindicavit. Tot denique Prophetæ interfecti, tot Martyres gloriosis mortibus honorati, omnes ad cœlestes coronas patientiæ laude venerunt. Omnia hæc pulcherrima patientiæ exempla S. Cyprianus imitanda nobis proponit.

Necessitas patientiæ pro omnibus hominibus. Pag. 148.

VI. Ut hujus virtutis necessitas plenius & manifestius innotescat, cogitemus, inquit S. Cyprianus, sententiam, quam Adam præcepti immemor, & datæ legis transgressor accepit: tunc quippe sciemus, quam patientes esse in isto sæculo debeamus, qui sic nascimur, ut pressuris istic & conflictationibus laboremus. In tristitia & gemitu simus necesse est omnibus diebus vitæ nostræ; edamus panem necesse est cum sudore & labore: unde unusquisque nostrum cum nascitur, & hospitio mundi hujus excipitur, initium sumit a lacrymis, & quamvis omnium adhuc nescius & ignarus, nihil aliud novit in illa ipsa prima nativitate, quam flere. *Nec sudantibus & laborantibus possunt alia magis quam patientia subvenire solatia.* Hujusce mundi ærumnæ, ac miseriæ absolute sunt necessariæ; ergo necessaria est patientia. Hoc est totum Divi Cypriani argumentum.

Patientia est etiam magis necessaria Christianis. Pag. 148.

VII. Ab his pœnis & ærumnis quæ omnes in genere homines afficiunt, transilit S. Cyprianus ad eas pœnas ærumnasque, quæ christianos peculiariter afficiunt; christianos inquam, qui diabolo impugnante plus quatiuntur, qui in acie quotidie stantes, inveterati & exercitati hostis colluctationibus fatigantur, quibus, præter varias & assiduas tentationum pugnas, in persecutionum quoque certamine patrimonia relinquenda sunt, subeundus carcer, portandæ catenæ, animæ impendendæ, gladius, bestiæ, ignes, cruces, omnia denique tormentorum ac pœnarum genera fide & virtute patientiæ perferenda. Hoc ipsum quod christiani sumus fidei, & spei res est. *Ut autem spes & fides ad fructum sui possint pervenire, patientia opus est,* inquit Sanctus Doctor: *non enim præsentem gloriam sequimur, sed futuram .....* „ Propterea expe„ ctatio & patientia necessaria est, ut id quod cœpi„ mus impleamus, & quod credimus & speramus, Deo „ repræsentante capiamus „.

Patientia est fundamentum omnium virtutum, & ipsius etiam charitatis. Pag. 149.

VIII. Charitas, licet fraternitatis vinculum sit, & fundamentum pacis, & tenacitas ac firmitas unitatis, quæ & spe & fide major est, quæ & opera & martyria præcedit, quæ nobiscum semper æterna apud Deum in regnis cœlestibus permanebit; tamen si illi patientiam tollas, desolata non durat. *Tolle illi patientiam,* verba sunt S. Cypriani, *& desolata non durat. Tolle sustinendi tolerandique substantiam, & nullis radicibus ac viribus perseverat.* Hinc Apostolus cum de charitate loqueretur, tolerantiam illi & patientiam junxit: Charitas, inquit, (c) benigna est,.... non irritatur ...., omnia sustinet. Et alio loco probavit, (d) nec unitatem servari posse, nec pacem, nisi se invicem fratres mutua tolerantia foveant, & concordiæ vinculum patientia intercedente custodiant.

Patientia necessaria est ad peccata vitanda. Pag. 148. & 149.

IX. Virtus hæc admodum necessaria ad recte agendum æque necessaria est ad peccata vitanda. Adulterium, exempli caussa, fraus, homicidium, mortalia quidem crimina, non subsisterent si adesset patientia. Ut non jures, neque maledicas, ut tua ablata non repetas, ut accepta alapa & alteram maxillam verberanti præbeas, ut diligas inimicos tuos, ut pro adversariis & persecutoribus precem facias, necessaria est patientia: Poterisne, inquit S. Cyprianus, ista perficere, nisi patientiæ, & tolerantiæ teneas firmitatem? Ut iram vitemus, discordiam, simultatem, necessaria est patientia: necnon ad varia quoque carnis incommoda, & crebros corporis durosque cruciatus, quibus humanum genus quotidie fatigatur & quatitur, patientia necessaria est; nec aliud magis inter injustos discernit & justos, quam quod in adversis per impatientiam queritur & blasphemat injustus, patientia justus probatur. Sic Job examinatus est & probatus, & ad summum fastigium laudis patientiæ virtute provectus.

De Impatientia. Pag. 150.

X. Ut hujusce virtutis necessitatem ostendat S. Cypria-

(a) 1. Joann. cap. 2. v. 6.
(b) 1. Pet. cap. 2. v. 21. 23.

(c) I. Corinth. 13. v. 4. 5.
(d) Ad Ephes. cap. 4. v. 2. 3.

III. SÆCULUM.

prianus, eam repræsentat ex oppositione quam habet cum vitio contrario, videlicet impatientia. „ Sicut patientia, verba sunt Sancti hujus Doctoris, bonum Christi est, sic e contra impatientia diaboli malum; & sicut in quo habitat & manet Christus, patiens invenitur, ita impatiens semper existit, cujus mentem diaboli nequitia possidet. Adam contra cœleste præceptum cibi læthalis impatiens in mortem cecidit; per impatientiam Cain fratrem peremit, & Esau de majoribus ad minora descendit. Quid Judaicus populus circa beneficia divina perfidus & ingratus, nonne quod a Deo primum recessit, impatientiæ crimen fuit? nec unquam ab eadem impatientia destitit, quo minus semper docilitatis & divinæ admonitionis impatiens, Prophetas suos, & justos quosque perimendo, ad crucem quoque & ad sanguinem Domini prosiliret „. Uno verbo, *Quæ patientia operibus suis ædificat ad gloriam, impatientia destruit ad ruinam*.

Effectus Patientiæ. Ibid. XI. Optimi autem patientiæ effectus ex Divo Cypriano sunt sequentes. Patientia est, quæ nos Deo commendat & servat. Ipsa est, quæ iram temperat, quæ linguam frenat, mentem gubernat, pacem custodit, disciplinam regit, libidinis impetum frangit, tumoris violentiam comprimit incendium simultatis extinguit, coercet potentiam divitum, inopiam pauperum refovet, tuetur in virginibus beatam integritatem, in viduis laboriosam castitatem, in conjunctis & maritatis individuam charitatem. Facit humiles in prosperis, in adversis fortes, contra injurias & contumelias mites. Docet delinquentibus cito ignoscere; si ipse delinquas, diu & multum rogare. Tentationes expugnat, persecutiones tolerat, passiones & martyria consummat. Ipsa est, quæ fidei nostræ fundamenta firmiter munit. Ipsa est, quæ incrementa spei sublimiter provehit. Ipsa actum dirigit, ut tenere possimus viam Christi, dum per ejus tolerantiam gradimur. Ipsa efficit, ut perseveremus filii Dei, dum patientiam Patris imitamur.

XII. Quoad eos vero, qui omnia recensita patientiæ bona quantum par est non æstimantes, vel pondere injuriarum angentium, vel dolore de iis qui adversum se grassantur & serviunt, vindicari velociter cupiunt, illos obsecrat S. Cyprianus, ut patienter judicii diem expectent, & considerent, quia necdum vindicatus est ipse qui vindicat. *Monitum iis qui ad vindictam festinant. Pag. 151.* „ Hunc expectemus, fratres dilectissimi, inquit ille, judicem & vindicem nostrum, ecclesiæ suæ populum & ab initio mundi justorum omnium numerum secum pariter vindicaturum. *Qui ad vindictam suam nimium festinat & properat, consideret, quia necdum vindicatus est ipse qui vindicat*..... Ipsius patientiam in persecutionibus & passionibus nostris cogitemus. Hujus adventui plenum expectationis obsequium præbeamus: nec defendi ante Dominum servi irreligiosa & inverecunda festinatione properemus. Insistamus potius & elaboremus, & toto corde vigilantes atque ad omnem tolerantiam stabiles dominica præcepta servemus; ut cum ille iræ & vindictæ dies venerit, non cum impiis & peccatoribus puniamur, sed cum justis & Deum timentibus honoremur.

CAPUT QUINTUM.

QUÆNAM SUNT BONA, ET MALA, ET DE EORUM USU.

I. De patientia ejusque utilitatibus ac necessitate disseruimus capite præcedenti: nunc vero de bonis ac malis verba faciemus, & perjucundum christianis Lectoribus fore confidimus, si quomodo bonis ac malis uti debeant, juxta Evangelica monita eisdem præscribamus. A bonis igitur sit initium. Itaque neque divitiæ, neque honores, neque terrenæ voluptates aliquid boni sunt; ea sola sunt vera bona juxta Sanctum Cyprianum, quæ spiritualia sunt, quæ ad Deum nos ducunt, quæque nobiscum apud Deum perpetua possessione permaneant. *Quænam sint vera bona juxta Divum Cyprianu. Tract. de Habit. Virgin. p. 69.* *Sciant*, inquit Sanctus Cyprianus, loquens de Virginibus, quæ se bonis suis terrenis uti posse contendebant, *bona illa esse, quæ sunt spiritualia, divina, cœlestia, quæ nos ad Deum ducant, quæ nobiscum apud Deum perpetua possessione permaneant*. Cæterum quæcumque terrena sunt in sæculo accepta, & hic cum sæculo remansura, tam contemni debent, quam mundus ipse contemnitur, cujus pompis & deliciis jam tunc renuntiavimus, cum meliore transgressu ad Deum venimus. Æterna igitur & divina sectanda sunt, & omnia de Dei voluntate facienda sunt, ut Domini nostri vestigia & magisteria divina sectemur.

II. Impossibile autem erit aliquod verum bonum in terris adinvenire, si parumper consideremus quæ in terris evenire solent: & sane, ne videamur pejora eligere, hoc est, crimina, quorum tristis atque aversandus aspectus ora & vultus conscientiæ melioris offendit; consideremus ea, quæ ignorantia sæcularis bona opinatur. *Quænam sint falsa bona. Tract. ad Donat. Pag. 5.* Quos honores putas esse, quos fasces, quam affluentiam in divitiis, in magistratu purpuræ speciem, *Arridentis nequitiæ*, inquit Sanctus Cyprianus, *facies quidem læta est, sed calamitatis abstrusa illecebrosa fallacia*: „ instar quoddam veneni, ubi in lethales succos dulcedine aspersa calliditate fallendi sapore medicato, poculum videtur esse quod sumitur; ubi epota res est pernicies hausta grassatur. Quippe illum vides, qui amictu clariore conspicuus fulgere sibi videtur in purpura. Quibus hoc sordibus emit, ut fulgeat, quos arrogantium fastus prius pertulit..... Horum denique videas exitus turpes, cum anceps temporum palpator abscessit, cum privati latus nudum desertor assecla fœdavit. Tunc laceratæ domus plagæ conscientiam feriunt, tunc rei familiaris exhaustæ damna noscuntur, quibus redemptus favor vulgi, & caducis atque inanibus votis popularis aura quæsita est „.

III. Sed & quos divites opinaris, prosequitur Sanctus Cyprianus, quibus argenti & auri maximum pondus, & pecuniarum ingentium vel extructi aggeres, vel defossæ strues; hos etiam inter divitias suas trepidos cogitationis incertæ sollicitudo discruciat, ne prædo vastet, ne percussor infestet, ne inimica cujusque locupletioris invidia calumniosis litibus inquirat. Non cibus securo somnusve contingit. Suspirat ille in convivio, bibat licet gemma; & cum epulis marcidum corpus torus mollior alto sinu condiderit, vigilat in pluma; nec intelligit miser, *speciosa* sibi esse *supplicia*, auro se alligatum teneri, & possideri magis quam possidere divitias atque opes. *Pag. 6.* „ Atque oh detestabilis cæcitas mentium, & cupiditatis insanæ profunda caligo! exclamat Sanctus Cyprianus. Cum exonerare se possit & levare ponderibus, pergit magis fortunis angentibus incubare, pergit pœnalibus cumulis pertinaciter adhærere. Nulla in clientes inde largitio est, cum indigentibus nulla partitio..... Possident ad hoc tantum, ne possidere liceat. Et oh nominum quanta diversitas! Bona appellant ex quibus nullus illis nisi ad res malas usus est „.

IV. Reponet fortasse aliquis, eos saltem inter honorum infulas & opes largas stabili firmitate tutos & securos esse, quos regalis auræ splendore fulgentes armorum excubantium tutela circumstat. Verum S. Cyprianus respondet, majorem metum illis esse quam cæteris. *Ibid.* *Major illis*, inquit Sanctus Doctor, *quam cæteris metus est: tam ille timere cogitur, quam timetur.... ante ipsos terret potestas sua, quos facit esse terribiles. Arridet, ut serviat; blanditur, ut fallat; illicit, ut occidat; extollit, ut deprimat: fœnore quodam nocendi, quam fuerit amplior summa dignitatis & honorum, tam major exigitur usura pœnarum*.

pag. 6. & 7. V. Una igitur placida & fida tranquillitas, concludendum est cum Divo Cypriano, una solida & firma & perpetua securitas, si quis ab his inquietantis sæculi turbinibus extractus, salutaris portus statione fundatus, ad cœlum oculos tollat a terris, & ad Domini munus admissus, ac Deo suo mente jam proximus, quidquid apud cæteros in rebus humanis sublime ac magnum videtur, infra suam jacere conscientiam glorietur. Nihil appetere jam, nihil desiderare de sæculo potest, qui sæculo major est. Quam stabilis, quam inconcussa tutela est, quam perennibus bonis cœleste præsidium, implicantis mundi laqueis solvi, in lucem immortalitatis æternæ de terrena fece purgari; tenere incorruptam, tenere sobriam religiosis virtutibus disciplinam. Quem Deus divitem fecerit, nemo pauperem faciet; penuria esse nulla jam poterit cui semel pectus cœlestis sagina saturavit. Hanc de veris ac falsis bonis ideam nobis perhibet S. Cyprianus in suo Tractatu ad Donatum, ad quem remitto Lectorem, qui sæculo succensere peroptat.

VI. Quinam igitur debet esse usus bonorum temporalium? Quæcumque terrena sunt in sæculo accepta, respondet S. Cyprianus, & hic cum sæculo remansura, tam contemni debent, quam mundus ipse contemnitur. *Legitimus usus bonorum temporalium. Tract. de Habitu Virgin. p. 69.* Joannes Apostolus nos excitat ad hunc contemptum & hortatur, inquiens (a): Nolite diligere mundum, neque ea quæ in mundo sunt. Si quis dilexe-

(a) Joann. cap. 2. vers. 15. 16. 17.

III. SAECULUM. lexerit mundum, non est charitas Patris in illo: quoniam omne quod in mundo est, concupiscentia carnis est, & concupiscentia oculorum, & ambitio saeculi, quae non est a Patre, sed ex concupiscentia saeculi. Et mundus transibit, & concupiscentia ejus. Ex quibus omnibus concludere nullo negotio debemus, temporalia bona contemnenda esse, & rejicienda.

VII. Verum, reponet aliquis, quid de bonis illis quae me Deus possidere voluit, faciam? pag. 70. „ Utere, inquit S. Cyprianus, sed ad res salutares; utere, sed „ ad bonas artes; utere, sed ad illa quae Deus prae„ cepit, quae Dominus ostendit. Divitem te sentiant „ pauperes, locupletem te sentiant indigentes. *Patri„ monium tuum Deo foenera, Christum ciba.* Ut vir„ ginitatis perferre gloriam liceat, ut ad Domini prae„ mia venire contingat, multorum precibus exora. „ Commenda illic thesauros tuos, ubi fur nullus ef„ fodiat, quod nullus insidians grassator irrumpat. „ *Possessiones tibi, sed coelestes magis compara*, ubi fru„ ctus tuos juges ac perennes & ab omni contactu „ injuriae saecularis immunes, nec rubigo atterat, nec „ grando caedat, nec sol urat, nec pluvia corrum„ pat „. Nam delinquis & hoc ipso in Deum, si ad hoc tibi ab illo divitias datas credis, ut illis non salubriter perfruaris. Nam & vocem Deus homini dedit, & tamen non sunt idcirco amatoria cantanda nec turpia: & ferrum esse ad culturam terrae Deus voluit, nec homicidia sunt idcirco facienda: aut quia thura & merum & ignem Deus instituit, sacrificandum est inde idolis. *Alioquin tentatio est patrimonium grande, nisi ad usus bonos census operetur, ut in patrimonio suo unusquisque locupletior, magis redimere debeat, quam urgere delicta.*

VIII. Num fideles nostris hisce temporibus laudatam doctrinam probaturi sint, ignorare me fateor. Illud indubitatum est, hanc eadem certitudine donari, qua ipsum Evangelium. Divus Cyprianus Evangelii principia & veritates sequebatur, nec praeter has, alias regulas agnoscebat. Tutius igitur erit ejusdem acquiescere auctoritati, quam quorumdam laxiorum Casuistarum, qui oppositum possent asserere. Veritas Domini manet in aeternum, nec ulli unquam mutationi natura sua obnoxia est; sed hominum mendacia cum iisdem hominibus peribunt.

IX. Divus Cyprianus in suo Tractatu ad Donatum (Vera mala enarrantur. Tract. ad Donat. pag. 4. & 5.) atris sed veris coloribus depingit mala, quae sua aetate grassabantur. Itinera latronibus clausa, maria obsessa praedonibus, cruento horrore castrorum bella ubique divisa; Spectacula cruenta vel turpia, hoc est gladiatorum pugnae, tragoediae & comoediae obscoenae, libidinum probra vel lupanaribus prostituta, vel domesticis parietibus obsepta; haec sunt mala, quae non sine ingenti dolore suo aevo lugebat S. Cyprianus. Sed tibi, inquit Sanctus Doctor, forum fortasse videatur immune, quod ab injuriis lacessentibus liberum, nullis malorum contactibus polluatur. Illuc aciem tuam flecte: plura illic quae detesteris invenies, magis oculos tuos inde divertes. Incisae sint licet leges duodecim tabulis, & publice aere praefixo jura praescripta sint, inter leges ipsas delinquitur, inter jura peccatur. Innocentia nec illic ubi defenditur reservatur. Saevit invicem discordantium rabies, & inter togas pace rupta forum litibus mugit insanum, hasta illic, & gladius, & carnifex praesto est, ungula effodiens, equuleus extendens, ignis exurens, ad hominis corpus unum supplicia plura quam membra. Quis inter haec vero subveniat? Patronus? Sed praevaricatur & decipit. Judex? Sed sententiam vendit. Qui sedet crimina vindicaturus admittit; & ut reus innocens pereat, fit nocens Judex. Flagrant ubique delicta, ut passim multiformi genere peccandi per improbas mentes nocens virus operatur. Hic testamentum subjicit, ille falsum capitali fraude conscribit, hic arcentur haereditatibus liberi, illic bonis donantur alieni, inimicus insimulat, calumniator impugnat, testis infamat. Utrobique grassatur in mendacium criminum prostitutae vocis venalis audacia, cum interim nocentes nec cum innocentibus pereunt. Nullus de legibus metus est, de quaesitore, de Judice pavor nullus. Consensere jura peccatis, & coepit licitum esse, quod publicum est. Haec sunt vera mala, quae timere oportet, quae oportet execrari.

X. Quae communiter appellantur aerumnae hujus vitae aerumnae ac miseriae temporales, uti sunt paupertas, afflictio, persecutio, & ipsa etiam mors, haec omnia non sunt vera mala, sed vera bona iis qui sunt vere Christiani. (De aerumnis hujus vitae. Exhortat. ad Martyr. p. 122. & 123.) Afflictionibus probat nos Deus; iis siquidem virtus nostra augetur. Nec nova ac repentina haec esse debent Christianis, qui probe norunt, Justos ab origine mundi afflictionibus & aerumnis semper cumulatos fuisse. Sic in origine statim mundi Abel justus a fratre primus occiditur, & Jacob fugatur, & Joseph venundatur, & David misericordem Saul rex persequitur, & Eliam majestatem Dei constanter ac fortiter asserentem rex Achab opprimere conatur; & Zacharias sacerdos interficitur in medio templi & altaris, ut illic hostia ipse fiat ubi Deo hostias immolabat. III. SAECULUM. pag. 124.

XI. Afflictiones & aerumnae in mortali hac vita christianis aeque ac infidelibus communes sunt; & qui christianam religionem profitentur, immunes non sunt ab incommodis, quae caeteros afficiunt. (Tractat. de Mortalit. p. 113.) Sic famem, hostiles irruptiones, infirmitates, & alia hujus vitae incommoda, cum caeteris patimur. Quinimmo si qua conditione, qua lege crediderit Christianus noscat & teneat, inquit S. Cyprianus, sciet plus sibi quam caeteris in saeculo laborandum, cui magis sit cum diabolo impugnatione luctandum. Docet & praemonet Scriptura Divina dicens: (a) Fili, accedens ad servitutem Dei, sta in justitia & timore, & praepara animam tuam ad tentationem. (Utilitas aerumnarum hujus vitae. pag. 115.) Hinc Christiani non mussitant in adversis, sed quaecumque in saeculo accidunt, fortiter & patienter accipiunt. Ad omnia eosdem paratos faciunt timor Dei, & fides. Sit licet rei familiaris amissio, prosequitur Sanctus Doctor, sit de infestantibus morbis assidua membrorum & cruenta vexatio, sit de uxore, de liberis, de excedentibus charis funebris & tristis avulsio, non sint tibi scandala ista, sed praelia; nec debilitent aut frangant Christiani fidem, sed potius ostendant in colluctatione virtutem, cum contemnenda sit omnis injuria malorum praesentium fiducia futurorum bonorum.

XII. Nisi praecesserit pugna, inquit S. Cyprianus, non potest esse victoria. Cum fuerit in pugnae congressione victoria, tunc datur vincentibus & corona. Navis gubernator in tempestate dignoscitur, in acie miles probatur. Delicata jactatio est, cum periculum non est. Conflictatio in adversis, probatio est veritatis. Quando infirmitas, & imbecillitas, & vanitas aliqua grassatur, tunc virtus nostra perficitur, tunc fides, si tentata perstiterit, coronatur. Pavore mortalitatis & temporis accenduntur tepidi, constringuntur remissi, excitantur ignavi, desertores compelluntur ut redeant; & copiosus exercitus robore fortiore colligitur, pugnaturus sine metu mortis cum praelium venerit. pag. 114. *Exercitia sunt nobis ista*, (afflictiones scilicet & hujus vitae aerumnae) *non funera: dant animo fortitudinis gloriam, contemptu mortis praeparant ad coronam.*

XIII. Verum, nec ipsam mortem timere debet Christianus. „ Mori plane timeat, inquit S. Cyprianus, (Mortis contemptus. pag. 115.) „ qui ex aqua & spiritu non renatus, gehennae igni„ bus mancipatur. Mori timeat, qui non Christi cru„ ce & passione censetur. Mori timeat, qui ad secun„ dam mortem de hac morte transibit. Mori timeat, „ quem de hoc saeculo recedentem perennibus poenis „ aeterna flamma torquebit..... Qui autem spe vivi„ mus, & in Deum credimus, & Christum passum es„ se pro nobis & resurrexisse confidimus, in Christo „ manentes, & per ipsum atque in ipso resurgentes, „ quid aut ipsi recedere illinc de saeculo nolumus, aut „ nostros recedentes quasi perditos plangimus ac do„ lemus?.... Si in Christum credimus, si fidem ver„ bis & promissis ejus habemus, & non morimur in „ aeternum ad Christum, cum quo & victuri & re„ gnaturi semper sumus, laeta securitate veniamus. „ Quod interim morimur, ad immortalitatem morte „ transgredimur; nec potest vita aeterna succedere, ni„ si hinc contingerit exire. *Non est exitus iste, sed transitus; & temporali itinere decurso, ad aeterna transgressus.* pag. 115.

XIV. Christianus qui timet mortem, satis aperte prodit juxta doctrinam S. Cypriani, neque fidem, neque spem in eo esse: (Quid de illis sentiendum, qui mortem timent. pag. 110.) *cui spes & fides deest*, inquit ille. *Ejus est enim mortem timere*, pergit idem Sanctus Doctor, *qui ad Christum nolit ire; ejus est ad Christum nolle ire, qui se non credat cum Christo incipere regnare.* Timere mortem idem est, ac diligere assiduam & molestam luctationem cum vitiis omnibus, & cum diabolo: etenim quid aliud in mundo, quam pugna adversus diabolum quotidie geritur, quam adversus jacula ejus & tela conflictationibus assiduis dimicatur? Itaque si hanc vitam diligimus, delectat inter diaboli gladios diu stare. pag. 111. Verum, *quae caecitas animi*, exclamat S. Cyprianus, *quaeve dementia est amare pressuras & poenas & lacrymas mundi.*

XV. Qui mortem timet, nequit absque mendacio haec Orationis Dominicae verba proferre: Fiat voluntas tua. pag. 114.

(a) Ecclesiast. cap. 2. v. 1.

III. SÆCULUM.

tua. Siquidem absque contradictione non possumus illam promere petitionem, & obniti ac reluctari voluntati ejus, quando a præsenti sæculo nos evocat. *Quid precibus frequenter iteratis*, inquit S. Cyprianus, *rogamus & poscimus ut acceleret dies regni, si majora desideria & vota potiora sunt servire istic diabolo, quam regnare cum Christo?* Spei nostræ atque fidei prævaricatores sumus: simulata, ficta, fucata videntur esse quæ dicimus. Nihil prodest verbis præferre virtutem, & factis destruere veritatem.

pag. 115.

XVI. Ejus est in mundo diu velle remanere, inquit Sanctus Doctor, quem mundus oblectat, quem sæculum blandiens atque decipiens illecebris terrenæ voluptatis invitat. *Porro cum mundus oderit Christianum; quid amas eum, qui te odit*, exclamat iterum Sanctus Cyprianus, *& non magis sequeris Christum, qui te & redemit, & diligit?* Hoc nos ostendamus esse quod credimus, concludit Sanctus Episcopus; & cum accersionis propriæ dies venerit, incunctanter & libenter ad Dominum ipso vocante veniamus. Mundo jam renuntiavimus, & tanquam hospites & peregrini istic interim degimus; amplectamur diem, qui assignat singulos domicilio suo, qui nos istinc ereptos, & laqueis sæcularibus exolutos restituit paradiso & regno. Hanc cogitationem nostram Deus videat, hoc propositum mentis & fidei Dominus Christus aspiciat, daturus eis gloriæ suæ ampliora præmia, quorum circa se fuerint desideria majora.

Ibid.

pag. 116.

CAPUT SEXTUM.

DE MARTYRIO.

I. Extat inter Opera Divi Cypriani quidam Tractatus, seu quædam Exhortatio ad Martyrium, quæ constat, ut ita dicam, multis Sacræ Scripturæ oraculis, quibus utitur S. Episcopus, ut Fideles ab Idololatria avertat, inflammetque ad confessionem nominis Jesu Christi, & ad Martyrium. Notabiliora, quæ ad præsentem rem faciunt, ex hoc Tractatu loca exscribam; & addam insuper quæ in cæteris hujusce Patris operibus quoad eamdem hanc rem deprehendi.

Dispositiones ad Martyrium. Epist. 58. pag. 258.

II. Incipiamus igitur a dispositionibus, quas S. Cyprianus in iis requirit, qui ad gloriam martyrii aspirant. Has accurate describit in sua ad Thibaritanos epistola, in qua eos hortatur, qui ad confessionem nominis Jesu Christi præparabantur, ut muniantur armis cœlestibus, de quibus loquitur Apostolus in sua ad Ephesios Epistola, (*a*) ut in die nequissimo resistere diaboli minis & repugnare possint. Induamus loricam Justitiæ, verba sunt conceptissima S. Cypriani, ut contra inimici jacula munitum sit pectus & tutum. Calceati sint evangelico magisterio & armati pedes, ut cum serpens calcari a nobis & obteri cœperit, mordere & supplantare non possit. Portemus fortiter scutum fidei, quo protegente quidquid jaculatur inimicus possit extingui. Accipiamus quoque ad tegumentum capitis galeam salutarem, ut muniantur aures, ne audiant edicta feralia; muniantur oculi, ne videant detestanda simulacra; muniatur frons, ut signum Dei incolume servetur; muniatur os, ut Dominum suum Christum victrix lingua fateatur. Armemus & dexteram gladio spiritali, subjungit idem Sanctus Episcopus, ut sacrificia funesta fortiter exuat. Hæ igitur sunt, uno verbo, dispositiones ad Martyrium; puritas, fides, zelus.

Idea Martyrii. Epist. 73. pag. 313.

III. Videamus modo, quam Martyrii ideam nobis perhibeat S. Cyprianus. Martyrium itaque, prout docet Sanctus iste Episcopus, est Baptisma sanguinis, est Baptisma illud, quo se debere baptizari inquiebat Christus Dominus discipulis suis: *Baptisma in quo Angeli baptizant; Baptisma, in quo Deus & Christus ejus exultant; Baptisma, post quod nemo jam peccat; Baptisma, quod fidei nostræ incrementa consummat; Baptisma, quod nos de mundo recedentes statim Deo copulat.* Hinc nemini mirum videri debet, si S. Cyprianus eodem loco pluris æstimat Baptisma sanguinis, quam Baptisma aquæ; & majus, sublimius, pretiosius appellat sanguinis quam aquæ Baptisma: *Baptisma in gratia majus, in potestate sublimius, in honore pretiosius. In aqua Baptismo accipitur peccatorum remissa; in sanguinis corona virtutum.* Sanguine autem suo baptizatos, inquit alio loco, & passione sanctificatos consummari, & divinæ pollicitationis gratiam consequi declarat in Evangelio idem Dominus, quando ad latronem in ipsa passione credentem & confitentem loquitur, & quod secum futurus sit in Paradiso pollicetur. (*b*)

Exhort. ad Martyr. pag. 118.

Epist. 73. pag. 313.

III. SÆCULUM.

IV. Extat in tertio Testimoniorum libro prolixum caput, quod inscribitur *De Bono Martyrii*; in quo innumera Scripturarum oracula profert Sanctus Doctor, quorum quædam ostendunt, Martyrium in conspectu Domini esse pretiosum; quædam vero gloriam eorum repræsentant, qui martyrio coronati sunt. Ad quem sane locum pium lectorem remitto, qui illius lectione ad confessionem nominis Jesu Christi seipsum inflammare poterit.

Scripturarum textus circa Martyrium. Lib. 1. Testim. c. 16.

V. Cæterum tradit S. Cyprianus, coronam martyrii esse Dei gratiam, quæ obtineri non potest, nisi quando tempus advenit: hinc asserit alio loco, martyrii tempus expectandum esse, & neminem debere se ultro ac temerarie Martyrio offerre. *Ne quisquam vestrum . . . .* inquit ille epistola 81. quæ est ad suum Clerum ac plebem, *ultro se Gentilibus offerat; apprehensus enim & traditus loqui debet*. Siquidem martyrium a nobis non pendet, sed est singularis Dei gratia quam nescimus an accipere mereamur. *Non est*, inquit Sanctus Doctor in suo Tractatu de Mortalitate, *non est in tua potestate, sed in Dei dignatione martyrium . . . . quod nescis an merearis accipere.*

Nemo debet se ultro offerre Martyrio, sed illud debet expectare. Tract. de Lapsis. pag. 90. Epist. 81. pag. 314. Tract. de Mortalit. pag. 114.

VI. Certum pariter est ex ejusdem S. Cypriani doctrina, vel solum martyrii desiderium Deo acceptissimum esse. Deus scrutator renis & cordis, inquit ille, & occultorum contemplator & cognitor videt te & laudat & comprobat, & qui perspicit apud te paratam fuisse virtutem, reddet pro virtute mercedem... In Dei servis, apud quos confessio cogitatur & martyrium mente concipitur, animus ad bonum deditus Deo Judice coronatur. *Aliud est enim martyrio animum deesse; aliud animo defuisse martyrium. Nec enim Deus sanguinem nostrum, sed fidem quærit.* Perjucundum sane hoc est iis omnibus fidelibus, quibus sola occasio deest ostendendi summo Deo hanc Fidei sinceritatem.

Deus coronat voluntatem Martyrii. Tract. de Mortalit. pag. 114.

VII. Verum, si temerarium est se ultro offerre martyrio, probrum est injurias & pœnas persecutionum timere, quia major est Dominus ad protegendum, ut docet Sanctus Cyprianus auctoritate Sacræ Scripturæ, quam diabolus ad impugnandum. „ Et „ adhuc fortius (conceptissima sunt Sancti Cypriani „ verba in sua exhortatione ad Martyrium) docet & „ ostendit Spiritus Sanctus, castra diaboli non timenda, & si bellum nobis hostis indixerit, in ipso „ magis bello spem nostram consistere, & congressione illa justos ad divinæ Sedis & Salutis æternæ „ præmium pervenire . . . . Quare in persecutionibus „ nemo cogitet quod periculum diabolus importet, „ sed immo consideret quod auxilium Deus præstet; „ nec mentem labefactet humana infestatio, sed corroboret fidem divina protectio; quando unusquisque secundum dominica promissa & fidei suæ merita tantum accipiat de Dei ope, quantum se credat „ accipere, nec sit quod omnipotens præstare non „ possit, nisi si accipientis Fides caduca defecerit. „

Persecutiones timendæ non sunt. Exhort. ad Martyr. cap. 10.

VIII. Si aliud aliquid insuper inflammare nos debet ad Martyrium, spes sane est & merces, quæ manet justos & martyres post conflictationes hujus temporis. „ Quis ergo non omnibus viribus elaboret, inquit „ S. Cyprianus, ad tantam claritatem pervenire, ut „ amicus Dei fiat, ut cum Christo statim gaudeat, ut „ post tormenta & supplicia terrena, præmia divina „ percipiat. Si militibus sæcularibus gloriosum est, „ ut hoste devicto redeant in patriam triumphantes, „ quanto potior & major gloria est victo diabolo ad „ paradisum triumphantem redire, & unde Adam peccator ejectus est, illic prostrato eo, qui ante dejecerat, trophæa victricia reportare; cohæredem „ Christi fieri, Angelis adæquari, cum Patriarchis, „ cum Apostolis, cum Prophetis cœlestis regni possessione lætari. Has cogitationes quæ persecutio potest vincere, quæ possunt tormenta superare? *Clauduntur* (Martyrum) *oculi in persecutionibus terra, „ sed patet cælum. Mors infertur, sed immortalitas „ sequitur. Occiso mundus eripitur, sed restituto paradisus exhibetur; vita temporalis extinguitur, sed „ æterna reparatur.*

Retributio Martyrii. Exhortat. ad Martyr. pag. 118.

IX. „ Hæc oportet mente & cogitatione complecti, pergit percelebris iste Martyr, hæc die ac nocte meditari. *Si talem persecutio invenerit Dei militem, vinci non poterit virtus ad prælium prompta.* „ Vel si accersitio ante prævenerit, *sine præmio non „ erit fides, quæ erat ad martyrium præparata.* Sine „ damno temporis merces judice Deo redditur: *in „ persecutione militia, in pace conscientia coronatur.*

X. Finem

(*a*) Cap. 6. vers. 11. & seq.

(*b*) Luc. cap. 23. vers. 43.

III. SÆCULUM.

Elogium Martyrum Tract. de Lapsis. Pag. 57.

X. Finem huic capiti imponimus præclarissimis elogiis, quibus Sanctus Doctor cumular Confessores ac Martyres Jesu Christi. „ *Adest*, inquir ille de illustri„bus hisce Viris verba faciens, *militum Christi co„hors candida*, qui persecutionis urgentis ferociam „turbulentam stabili congressione fregerunt . . . . . . „Repugnastis fortiter sæculo, spectaculum gloriosum „præbuistis Deo, secuturis fratribus fuistis exemplo. „Religiosa vox Christum locuta est . . . Illustres ma„nus . . . sacrificiis sacrilegis restiterunt. Ora . . . „profana contagia & idolorum reliquias respuerunt. „Ab impio sceleratoque velamine, quo illic velaban„tur sacrificantium capita captiva, caput vestrum li„berum mansit. Frons cum signo Dei pura diaboli „coronam ferre non potuit, coronæ se Domini reser„vavit . . . . Cum triumphantibus viris & fœminæ „veniunt, quæ cum sæculo dimicantes, sexum quo„que vicerunt. Veniunt & geminata militiæ suæ glo„ria virgines, & pueri annos suos virtutibus tran„seuntes „. Vide reliqua initio Tractatus de Lapsis.

CAPUT SEPTIMUM.

DE VIRGINITATE.

I. TRactatus, quem de Virginitate conscripsit S. Cyprianus, & inscribitur *De habitu Virginum*, innumeras complectitur pulcherrimas regulas ac veritates, quas optandum foret, nostra hac tempestate usu vigere. Lectio hujus Tractatus, quem Veteres pluris faciebant, larvam detrahere innumeris posset, qui perperam sibimetipsis blandiuntur ac si reipsa hanc virtutem possiderent, cujus vel inanem solummodo umbram tenent. Quot sane harum, quæ virgines videri volunt, hujusce facis lumine dignoscere possent quid seipsa sint! Attendant paulisper pulcherrima quæ proferam hujus Tractatus loca, & si verum fateri velint, Sæculi comœdis seipsas accensent, erubescentes titulum, quem falso gerunt, Virginum scilicet Jesu Christi.

Elogium Virginũ. Tract. de Habit. Virgin. p. 68.

II. En ex Divo Cypriano elogium Virginum Evangelicarum. Flos est ille Ecclesiastici germinis, inquit Sanctus Doctor, decus atque ornamentum gratiæ spiritalis, læta indoles, laudis & honoris opus integrum atque incorruptum, Dei imago respondens ad sanctimoniam Domini, *illustrior portio gregis Christi. Gaudet per illas atque in illis largiter floret Ecclesiæ matris gloriosa fœcunditas; quantoque plus copiosa virginitas numero suo addit; tanto plus gaudium matris augescit*. Hoc Virginitatis elogium a Divo Cypriano, eruditissimo scilicet ac perspicacissimo homine exaratum, obstruere debet os eorum omnium, qui christianam virginitatem probro habent, veluti Creatoris intentioni oppositam.

Objectio quoad Virginitatem soluta. Pag. 74.

III. Perperam autem quis conaretur tueri impium hoc paradoxum his Dei ad primos parentes verbis: *Crescite & multiplicamini:* (a) Responsum siquidem in promptu est, & quidem ex eodem S. Cypriano petitum: *Prima sententia crescere & generare præcepit; secunda continentiam suasit*. Nunc siquidem non subsistit illa ratio, qua ad Matrimonium tunc temporis humanum genus vocabatur. *Cum adhuc*, inquit Sanctus Episcopus, *rudis mundus & inanis esset . . . . crescimus ad humani generis augmentum: cum jam refertus est orbis, & mundus impletus; qui capere continentiam possunt, ... castrantur ad regnum*. Quibus addere possumus, Dei verbis non ligari omnes & singulos Adæ posteros in particulari, sed solummodo universam humanam speciem in genere, quæ tenetur invigilare conservationi, adeoque propagationi generis humani.

Jesus Christus non præcipit continentiam, sed ad eam hortatur. Pag. 74.

IV. Verum, inquiet aliquis, nullam Christus Dominus quoad continentiam legem promulgavit, nullamque hac de re necessitatem nobis imposuit; hanc siquidem virtutem nostro reliquit arbitrio. *Nec hoc jubet Dominus*, inquit S. Cyprianus, *sed hortatur*; nec jugum necessitatis imponit, quando maneat voluntatis arbitrium liberum. Sed cum habitationes multas apud Patrem suum dicat, (Salvator noster) melioris habitaculi hospitia demonstrat. Hæc quippe cœlestia & meliora habitacula obtinent, qui carnis desideria castrant: *Carnis desideria castrantes*, inquit S. Cyprianus, Virgines alloquens, *majoris gratiæ præmium in cœlestibus obtinetis*.

Utilitates Virginitatis. Ibid.

V. Nemo autem hæc & similia objiceret contra Virginitatem si sciret quo malo careat, & quid boni teneat continentiæ virtus. Multiplicabo, inquit mulieri Deus (b), tristitias tuas & gemitus tuos, & in tristitia paries filios, & conversio tua ad virum tuum, & ipse tui dominabitur. Vos (virgines) ab hac sententia liberæ estis, vos mulierum tristitias & gemitus non timetis. Nullus vobis de partu circa Filios metus est, nec maritus est dominus, sed dominus vester & caput Christus est: sors vobis & conditio communis est. *Quod futuri sumus* (tempore resurrectionis) *jam vos esse cœpistis: vos resurrectionis gloriam in isto sæculo jam tenetis; per sæculum sine sæculi contagione transitis*. Videamus modo quænam sint Virginum obligationes.

Virgines debẽt primo perfecte servare regulas Evangelii pag. 67.

VI. Primo igitur loco S. Cyprianus Virginibus commendat, ut Evangelii regulas accuratissime observent; *Disciplina* siquidem, inquit Sanctus Doctor, est *custos spei, retinaculum fidei, dux itineris salutaris*. Hæc est verum fundamentum virginitatis christianæ: ab hac incipere debent Virgines; nihil magis velle ac tenere eas convenit, si inconcussæ ad procellas & turbines sæculi stare volunt.

Puritas Virginum. Pag. 68.

VII. Virgo christiana considerare pariter ac scire debet, quod corpus suum est templum Dei, ab omni fece contagionis antiquæ lavacri vitalis sanctificatione purgatum; quod nec violari aut pollui debet, nisi qui violat, & ipse violari velit, hoc est de propria salute periclitari. Hujusce templi custos & antistes est christiana virgo, quæ servire illi debet, cujus esse jam cœpit. Debet insuper eadem Virgo, prout christiana est, glorificare & portare Deum puro & mundo corpore & observatione meliore; & quæ per sanguinem Christi redempta est, per omnia servitutis obsequia Redemptoris imperio parere debet, & dare operam ne quid immundum & profanum templo Dei inferatur, ne offensus sedem quam inhabitat derelinquat. Quæ quidem præcepta omnes in genere Christianos afficiunt, ut idem S. Cyprianus monet. Nunc vero de iis quæ in particulari Virginum sunt propria, sit sermo. *Nunc nobis ad virgines sermo est*.

Ibid.

Virgines optare nequeũt placere hominibus. pag. 69.

VIII. Cultum & ornamenta iisdem vetat præcipue Sanctus Doctor, quia dum hominibus placere gestiunt, Deum offendunt: cogitare debent, esse prædictum: Qui hominibus placent, confusi sunt; (c) & Paulum quoque gloriose & sublimiter prædicasse: Si hominibus placere vellem, Christi servus non essem. (d) Continentia vero & pudicitia, inquit S. Cyprianus, non in sola carnis integritate consistit, sed etiam in cultus & ornatus honore pariter & pudore, ut secundum Apostolum, quæ innupta est, sancta sit & corpore, & spiritu. *Virgo non esse tantum, sed & intelligi debet & credi; ut nemo, cum virginem videt, dubitet, an virgo sit? Parem se integritas in omnibus præstet, nec bonum corporis cultus infamet*.

Virgines vitare debent ornamenta ac cultus. Pag. 69. Pag. 70.

IX. *Neminem christianum, & maxime virginem non decet, claritatem ullam computare carnis & honorem*. Aut si in carne sit gloriandum, tunc plane quando in nominis confessione cruciatur; quando ignes, aut cruces, aut ferrum, aut bestias patitur ut coronetur. *Illa sunt carnis pretiosa monilia*, prosequitur Sanctus Doctor, *illa corporis ornamenta meliora*. Quod si Apostolus Petrus (e) mulieres quoque admonet coercendas, & ad ecclesiasticam disciplinam religiosa observatione moderandas, quæ excusare cultus suos solent per maritum; quanto id magis observare virginem fas est, cui nulla ornatus sui competat venia, nec derivari in alterum possit mendacium culpæ, sed sola ipsa remaneat in crimine?

Mala, quæ ex his ornamentis profluunt. Ibid.

X. Cæterum si tu te sumptuosius comas, pergit S. Cyprianus, & per publicum notabiliter incedas, oculos in te juventutis illicias, suspiria adolescentium post te trahas, concupiscendi libidinem nutrias, suspirandi fomenta succendas, ut etsi ipsa non pereas, alios tamen perdas, & velut gladium te & venenum videntibus præbeas, excusari non potes, quasi mente casta sis & pudica. *Redarguit te cultus improbus, & impudicus ornatus; nec computari jam potes inter puellas & virgines Christi, quæ sic vivis, ut possis adamari*. Quibus sane omnibus, ut initio hujusce capitis inquiebam, detrahi larva potest pluribus, quæ nostra hac tempestate Virgines videri volunt.

Inter Virgines computari illæ non possunt, quæ sic vivunt, ut ab hominibus possint carnaliter adamari. Ibid.

Vana ornamenta nõ nisi prostitutis & impudicis fœminis congruunt. pag. 71.

XI. *Ornamentorum ac vestium insignia & lenocinia formarum non nisi prostitutis & impudicis fœminis congruunt, & nullarum fere pretiosior cultus est, quam quarum pudor vilis est. Fugiant castæ virgines & pudicæ incestarum cultus, habitus impudicarum, lupanarium insignia, ornamenta meretricum*. Si aliquæ post

(a) Genes. cap. 1. vers. 28.
(b) Ibid. cap. 3. vers. 16.
(c) Psalm. 52. vers. 6.
(d) Ad Galat. cap. 1. vers. 10.
(e) I. Petr. cap. 3. vers. 3.

III. SECULUM.

post hæc, in inceptis adhuc persistere audeant, quidnam eas movere possit ignoro.

Terribile exemplum de filiabus Sion, de quibus sermo est in Isaia. pag. 71.

XII. „ Clamat etiam, prosequitur Sanctus Episcopus, clamat Spiritu sancto plenus Isaias, & filias „ Sion auro & argento ac veste corruptas increpat „ & objurgat perniciosis opibus affluentes, & a Deo „ per sæculi delicias recedentes. Exaltatæ ceciderunt, „ comptæ turpitudinem fœditatemque meruerunt: *Sericum & purpuram indutæ, Christum induere non possunt. Auro & margaritis & monilibus adornatæ, ornamenta cordis ac pectoris perdiderunt*. Quis „ non id execretur & fugiat, pergit Sanctus Doctor, „ quod alii fuerit exitio? Quis id appetat & assumat, quod ad necem alterius pro gladio fuerit & „ telo? Si hausto poculo moreretur ille qui biberat, „ venenum scires esse quod ille potavit „. *Quanta ignorantia veri est, animi quanta dementia, id velle, quod & nocuerit semper & noceat, & putare quod inde ipsa non pereas, unde alios periisse cognoscas!*

Rebus sic uti debemus, ut a Deo conditæ sunt. Ibid.

XIII. Docet deinde aptissime ad hanc rem S. Cyprianus, nos injuriam Deo irrogare, dum rebus, ut a Deo creatæ sunt, non utimur. „ Neque enim „ Deus, inquit ille, coccineas aut purpureas oves „ fecit, aut herbarum succis & conchyliis tingere & „ colorare lanas docuit, nec distinctis auro lapillis & „ margaritis contexta serie & numerosa compage digestis monilia instituit, quibus cervicem quam fecit „ absconderes, ut operiatur illud quod Deus in homine formavit, & conspiciatur id desuper, *quod diabolus adinvenit* „. Diabolus igitur horum ornamentorum auctor est. „ An vulnera, prosequitur ille, „ inferri auribus Deus voluit, quibus innocens adhuc „ infantia & mali sæcularis ignara crucietur, ut postea de aurium cicatricibus & cavernis pretiosa grana dependeant, gravia etsi non suo pondere, mercium tamen quantitate? „

Ornamentorum adinventor est diabolus. Ibid.

Quale crimen sit libri. p. 72.

XIV. Quinimmo asserit S. Cyprianus, illum peccare, qui audet mutare & convertere quod Deus fecit. *Manus Deo inferunt*, conceptissima ejus verba sunt, *quando id quod ille formavit, reformare & transfigurare contendunt*; nescientes, quia opus Dei est omne quod nascitur, diaboli quodcumque mutatur. Si quis pingendi artifex vultum alicujus & speciem & corporis qualitatem æmulo colore signasset, & signato jam consummatoque simulacro, manus alius inferret, ut jam formata, jam picta quasi peritior reformaret, gravis prioris artificis injuria & justa indignatio videretur. Tu te existimas impune laturam tam improbæ temeritatis audaciam, Dei artificis offensam? „ Num „ sinceritas perseverat, inquit egregie noster Auctor, „ & veritas, quando quæ sincera sunt polluuntur co„ lorum adulteriis, & adulterinis medicaminum fucis „ in mendacium vera mutantur? Dominus tuus dicit: „ Non potes facere capillum unum album aut nigrum; „ (a) & tu ad vincendam Domini tui vocem vis te „ esse potiorem? *Audaci conatu, & sacrilego contemptu crines tuos inficis* .... Non metuis, oro, quæ „ talis es, ne cum resurrectionis dies venerit artifex „ tuus te non recognoscat, ad sua præmia & promissa venientem removeat & excludat? .... *Non metuis, oro, quæ talis es, ne .... increpans vigore censoris & judicis dicat: Opus hoc meum non est, nec imago hæc nostra est?* .... Expugnata est mendacio „ facies, figura corrupta est, vultus alienus est ..... „ *De inimico tuo compta, cum illo pariter & arsura* „. Quibus positis, quo pacto vana ornamenta cum christiana pietate poterunt conciliari? Plurimi hodie hoc sibi animo fingunt; sed falso ac per summam temeritatem.

Nullus Virginibus locus esse debet in nuptiarum celebratione. p. 72. & 73.

XV. Si vana ornamenta vitare debent christianæ virgines, tenentur æque abesse a profanis cœtibus, in quibus lædi potest earum pudor. Non decet virginem nubentibus interesse, & in illa lascivientium libertate sermonum colloquia incesta miscere, audire quod non decet, quod non licet, observari & esse præsentem inter verba turpia & temulenta convivia, quibus libidinum fomes accenditur, sponsa ad patientiam stupri, ad audaciam sponsus animatur. *Quis illi in nuptiis locus est, cui animus ad nuptias non est? Aut voluptaria illic & læta esse quæ possunt, ubi & studia & vota diversa sunt?* Asserit S. Cyprianus, Virgines, quæ hujusmodi nuptiis intersunt, multum a proposito suo deficere, & raro admodum pudicam discedere quæ pudica venerat: *Pudica quæ venerat, impudica discedit*. Siquidem, *corpore licet virgo ac mente permaneat, oculis, auribus, lingua minuit illa quæ habebat*.

XVI. Eodem rigore vetat Virginibus adire publica balnea, in quibus, oculis ad libidinem curiosis pudori ac pudicitiæ corpora dicata prostituuntur: quæ enim ea loca adeunt, illecebram vitiis præstant, necnon ad corruptelam & injuriam suam desideria præsentium sollicitant & invitant. Nec puritate intentionis Virgines istæ excusari possunt: non eas purgat ista defensio, nec lasciviæ & petulantiæ crimen excusat. *Impudice tu neminem conspicis*, inquit S. Cyprianus, *sed ipsa conspiceris impudice. Oculos tuos turpi oblectatione non polluis, sed dum oblectas alios ipsa pollueris*. Spectaculum de lavacro facis. Theatro sunt fœdiora quo convenis .... Jam nunc considera, an cum vestita es, verecunda sis inter viros talis cui ad inverecundiam proficit audacia nuditatis.

III. SECULUM.

Balnea publica illis vetita. pag. 73.

Cohortatio ad Virgines. Ibid.

XVII. S. Cyprianus concludit hortando virgines, ut tales sint, quales Deus artifex eas fecit, ut tales permaneant, quales manus Patris eas instituit. *Estote tales, quales vos Deus artifex fecit; estote tales, quales vos manus Patris instituit*. „ Maneat in vobis „ facies incorrupta, cervix pura, forma sincera. Non „ inferantur auribus vulnera, nec brachia includat aut „ colla de armillis & monilibus catena pretiosa; sint „ a compedibus aureis pedes liberi, crines nullo co„ lore fucati, oculi conspiciendo Deo digni. Cele„ brentur lavacra cum fœminis, quarum inter vos „ pudica lavatio est. Nuptiarum festa improba & con„ vivia lasciva vitentur, quorum periculosa contagio „ est. *Vince vestem, quæ virgo es, quæ Deo servis; vince aurum, quæ carnem vincis & sæculum* .... „ Arcta & angusta est via, quæ ducit ad vitam; du„ rus & arduus est limes, qui tendit ad gloriam ... „ Lata est, spatiosa itinera vitæ: lethales illic illece„ bræ & mortiferæ voluptates ..... Ut apud marty„ res non est carnis & sæculi cogitatio, nec prava & „ levis, & delicata congressio, sic & in vobis, qua„ rum ad gratiam merces secunda est, sit & virtus „ ad tolerantiam proxima .... Si præmium pollicita„ tionis attendis, minus est quod laboras .... *Servate Virgines, servate quod esse cœpistis, servate quod eritis*. „

CAPUT OCTAVUM.

DE ORATIONE, ET DE FUGA IN PERSECUTIONE.

I. ORatio, prout docet S. Cyprianus, nos peccatores manifestat. Hinc aperte asserit ipse, Jesum Christum pro nobis orasse, cum peccator ille non esset, sed aliena peccata portaret: *Orabat ille (Dominus) pro nobis, cum peccator non esset, sed aliena peccata portaret*. Quia igitur peccatores sumus, ideo necessaria nobis in hoc sæculo essentialiter oratio est. Hæc eadem necessitas in hoc insuper fundatur, quod divina gratia opus habemus; nam ut fiat in nobis voluntas Dei, opus est Dei voluntate, ut docet S. Cyprianus, idest ope ejus & protectione: sed hæc protectio nonnisi oratione a nobis promereri potest; & idcirco quotidianis, immo continuis orationibus precamur, & in cœlo, & in terra voluntatem circa nos Dei fieri: hinc necessitas orationis naturaliter sequitur a necessitate gratiæ. Potest insuper eadem necessitas ostendi exemplo Salvatoris, qui frequenter orabat, & erat pernoctans in oratione. Quod si ille orabat, qui sine peccato erat; quanto magis peccatores oportet orare? Tandem *Continua oratione & prece opus est*, inquit Sanctus Doctor, *ne excidamus a regno cælesti*.

Necessitas Orationis. Epist. 17. pag. 186.

Tract. de Orat. Dom. pag. 103.

Epist. 17. pag. 186.

Tract. de Orat. Dom. pag. 102.

II. Quod si necessaria est oratio, æque utilis est, æque est efficax. Propter orationem siquidem gratiæ & cœlestes benedictiones super nos descendunt, ut asserunt quidam Sancti Confessores ad S. Cyprianum scribentes. Oratione, præcipue vero ea, quam nos docuit Jesus Christus, adoramus Deum in spiritu & veritate: Oratione, si tamen fervens sit, & in unanimitate & concordia proferatur, certo liberamur a malis ac tentationibus hujus vitæ. „ Pulsemus, inquit „ S. Cyprianus, quia & pulsanti aperietur, si modo „ pulsent ostium & preces, gemitus, & lacrymæ no„ stræ, quibus insistere & immorari oportet, etsi sit „ unanimis oratio .... Si duo unanimes in oratione „ tantum possunt, ut quodcumque petierint fiat illis; „ quid si unanimitas apud omnes esset? Quid si se„ cundum pacem, quam nobis Dominus dedit (an„ tequam ad Patrem suum ascenderet) universis fra„ tribus conveniret? „ Ex quibus Divi Cypriani verbis

Utilitates Orationis. Epist. 31. Pag. 214.

Tract. de Orat. Dom. pag. 99.

Epist. 17.

(a) Matth. cap. 5. vers. 36.

III. SÆCULUM.

bis tum necessitatem, tum efficaciam orationis optime perspectam habeamus.

Conditiones Orationis. Tract. de Orat. Dom. Pag. 107.

III. Ut autem preces nostræ effectum quem optamus obtineant, assiduæ esse debent, uti superius diximus numero primo. Insuper *incumbere ad preces toto cordè debemus. Cogitatio omnis carnalis & sæcularis abscedat; nec quidquam tunc animus, quam id solum cogitet, quod precatur*. „ Ideo & Sacerdos, inquit „ Sanctus Doctor, ante orationem præfatione præmis„ sa parat fratrum mentes dicendo; *Sursum corda*, „ ut dum respondet plebs, *habemus ad Dominum*, „ admoneatur nihil aliud se quam Dominum cogitare „ debere. *Claudatur contra adversarium pectus, & so„ li Deo pateat* .... Obrepit enim frequenter hostis „ Dei, & penetrat, & subtiliter fallens preces no„ stras à Deo avocat, ut aliud habeamus in corde, „ aliud in voce, quando intentione sincera Dominum „ debeat non vocis sonus, sed animus & sensus „ orare „.

IV. „ Quæ autem segnitia est alienari & rapi inep„ tis cogitationibus & profanis cum Dominum de„ precaris, quasi sit aliud quod magis debeas cogita„ re, quam quod cum Deo loqueris? *Quomodo te au„ diri a Deo postulas, cum te ipse non audias? Vis „ esse Deum memorem tui .... quando tu ipse me„ mor tui non sis?* .... Hoc est, quando oras Deum, „ majestatem Dei negligentia orationis offendere. „ hoc est vigilare oculis, & corde dormire, cum de„ beat Christianus & cum dormit oculis cordis vigi„ lare, sicut scriptum est ex persona Ecclesiæ loquen„ tis in Cantico Canticorum: (*a*) Ego dormio, & „ cor meum vigilat. „

V. Ut sermo noster habeat fructum, debet esse bona operatione fœcundus. Et ideo Divina Scriptura instruit dicens: (*b*) bona est oratio cum jejunio & eleemosyna. Nam Deus ad orationem cum operatione venienti benignus auditor est. Sic Cornelius Centurio cum oraret, meruit audiri. Sic Deus misit Angelum suum curare Tobiam, & Saram nurum suam.

Pag. 108.

Cito orationes ad Deum ascendunt, quas ad Deum merita operis nostri imponunt. Hæ sunt igitur conditiones essentiales christianæ orationi, assiduitas, attentio, & bona operatio. Quibus aliam Divus Cyprianus cum Apostolo adjungit, scilicet perseverantiam.

Pag. 107.

Modus orandi. Pag. 100.

VI. Verus autem orandi modus ex Divo Cypriano hic est: Sit orantibus sermo & precatio cum disciplina, quietem continens & pudorem. *Cogitemus nos sub conspectu Dei stare. Placendum est divinis oculis & habitu corporis, & modo vocis*. Imprudentis est clamoribus inter orandum strepere. In abditis & semotis locis debemus orare. Si fides in nobis est, scimus jam Deum ubique esse præsentem, audire omnes & videre, & majestatis suæ plenitudine in abdita quoque & occulta penetrare. Et quando in unum cum fratribus convenimus, concludit Sanctus Doctor, & sacrificia divina cum Dei Sacerdote celebramus, verecundiæ & disciplinæ memores esse debemus, non passim ventilare preces nostras inconditis vocibus, nec petitionem commendandam modeste Deo tumultuosa loquacitate jactare, *Quia Deus non vocis, sed cordis auditor est; nec admonendus est clamoribus, qui cogitationes hominum videt*.

Excellentia & efficacia Orationis Dominicæ. Pag. 99.

VII. Omnes inter Orationes, nulla quidem est magis excellens, magis spiritualis, magis efficax, quam ea quæ dicitur Oratio Dominica, quæ a Christo nobis data est. *Amica & familiaris oratio est, Deum de suo rogare, ad aures ejus ascendere Christi oratione*.

Explicantur hæc verba *Pater Noster*. Pag. 101. & 102.

Homo novus, renatus, & Deo suo per gratiam ejus restitutus *Pater* primo in loco dicit, quia filius esse jam cœpit. Quod nomen nemo nostrum in oratione auderet attingere, nisi ipse nobis sic permisisset orare. Meminisse itaque & scire debemus, quia quando Patrem dicimus, quasi filii Dei agere debemus, ut quomodo nos nobis placemus de Deo patre, sic sibi placeat & ille de nobis. Quod sane S. Cypriani ratiocinium est.

Explicantur cæteræ Orationis Dominicæ partes. Pag. 102.

VIII. Post hoc dicimus: Sanctificetur nomen tuum, non quod optemus Deo ut sanctificetur orationibus nostris, sed quod petamus ab eo ut nomen ejus sanctificetur in nobis: id petimus & rogamus, ut qui in baptismo sanctificati sumus, in eo quod esse cœpimus perseveremus. In eodem sensu dicimus: Adveniat Regnum tuum: non enim petimus quod Deus regnet; sed nostrum regnum petimus advenire a Deo nobis repromissum, Christi sanguine & passione quæsitum. Addimus quoque & dicimus in eodem sensu: Fiat voluntas tua: siquidem non petimus ut Deus faciat quod vult, sed ut nos facere possimus quod Deus

Pag. 103.

vult. *Nam Deo quis obsistit, quo minus, quod velit faciat?*

Pag. 104. Pag. 105. & 106.

IX. Procedente oratione postulamus & dicimus: Panem nostrum quotidianum da nobis hodie; quod potest spiritualiter de pane vitæ, qui est Christus, intelligi, & de quotidiano cibo, quo corpus nostrum alitur. Post hæc & pro peccatis nostris deprecamur dicentes: & remitte nobis debita nostra, sicut & nos remittimus debitoribus nostris. Deus adjunxit & addidit legem, inquit S. Cyprianus, certa nos conditione & sponsione constringens, ut sic nobis dimitti debita postulemus, secundum quod & ipsi debitoribus nostris dimittimus. Illud quoque necessario admonet Dominus ut in oratione dicamus: Et ne nos patiaris induci in tentationem. Qua in parte ostenditur, subdit Sanctus Doctor, nihil contra nos adversarium posse, nisi Deus ante permiserit, ut omnis timor noster & devotio atque observatio ad Deum convertatur, quando in tentationibus nostris nihil malo liceat, nisi potestas inde tribuatur. Admonemur insuper infirmitatis & imbecillitatis nostræ dum sic rogamus, ne quis se insolenter extollat, ne quis sibi superbe atque arroganter aliquid assumat &c. Post ista omnia in conclusione orationis venit clausula universas petitiones & preces nostras collecta brevitate concludens: In novissimo enim ponimus: Sed libera nos a malo. Quando autem dicimus: libera nos a malo, nihil remanet quod ultra adhuc debeat postulari, quando semel protectionem Dei adversus malum petamus; qua impetrata, contra omnia quæ diabolus & mundus operantur, securi stamus & tuti. Hæc est, contracta quidem, Orationis Dominicæ explicatio, quam perhibet nobis Sanctus Cyprianus. Videamus modo notabiliora quæ habet idem Sanctus Episcopus quoad fugam in Persecutione.

Pag. 107. & 108.

X. Certum primo loco est, Divum Cyprianum credidisse quoad simplices fideles licitam fugam in persecutione. Pluribus Sancti hujus Doctoris testimoniis id possemus ostendere; verum ne nimii simus, unicum proferemus ejus testimonium ex epistola ad Thibaritanos, in qua eos purgat, qui ad montes fugiebant furente persecutione, ut amittendæ fidei occasionem & periculum declinarent. Nec quisquam, inquit ille, cum populum nostrum fugari conspexerit metu persecutionis & spargi conturbetur, quod collectam fraternitatem non videat. Ubicumque in illis diebus, subjungit idem Sanctus Doctor, unusquisque fratrum fuerit a grege interim necessitate temporis corpore non spiritu separatus, non moveatur ad fugæ illius horrorem, nec recedens & latens deserti loci solitudine terreatur. Spectat militem suum Christus ubicumque pugnantem, & persecutionis caussa pro nominis sui honore morienti præmium reddit, quod daturum se in resurrectione promisit. „ Nec minor est „ martyrii gloria, prosequitur idem Sanctus Pater, „ non publice & inter multos periisse, cum pereundi „ caussa sit propter Christum perire „. Immo tantum abest quod Divus Cyprianus damnet fugam in persecutione, ut summis laudibus eos prosequatur, ac magnanimos appellet, qui in hac fuga omnia bona sua relinquebant. Vide hac de re disserentem Sanctum Doctorem in Tractatu de Lapsis, & in aliquibus suis epistolis.

Permissum est Christianis fugere tempore persecutionis.

XI. Nunc vero inquirendum est, num crediderit Sanctus Episcopus, etiam Ecclesiæ pastoribus hanc fugam licitam esse. Nulli dubium esse potest, quod hanc non crediderit legitimam in aliquibus circumstantiis, cum secesserit & ipse, ut narrat ipsius vitæ conscriptor, immo testatur ipse non semel in suis epistolis; ad hanc fugam vero momenta quæ summopere urgeant requiruntur, qualia Sancto Carthaginiensi Episcopo præsto fuerunt. Secessit utique S. Cyprianus tempore persecutionis; sed 1°. secessit Deo sic jubente ut refert Pontius Diaconus, & ipse etiam Sanctus Doctor in quadam ad suum Clerum epistola, in qua ait, quod fusius illum instruet, quando Dominus, qui ut secederet jussit, ad illum reducem fecerit. *Quando ad vos reducem me Dominus fecerit, qui ut secederem jussit*. Dicata enim in omnibus Deo mens, inquit beatissimus ejus Diaconus, & sic divinis admonitionibus mancipata, *Credidit se, nisi Domino latebram tunc jubenti paruisset, etiam ipsa passione peccare*. 2°. Ipsius præsentia Ecclesiæ erat necessaria. Debebat enim, pergit idem historicus, esse qui posset saucios homines & varia expugnantis inimici arte jaculatos, adhibita medicinæ cœlestis medela pro qualitate vulneris, vel secare interim, vel fovere. *Bene*, tandem concludit, *bene tunc & vere spiritaliter contigit, quod vir*

Momenta, quæ permissum ostendunt Pastoribus Ecclesiæ fugere tempore persecutionis. *Epist.* 16. Pag. 196.

tam

(*a*) Cap. 5. vers. 2.

(*b*) Tobiæ, cap. 12. v. 3.

III. SÆCULUM.

tam necessarius .... a martyrii consummatione dilatus est. Servatus est, subjungit, vir ingenii, præter cætera, etiam spiritaliter temperati; qui inter resultantes collidentium schismatum fluctus, Ecclesiæ iter medium, librato limite gubernaret. 3°. Vultis scire, prosequitur idem Pontius, secessum illum non fuisse formidinem? Ut nihil aliud excusem, ipse postmodum passus est, quam passionem utique ex more vitaret, si & ante vitasset. Fuit fere formido illa, sed justa: formido quæ Dominum timeret offendere: formido, quæ præceptis Dei mallet obsequi, quam sic coronari. Hoc modo beatissimus Diaconus Pontius excusat secessum Sancti sui Episcopi.

Romanus Clerus primo aspectu damnat fugam Divi Cypriani. *Epist. 8. Pag. 179. & seq.* Sed deinceps Romani Confessores eamdem approbăt. *Epist. 31. Pag. 214.*

XII. Clerus Romanus videtur utique prima fronte improbasse secessum Divi Cypriani, ut nullo negotio colligi potest ex quadam ejusdem Romani Cleri epistola ad Clerum Carthaginensem. Verum postquam seipsum purgavit Sanctus Episcopus, non solum improbare ejus secessum destitit Romanus Clerus, sed insuper agnovit necessitatem, qua permotus secessit, eumque commendavit, eo quod licet interim a fratribus pro temporis conditione distractus esset, tamen in nulla officii sui parte tanquam aliquis desertor claudicavit, & in omnibus se præsentem quodammodo semper exhibuit. Cæterum in genere dici potest, rem periculi plenam esse Ecclesiæ Pastoribus deserere gregem suum, nisi de majori Ecclesiæ bono agatur. Pastores qui secederent non urgentibus supra recensitis gravissimis caussis, timere deberent sibi ipsis ea omnia quæ in Scripturis exarata sunt contra negligentes præpositos, qui perditum non requisiverunt, & errantem non correxerunt: timere deberent se accensendos fore mercenariis, ut habemus ex Evangelio; & tandem exponerent ipsos Fideles gravi periculo in fide. „ Nos, inquiunt hujus epistolæ Auctores, non deserimus fraternitatem, & fratres hortamur stare in fide .... Sed & ascendentes (in Capitolium videlicet ibi sacrificaturos diis gentium) ad hoc quod compellebantur revocavimus .... Videtis ergo, fratres, quoniam & vos hoc facere debetis, ut etiam illi qui ceciderunt hortatu vestro corrigentes animos eorum, si apprehensi fuerint iterato, confiteantur, ut possint priorem errorem corrigere „. Ex quibus omnibus concludamus, Pastores non debere gregem suum deserere, etiam persecutionis tempore; & nonnisi ex gravissimis caussis posse secedere.

Ecclesiarum Pastores fugere nequeunt, nisi maxima urgeat caussa. *Epist. 8. Pag. 180.*

CAPUT NONUM.

DE IDOLOLATRIA, ET DE APOSTASIA.

I. ÆQuo jure Divus Cyprianus non semel in suis Epistolis asserit, Idololatriam esse imanissimum crimen; quoniam, ut docet idem Sanctus Episcopus, Deum directe offendit. Christianus, qui Diis immolat, ipse est victima hujus sacrificii: altare, in quo thus adolet, rogus illi est: immolat illic suam salutem, spem, fidem: *Immolasti illic salutem tuam*, inquit S. Cyprianus, *spem tuam, fidem tuam funestis illis ignibus cremasti*.

Idololatria est immanissimū crimen. *Tract. de Lapsis. pag. 89. & 90.*

II. Si Divo Cypriano fides, hæc est Idololatriæ origo: Reges olim fuerunt, qui ob regalem memoriam coli apud suos postmodum etiam in morte cœperunt. Inde illis instituta templa, inde ad defunctorum vultus per imaginem detinendos expressa simulacra; & immolabant hostias, & dies festos dando, honore celebrabant. Inde posteris facta sunt sacra, quæ primis fuerant assumpta solatia.

Origo Idololatriæ. *Tract. de vanit. Idolor. p. 8.*

III. Ast adorare hasce Divinitates, vah summam & incredibilem vanitatem! Cur vero, inquit Sanctus Doctor, deos putas pro Romanis posse, quos videas nihil pro suis adversus eorum arma valuisse? Romanorum enim vernaculos deos novimus. Est Romulus pejerante Proculo deus factus; & Consus, quem Deum fraudis, velut consiliorum deum coli Romulus voluit, postquam in raptum Sabinarum perfidia provenit. *Hi dei Romani*: portenta, non numina: quæ utique si quid potestatis habuissent, sua ac suorum regna servassent.

Vanitas cultus Idolorum. *Pag. 9.*

IV. Neque objicias Romani Imperii felicitatem; quoniam imperium ante tenuerunt & Assyrii, & Medi, & Persæ, & Græcos, & Ægyptios regnasse cognovimus. Cæterum si ad Romanorum originem redeas, erubescas. Populus de sceleratis & nocentibus congregatur, & asylo constituto facit numerum impunitas criminum. Nunc ut Rex ipse principatum habeat ad crimina, fit Romulus parricida. Rapiunt, feroсiunt, fallunt ad copiam civitatis augendam. Nuptiæ sunt illis rupta hospitii fœdera, & cum soceris bella crudelia. Non ergo de religionibus sanctis, nec de auspiciis aut auguriis Romana regna creverunt. Cæterum & Regulus auspicia servavit, & captus est & victus; & Mancinus religionem tenuit, & sub jugum missus est. C. Cæsar ne ante brumam in Africam navigia transmitteret auguriis & auspiciis renitentibus sprevit, *Et eo facilius navigavit & vicit*. Hoc pacto Idolorum vanitatem ostendit S. Cyprianus, ut eorum adoratores, ad veri Dei cultum perducat. *pag. 10.*

V. Quod si quæ attulimus modo gravissima momenta vel parum vel nihil movent quosdam christianos; considerent ipsi, quæ comminatio Dei sit in Scripturis adversus eos qui idolis sacrificant. In Exodo legimus: Sacrificans diis eradicabitur. (a) In Isaia: Adoraverunt eos quos fecerunt digiti eorum, & non laxabo illis. (b) In Jeremia: Nolite ambulare per deos alienos, ne incitetis me in operibus manuum vestrarum ad disperdendos vos. (c) In Apocalypsi: Si quis adorat bestiam, bibet & ipse de vino iræ Dei mixto in poculo iræ ejus, & punietur igne & sulphure, & fumus de tormentis eorum in sæcula sæculorum ascendet, nec habebunt requiem die ac nocte. (d)

Pœnæ Idololatriæ. *Exhort. ad Martyr. cap. 3. pag. 120. & 121.*

VI. Idololatriæ sic indignatur Deus, ut præcipiat etiam eos interfici, qui sacrificare & servire idolis suaserint. Cujus rei exemplum habemus in Deuteronomio cap. 13. Quod si ante adventum Christi circa Deum colendum & idola spernenda hæc præcepta servata sunt; quanto magis post adventum Christi circa Deum colendum servanda sunt, quando ille veniens non verbis tantum nos hortatus sit, sed & factis: & cum ille passus sit pro alienis peccatis, multo magis pro peccatis suis pati unusquisque debet. Redempti & vivificati Christi sanguine, nihil Christo præponere debemus. Erepti de faucibus diaboli, & de laqueis sæculi non debemus denuo ad sæculum reverti, ne perdamus quod evaserimus. Insistere debemus & perseverare in fide & virtute & cœlestis & spiritalis gratiæ consummatione, ut ad palmam & coronam possimus pervenire. Recordari debemus semper, idola nihil aliud esse, quam opera manuum hominum, quæ neminem servare valent. *Neque enim (idola) .... protegere & servare quemquam possunt, quæ ipsa de templis suis pereunt, nisi ab homine serventur*.

Monitum Christianis adversus Idololatriam. *cap. 5. pag. 121. Cap. 6. pag. 121. & 122. Cap. 7. pag. 122. Cap. 8. pag. 123.*

VII. Apostasia adeo enorme crimen est, ut S. Cyprianus nonnisi summo dolore de hac verba faciat; aitque, lacrymis magis quam verbis opus esse ad dolorem suum exprimendum. „ Doleo, fratres, doleo vobiscum, inquit ille in suo Tractatu de Lapsis .... „ Cum singulis pectus meum copulo, mœroris & funeris pondera luctuosa participo. Cum plangentibus „ plango, cum deflentibus defleo, cum jacentibus jacere me credo .... Nonne quando ad Capitolium sponte ventum est, quando ultro *ad obsequium diri facinoris accessum est*, labavit gressus, caligavit aspectus, tremuerunt viscera, brachia conciderunt? Nonne sensus obstupuit, lingua hæsit, sermo defecit? „ *Stare illic potuit Dei servus, & loqui, & renuntiare Christo, qui jam diabolo renuntiaverat & sæculo?*

Quid sentiret S. Cyprianus de Apostasia. *Tract. de Lapsis. pag. 88. pag. 89.*

VIII. Divus Cyprianus appellat crimen hoc gravissimum & extremum, *gravissimi extremique delicti*; ejusque vulnera, morientium vulnera, & lethalem plagam, *Morientium vulnera, & plaga lethalis*. Qui hac plaga sauciati sunt, in terram dejecti sunt, infirmi sunt, impii, sacrilegi; eorumque quidam plectuntur etiam in hac vita, ut exemplo esse potest ille, qui cum sponte Capitolium negaturus ascendisset, postquam Christum negavit, referente Divo Cypriano, obmutuit: & quædam mulier in balneis constituta, illic ab immundo spiritu immunda correpta, laniavit dentibus linguam, qua fuerat vel pasta impie, vel locuta; nec diu superesse postmodum potuit; nam doloribus ventris & viscerum cruciata defecit. Quam multi, subjungit Sanctus Doctor, quotidie pœnitentiam non agentes, nec delicti sui conscientiam confitentes, immundis spiritibus adimplentur; quam multi usque ad insaniam mentis excordes dementiæ furore quatiuntur? *Cum .... tam delictorum pœna sit varia, quam delinquentium multitudo numerosa*.

pag. 91. P. 93. & 94. pag. 95.

IX. Contendebant Libellatici se non esse apostatas, quia nefandis sacrificiis manus non contaminaverunt. Verum S. Cyprianus *Et illa professio*, inquit, *denegantis, contestatio est Christiani, quod fuerat abnuentis*: hanc-

Libellatici Apostatæ. *p. 95.*

(a) Cap. 22. vers. 20.
(b) Cap. 2. vers. 9.
(c) Cap. 25. vers. 6.
(d) Cap. 14. vers. 9. 10. 11.

III. SECULUM.

hancque protinus Sanctus Doctor rationem affert: fecisse se dixit quidquid alius faciendo commisit: in quo quidem casu vere erant Libellatici. Crimen Libellatici hominum oculis non tam grave videri potest, quam crimen Apostatæ; at num Deum judicem fugere & vitare poterit, qui scrutatur corda, & pectora, & judicaturus est non tantum de factis, sed & de verbis & de cogitationibus nostris? Christus in præceptis suis dicit: Qui confusus me fuerit, confundet eum filius hominis. (*a*) *Et Christianum se putas, qui Christianus esse confunditur aut veretur?* Minus plane peccaverit non videndo idola, nec sub oculis circumstantis atque insultantis populi sanctitatem fidei profanando, non polluendo manus suas funestis sacrificiis, nec sceleratis cibis ora maculando. *Hoc eo proficit, ut sit minor culpa, non ut innocens conscientia.* Pag. 95. & 96.

CAPUT DECIMUM.

DE INVIDIA, ET DE QUIBUSDAM ALIIS PECCATIS.

Invidia est periculosissima animi affectio. Tractat. de zelo & livore. Pag. 153.

I. *Nihil magis christiano cavendum*, juxta doctrinam S. Cypriani, *nihil cautius providendum, quam ne quis invidia & livore capiatur; ne .... gladio suo nesciens ipse perimatur*. Hinc diabolus inter initia statim mundi & periit primus, & perdidit. Ille angelica majestate subnixus, ille Deo acceptus & charus, postquam hominem ad imaginem Dei factum conspexit, in zelum malivolo livore prorupit, *Non prius alterum dejiciens instinctu zeli, quam ipse dejectus; captivus, antequam capiens; perdicus, antequam perdens; dum stimulante livore homini gratiam datæ immortalitatis eripit, ipse quoque, id quod prius fuerat, amisit*. Hæc igitur est origo, hic est primus invidiæ effectus, perditio videlicet angeli & hominis.

II. Hinc novæ fraternitatis prima odia, hinc parricidia nefanda cœperunt, dum Abel justum Cain zelat injustus, dum malus invidia & livore persequitur. *Tantum valuit ad consummationem facinoris, æmulationis furor, ut nec charitas fratris, nec sceleris immanitas, nec timor Dei, nec pœna delicti cogitaretur*. Et quod Esau fratri suo Jacob inimicus extitit, zelus fuit. Et quod Joseph fratres sui vendiderunt, causa vendendi de æmulatione descendit. Saul quoque Rex ut David odisset mitem, quid aliud quam zeli stimulus provocavit? Tandem Judæi nonne inde perierunt dum Christo malunt invidere quam credere? Obtrectantes magnalibus quæ ille faciebat, zelo excæcante decepti sunt, nec ad divina noscenda cordis oculos aperire potuerunt. — Effectus Invidiæ, Pag. 154.

III. Hortatur nos S. Cyprianus, ut ex allatis exemplis aliquid salutaris profectus sumamus, ut aliorum mors proficiat ad nostram salutem, & imprudentium pœna providentibus conferat sanitatem. Deinde quantum late pateat hoc vitium ostendere aggreditur Sanctus Doctor, aitque: *Late patet zeli multiplex & fæcunda pernicies. Radix est malorum omnium, fons cladium, seminarium delictorum, materia culparum*. Inde odium surgit, animositas inde procedit. Avaritiam zelus inflammat; ambitionem zelus excitat. Inflat superbia, exacerbat sævitia, perfidia prævaricatur, impatientia concutit, furit discordia, ira fervescit; nec se jam potest cohibere vel regere, qui factus est potestatis alienæ. *Hinc dominicæ pacis vinculum rumpitur: hinc charitas fraterna violatur; hinc adulteratur veritas, unitas scinditur*. — Extensio hujus criminis. Ibid.

IV. „ Qualis vero est animæ lues, inquit S. Cyprianus, quæ cogitationum tabes, pectoris quanta rubigo, „ zelare in altero vel virtutem ejus vel felicitatem, „ idest, odisse in eo vel merita propria, vel beneficia divina, in malum proprium bona aliena convertere, illustrium prosperitate torqueri, aliorum gloriam facere suam pœnam, & velut quosdam pectori suo admovere carnifices, cogitationibus & sensibus suis adhibere tortores, qui se intestinis cruciatibus lacerent, qui cordis secreta malivolentiæ ungulis pulsent. Non cibus talibus, non potus potest esse jucundus. Suspiratur semper, & ingemiscitur, „ & doletur; dumque ab invidis nunquam livor exponitur; diebus ac noctibus pectus obsessum sine intermissione laniatur. Mala cætera habent terminum; & quodcumque delinquitur, delicti consummatione finitur. In adultero cessat facinus perpetrato stupro, in latrone conquiescit scelus homicidio admisso, & prædoni rapacitatem statuit præda possessa, & falsario modum ponit impleta fallacia. „ *Zelus terminum non habet, permanens jugiter malum, & sine fine peccatum: quantoque ille cui invidetur successu meliore profecerit; tanto invidus in majus incendium .... inardescit*. Hinc vultus minax, torvus aspectus, pallor in facie, in labiis tremor, stridor in dentibus, verba rabida, effrænata convicia, manus ad cædis violentiam prompta. „ — Ibid.

V. Quicunque est invidus & malignus, nullius magis quam suæ salutis inimicus est. *Quisquis ille est quem zelo persequeris, subterfugere*, inquit S. Cyprianus, *& vitare te poterit, tu te non potes fugere: ubicumque fueris, adversarius tuus tecum est. Hostis semper in pectore tuo est, pernicies intus inclusa est; ineluctabili catenarum nexu ligatus & vinctus es; zelo dominante captivus es, nec solatia tibi ulla subveniunt*. — Invidus sibi magis nocet, quam aliis. Pag. 155.

VI. Zelus opponitur dilectioni proximi, quam Christus Dominus admodum commendat. Charitas non æmulatur; adeoque cum zelo consistere nequit. Qui zelat, odit fratrem suum; & qui odit fratrem suum, homicida est. Hinc jure meritoque nullum non movet lapidem S. Cyprianus ut ab hoc vitio nos retrahat; & quædam præscribit remedia ne ipsius venenata contagia nos attingant. Nos hortatur inter cætera ad Sacrarum Scripturarum lectionem, ad bona opera, ad orationem, ad divinarum ac justarum rerum cogitationem. Hortatur insuper, ut iis rebus vulnera nostra curemus, quibus vulnerati fueramus. „ Ama eos, inquit ille, quos ante oderas; dilige illos, quibus injustis obtrectationibus invidebas. Bonos imitare, si sectari potes: si autem eos sectari non potes, collætare certe & congratulare melioribus. Fac te illis adunata dilectione participem; fac te consortio charitatis & fraternitatis vinculo cohærentem „ ... *Paradisum cogita, quo Cain non redit, qui zelo fratrem peremit. Cogita cæleste regnum, ad quod non nisi concordes atque unanimes Dominus admittit*. Hæc sunt notabiliora, quæ deprehenduntur in Divi Cypriani Tractatu de Zelo & Livore. — Ibid. — Remedia Invidiæ. Pag. 157.

VII. Pauca nunc dicenda supersunt de quibusdam aliis peccatis: verum antequam de his verba faciamus, animadvertat Lector, tres peccatorum classes a Divo Cypriano distingui. Alia quidem sunt peccata contra Deum, qualia sunt Idololatria, & Apostasia a fide. Alia non adeo graviora, uti sunt adulterium, homicidium. Alia tandem leviora appellat Sanctus Doctor, pro quibus nulla peragebatur publica & canonica pœnitentia, quemadmodum reipsa peragebatur pro cæteris; sed solummodo levis quædam pœnitentia pro determinato temporis spatio. Verum inter tertii hujus generis peccata, quædam mortalia haberi quandoque poterant, ad quæ licet canonica pœnitentia non pertingeret, severe tamen plectebantur, eorumque reconciliatio non ita de facili poterat obtineri. Hujusce rei exemplum habemus luculentissimum in epistola ad Pomponium, de virginibus, quæ postquam ab Ecclesia prohibitæ fuerant, in eodem lecto cum viris mansisse fuerant detectæ. Quæ quidem observatio Domini Lomberti est, Operum Divi Cypriani interpretis. — Tres criminum classes, juxta Divum Cyprianum. — Pag. 671.

VII. Quoad mendacium docet Sanctus Episcopus, mendaces esse filios diaboli; quod sane videre est in ejus Epistola ad Cornelium de Fortunato & Felicissimo. Alio vero loco ut ostendat, non mentiendum, profert hoc Proverbiorum oraculum: Abominatio est Domino labia mendacia. (*b*) Docet insuper, a maledictis & conviciis abstinere se Christianos debere, quia neque maledici regnum Dei consequuntur. Quoad calumniam, hanc respuendam asserit, neque facile promovenda & incaute ac temere publicanda, quæ discordioso stylo scripta audientibus scandalum moveant. Tandem quoad homicidium apertissime ait, Christianis non licere occidere, sed potius necesse esse illos occidi. — De Mendacio. Epist. 59. Lib. 4. Testimon. cap. 114. De Conviciis. Epist. 13. Epist. 59. De Calumnia. Epist. 45. De Homicidio. Epist. 58.

IX. Huic Sectioni finem imponam ea exscribendo, quæ de profanis spectaculis habet S. Cyprianus. Ait itaque, in spectaculis Gladiatorum hominem occidi in hominis voluptatem, & ut quis possit occidere, peritiam esse, usum esse, artem esse. Quid est, pergit loqui Sanctus Doctor, quale est ubi se feris objiciunt quos nemo damnavit, ætate integra, honesta satis forma, veste pretiosa. Viventes in ultroneum funus ornantur, malis suis miseri gloriantur. Spectant Filios suos patres, mater interest; *& in tam impiis spectaculis, tamque diris & funestis, esse se non putant oculis parricidas*. — Adversus pugnas Gladiatorum. Tract. ad Donatum. pag. 4. — Adversus pugnas belluarii. Ibid.

X. Loquitur insuper de quibusdam aliis spectaculis quæ periculi & ipsa plena sunt; de Tragœdiis videlicet ac de Comœdiis, quæ etiamnum hodie inter Christianos tolerantur. „ Cothurnus est tragicus, inquit ille, prisca facinora carmine recensere. De parricidiis — Adversus Tragœdias. Pag. 4.

(*a*) Luc. cap. 8. vers. 38.

(*b*) Cap. 12. vers. 22.

III. SÆCULUM.

„ cidiis & incestis horror antiquus ad imaginem veritatis actione replicatur, ne sæculis transeuntibus „ exolescat quod aliquando commissum est. Admonetur ætas omnis, auditur fieri posse quod factum „ est. Nunquam ævi senio delicta moriuntur, nunquam temporibus crimen obruitur, nunquam scelus „ oblivione sepelitur „.

Adversus Comœdias. Ibid.

XI. Quoad Comœdias vero, delectat in Mimis turpitudinum magisterio vel quid domi gesserit recognoscere, vel quid gerere possit audire. Quæ pudica fortasse ad spectaculum matrona processerat, de spectaculo revertitur impudica. Adhuc deinde morum quanta labes, quæ probrorum fomenta, quæ alimenta vitiorum, histrionicis gestibus inquinari! *Evirantur mares, honor omnis & vigor sexus, enervati corporis dedecore mollitur*. In laudem crescit ex crimine, eo peritior quo turpior judicatur. Comœdia movet sensus, mulcet affectus, expugnat boni pectoris conscientiam fortiorem.

XII. Nec ad hujus artis excusationem, penuriam & necessitatem paupertatis obtendere possunt histriones; hanc quippe excusationem uti ineptam ac frivolam exsufflat S. Cyprianus. Vide hac de re ejus epistolam

Epist. 2.

ad Euchratium, qui consilium a Sancto Doctore petierat circa quemdam histrionem, qui Christianus cum esset, in ejusdem adhuc artis suæ dedecore perseverabat. Puto ego, inquit Sanctus Episcopus, nec majestati divinæ, nec evangelicæ disciplinæ congruere, ut pudor & honor Ecclesiæ tam turpi & infami contagione fœdetur. Quod si penuriam talis, & necessitatem paupertatis obtendit, potest inter cæteros qui alimentis Ecclesiæ sustentantur hujus quoque necessitas adjuvari, si tamen contentus sit frugalioribus sed innocentibus cibis. Et hæc quidem sunt notabiliora quæ habet S. Cyprianus quoad Morum Doctrinam.

SECTIO III.

PUNCTA DISCIPLINÆ.

Quid sentiret Sanctus Cyprianus de Disciplina in genere. Tract. de Habit. Virginum post initium. Epist. 30. pag. 209.

IN *Scripturis Sanctis frequenter & ubique Disciplina præcipitur*, inquit S. Cyprianus in suo Tractatu de Habitu Virginum, *& fundamentum omne Religionis ac fidei de observatione ac timore proficiscitur*. Facili negotio dignoscitur, nihil tam necessarium esse præcipue in bello persecutionis, quam debitam severitatem divini vigoris tenere; quam qui remiserit, inquit Romanus Clerus ad S. Cyprianum scribens, instabili rerum cursu erret semper necesse est, & huc atque illuc variis & incertis negotiorum tempestatibus dissipetur, & quasi extorto de manibus consiliorum gubernaculo, navim ecclesiasticæ salutis illidat in scopulos; ut appareat, non aliter saluti ecclesiasticæ consuli posse, nisi si qui & contra ipsam faciunt, quasi quidam adversi fluctus repellantur, & disciplinæ ipsius semper custodita ratio quasi salutare aliquod gubernaculum in tempestate servetur. Oporteret insuper, Ecclesiæ disciplinam uniformem esse, quantum fieri potest, in præcipuis rebus, sicuti in pœnitentia: quod sane monitum suo Clero præbet S. Cyprianus epistola sua trigesima quarta. Mandat insuper, hanc consilio omnium

Epist. 34. pag. 217.

Episcoporum esse præscribendam, ut ex quibusdam aliis suis Epistolis colligitur. Hæc habet Sanctus Cyprianus de Disciplina in genere. Videamus modo quæ de Disciplina in particulari in ejus scriptis deprehenduntur.

CAPUT PRIMUM.

DISCIPLINA QUOAD BAPTISMUM.

Benedictio aquæ, quæ ad Baptismum inservire debet. Epist. 70. pag. 300.

I. PRimum quod observatione dignum occurrit in vetusto hoc Patre quoad Baptismum, est, quod suo ævo aquam Baptismi benedictione donabat Episcopus. *Oportet ergo*, inquit Divus Cyprianus epistola 70. quæ est ad Januarium, & cæteros Episcopos Numidas, *mundari & sanctificari aquam prius a Sacerdote, ut possit baptismo suo peccata hominis, qui baptizatur abluere*. Quam Disciplinam confirmat ille, hoc Ezechielis Oraculo: Effundam super vos aquam mundam, & emundabimini ab omnibus inquinamentis vestris, & ab omnibus idolis vestris mundabo vos. (a)

Exorcismi in Baptismo. Concil. Carthag.

II. Baptismi cæremoniam præcedebant exorcismi, prout tradunt Patres celeberrimi Concilii Carthaginiensis, cujus veluti anima Divus Cyprianus erat & habebatur. Lege quæ tradunt Cæcilius de Bilta pagina 158. Editionis Oxoniensis, Crescentius de Lirte pag. 160. & Lucius de Thebeste, qui omnes de hac praxi testantur. Mos erat pariter exorcismos instituere super eos, qui obsessi erant a dæmoniis, qui adjurati in nomine veri Dei, cedere cogebantur, & de illis corporibus exire. *Hi tamen adjurati per Deum verum a nobis*, inquit S. Cyprianus in suo Tractatu de Vanitate Idolorum, *statim cedunt, & de obsessis corporibus exire coguntur. Videns illos*, subjungit Sanctus Doctor, *nostra voce & operatione majestatis occulta, flagris cædi, igne torreri; incremento pœnæ propagantis extendi, ejulare, gemere, deprecari; unde veniant, & quando discedunt, ipsis etiam qui se colunt audientibus, confiteri*; & vel exiliunt statim, vel evanescunt gradatim, prout fides patientis adjuvat, aut gratia curantis aspirat. Habebantur igitur duplicis generis exorcismi; hi quidem super eos, qui præparabantur Baptismo; illi vero super energumenos. Primi in Ecclesia peragebantur coram fidelibus; reliqui ibidem communiter non peragebantur, quia, ut vidimus, Ethnici ipsi quandoque aderant. Exorcistæ itaque, quoniam sic opus erat, ad illos migrabant, qui eorum indigebant ministerio.

III. SÆCULUM. inter Opera D. Cypriani. Exorcismi super obsessos. Tract. de Vanit. Idolor. p. 10.

Signum Crucis in fronte eorum qui abluuntur. Tract. de Lapsis. Pag. 87.

III. Signum Crucis in fronte eorum qui tingebantur, erat alia cæremonia adhibita in collatione Baptismi. De hac praxi testimonium perhibet luculentissimum Sanctus Cyprianus 1°. in suo Tractatu de Lapsis: ibi siquidem de illis verba faciens, qui in persecutione Confessores extiterant, ait, frontes Crucis signo consecratas, *Frons cum signo Dei*, diaboli coronam ferre non potuisse, & coronæ Domini se reservasse. 2°. in Tractatu de Unitate Ecclesiæ disserens de Osia, qui lepræ varietate in fronte maculatus est, tradit, hanc esse eam corporis partem, ubi signantur qui baptismi aqua abluuntur: *Ubi signantur qui Dominum promerentur*. 3°. in Tractatu adversus Demetrianum apertissime cum Ezechiele (b) asserit, quod ii soli salvi erunt, *qui renati, & signo Christi signati fuerint*.

Tract. de Unitate Ecclesiæ. pag. 84.

Tract. advers. Demetrian. Pag. 134.

IV. Observavimus jam superius ex nonnullis Patribus, præcipue vero ex Tertulliano, signum Crucis apud veteres fideles frequentissimo in usu fuisse. Noster Divi Cypriani Editor idipsum fatetur & tradit in quadam nota in unum ex supra recitatis Sancti Doctoris testimonium. *Non tantum*, inquit ille, *inter Baptismi solemnia, frontibus Crucis signum imprimebant Christiani; sed ad omnem progressum, atque promotum; ad omnem aditum & exitum, ad vestitum & calceatum, ad lavacra, ad mensas, ad limina, ad cubilia, ad sedilia, quacumque illos conversatio exercet, frontem Crucis signaculo terebant*. Verum subdit Episcopus iste, qui inter Protestantes haud ultimum locum habet, quod nondum cultus religiosus præstabatur Cruci: *Interim cultus religiosus aberat*: hancque falsitatem ut comprobet, quemdam profert textum Minutii Felicis, in quo Octavius observat, & asserit, Christianos nequaquam adorare Crucem: *Cruces nec colimus*. Quem sane textum suo loco protuli & explicavi, ibique Lectorem remitto. Unum solummodo hic addam, usum videlicet alicujus rei in quocumque Religionis actu, signum esse, quo magis non datur aliud, religiosi cultus erga rem eamdem. Ast Oxoniensis Episcopus, Tertulliani auctoritate coactus, fatetur, Christianos primis Ecclesiæ sæculis id peregisse: Catholici ergo in cultu quem præstant Cruci, beatorum illorum temporum praxim hodie sequuntur.

Editoris Nota hac super re refellitur. Pag. 84.

Sal in ore eorum qui baptizantur. Concil. Carth. pag. 160.

V. Cæremoniarum Baptismi una pariter est, quod sal ponitur in ore, aut super lingua illius qui baptizatur; dumque id peragit Minister, hæc profert verba: *Accipe salem sapientiæ* &c. Ego autem reor, hanc praxim designari in celeberrimo Concilio Carthaginiensi, de quo satis superque verba feci; in eo siquidem Lucius de Castrogalba ut probet, Schismaticos legitime non baptizare, eos ait non posse dare salem sapientiæ spiritalis: *Schismaticos non posse condire sapientia spiritali; cum ipsi ab Ecclesia recedentes infatuati .... facti sint*. Quibus sane verbis respexisse videtur tum cæremoniam, de qua sermo est, tum hæc verba: *Accipe salem sapientiæ*.

Interrogationes in Baptismo. Epist. 69. pag. 296.

VI. A Neophitis, priusquam in aqua immergerentur, inquirebatur inter cætera, num crederent vitam æternam & remissionem peccatorum per sanctam Ecclesiam. Ipse Divus Cyprianus luculentissimum de hac re testimonium perhibet epistola 69. energicam præfatæ interrogationis vim adhibens, ut ostendat, interrogationem hanc non posse ab illis fieri, qui ab Ecclesiæ communione sunt separati. *Nam cum dicunt*, (Sancti Cypriani ipsissima verba sunt, qui de Hæreticis & Schismaticis loquitur) *credis remissionem peccatorum & vitam*

(a) Ezechiel. cap. 36. vers. 25.

(b) Ezechiel. cap. 9. vers. 6.

III. SAECULUM.

Epist. 70. pag. 300.

vitam aeternam per sanctam Ecclesiam? mentiuntur in interrogatione, quando non habeant Ecclesiam. Hujus ejusdem consuetudinis alibi meminit hisce verbis: „ Ipsa „ interrogatio quae fit in Baptismo testis est hujus „ veritatis; (quod sola Ecclesia remittit peccata) „ nam cum dicimus: credis in vitam aeternam, & remissionem peccatorum per sanctam Ecclesiam? intelligimus remissionem peccatorum nonnisi in Ecclesia dari; apud haereticos autem, ubi Ecclesia non „ sit, non posse peccata dimitti.

Abrenuntiatio Saeculo, ejusque deliciis ac pompis. *Tract. de Habit. Virgin. p. 69. Epist. 13. pag. 190.*

VII. Illud pariter exigebatur a Neophitis, ut abrenuntiarent diabolo, mundo, ejusque deliciis ac pompis. Probatur id luculentissime auctoritate Divi Cypriani, qui in Tractatu de Habitu Virginum, divitias mundi tam contemnendas esse inquit, quam mundus ipse contemnitur, *cujus pompis & deliciis jam tunc renuntiavimus. Saeculo*, inquit alio loco, *renunciaveramus, cum baptizati sumus.* Et in Tractatu de Lapsis, quosdam Christianos tam perversos adinventos fuisse admiratur, qui ausi sint renuntiare Jesu Christo, qui jam diabolo & saeculo renuntiaverant, *Stare*, inquit Sanctus Doctor, *illic potuit Dei servus .... & renuntiare Christo, qui jam diabolo renuntiaverat & saeculo?*

Baptismus collatus per immersioné. *Epist. 69. pag. 297.*

VIII. In more positum erat primis Ecclesiae saeculis, ut in aqua ii immergerentur, qui baptizabantur, quemadmodum eruitur ex Epistola 69. Divi Cypriani, quae est ad Magnum. Nullibi autem in vetustissimo hoc Patre mentio occurrit trium immersionum, & si certo certius sit, has in usu fuisse, & ante & post illius tempora. Habemus hac super re indubiae fidei testimonia S. Clementem Alexandrinum, (a) & Tertullianum. (b) Quinquagesimus Canon Apostolicus mandat deinceps depositionem Episcopi, aut Presbyteri, qui una adhibita immersione baptisma contulerit. (c) Et in primo Concilio Constantinopolitano damnantur Eunomiani, qui una immersione utebantur. Nunc temporis vero Baptisma confertur infusione.

Baptismus collatus per infusionem, aut aspersionem. *Epist. 69. pag. 297.*

IX. Hoc modo alias baptizabantur aegroti, quos quidam ideo appellabant Clinicos; absque eo quod vel levissimum oriretur dubium de validitate Baptismi tali pacto collati. Divus Cyprianus de hoc articulo a Magno consultus, respondet, eos, qui sic baptizantur, Dei gratiam recipere, non secus ac qui in aqua immersi sunt. Deinde prolatis nonnullis Scripturarum oraculis, in quibus sermo est de infusione & aspersione aquae concludit, aspersionem aquae instar salutaris lavacri obtinere: *Unde apparet, aspersionem quoque aquae instar salutaris lavacri obtinere.* Cujus rei paucis interjectis hanc profert rationem, quod scilicet iterum non baptizabantur qui ita fuerant baptizati; iterandum siquidem fuisset baptisma, si dubium aliquod ortum fuisset de illius baptismi validitate. Improbat etiam quod Clinicorum nomine appellentur, ac mandat, illos uti veros christianos considerandos esse, sicuti & caeteros, & in nulla re a caeteris fidelibus censendos esse diversos. Fatemur nihilominus, Romae a Clericatu eos rejectos fuisse, qui baptizati fuerant per infusionem vel per aspersionem; hoc siquidem est unum ex vitiis Ordinationis Novatiani, quod Cornelius Papa adducit in sua epistola ad Fabium Episcopum Antiochenum. (d) Concilium pariter Neocesareense (e) a Presbyteratu excludit, Clinicos, eo quia juxta mentem hujus Concilii eorum fides non esset voluntaria, sed a mortis metu proficisceretur. Caeterum observandum est, Baptisma per infusionem aut per aspersionem in solo casu necessitatis fuisse collatum.

Unctiones Baptismi. *Epist. 70. pag. 301.*

X. Post immersionem baptizatus ungebatur. *Ungi quoque necesse est eum*, inquit Sanctus Episcopus, *qui baptizatus sit: ut accepto chrismate, id est unctione, esse unctus Dei, & habere in se gratiam Christi possit.*

Consecratio sancti Chrismatis. *Ibid.*

Consecratio hujus Chrismatis peragebatur super altare per gratiarum actiones: *Porro autem Eucharistia est unde baptizati unguntur, oleum in altari sanctificatum.* Prima hujusce postremi textus verba nonnihil implicata videntur. Sentiunt quidam, vocabulum hoc *Eucharistia* sumendum esse in proprio suo sensu, videlicet pro Sacramento Altaris; alii vero tuentur, gratiarum actionem tantummodo illa voce significari. Verum haec difficultas levissima est; hinc in ea illustranda, ac enodanda nec studium meum, nec operam ullam pono; id enim notabilem importaret discussionem, & inter propositae brevitatis limites haudquaquam contineretur.

Osculum recens baptizatis datum. *Epist. 64. pag. 281.*

XI. Habemus ex epistola Divi Cypriani ad Fidum, Baptismi ministrum consuevisse dare osculum recens baptizato. Contendebat Fidus, quod cum vestigium infantis in primis partus sui diebus constituti mundum non esset, horrere debebat unusquisque eum exosculari, adeoque quod gratia baptismalis eidem conferri non poterat. Verum, respondet Sanctus Episcopus, nec aliquis nostrum id debet horrere, quod Deus dignatus est facere; *quando in osculo infantis unusquisque nostrum pro sua religione ipsas adhuc recentes Dei manus debet cogitare &c.*

Confirmatio immediate post Baptisma collata. *Epist. 73. pag. 308.*

XII. Plerumque Baptisma sequebatur proxime Confirmatio. Ex Divo Cypriano id probatur: ait enim, quod in Ecclesia baptizati Praepositis offerebantur, recipiebant Spiritum Sanctum, & per eorum orationem ac manus impositionem perficiebantur. *Quod nunc quoque apud nos geritur; ut qui in Ecclesia baptizantur, Praepositis Ecclesiae offerantur, & per nostram orationem ac manus impositionem Spiritum Sanctum consequantur, & signaculo dominico consummentur.* Ex aliis Ecclesiae Patribus superius jam vidimus, recens baptizatis Eucharistiam etiam, nulla habita ratione aetatis, ministrari consuevisse.

CAPUT SECUNDUM.

DISCIPLINA QUOAD EUCHARISTIAM.

Fideles in unum cum Episcopo conveniebant, ut Eucharistiam celebrarent. *Tract. de Orat. Domin. pag. 200.*

I. EX Tractatu Divi Cypriani de Oratione Dominica eruimus, fideles consuevisse in unum cum Episcopo convenire, ut divina Mysteria celebrarent; *Et quando*, inquit ille, *in unum cum fratribus convenimus, & sacrificia divina cum Dei Sacerdote celebramus.* Hujusce Conventus locus appellabatur *Dominicum*, ut ex eodem Divo Cypriano erui posse videtur, qui in Tractatu de Opere & eleemosyna Mulieres divites sic alloquitur: *Locuples & dives es; & Dominicum celebrare te credis, quae corbonam omnino non respicis; quae in Dominicum sine sacrificio venis; quae partem de sacrificio; quod pauper obtulit, sumis.*

II. In quae verba observare possumus 1°. *Dominicum* appellatum fuisse eum locum, in quo Christiani conveniebant ut sanctum Sacrificium celebrarent; tamquam si dixissent domum Dei. 2°. Hoc eodem nomine appellabatur dies, quae huic congregationi praecipue erat designata; quam diem nos hodiedum etiam Dominicam vocamus. Etsi enim in unum convenirent fideles aliis etiam diebus, & Liturgiam celebrarent in Martyrum solemnitatibus, uti supra vidimus, videbimusque in sequentibus; tamen sola dominica dies, hoc nomine *Dominicus* appellabatur. 3°. In more positum erat, ut Christiani qui ad laudatum conventum procedebant, aliquid secum deferrent, quo sacrificium posset offerri. Hujusmodi oblationes diversae erant pro locorum diversitate. Opinamur nos, Divi Cypriani aetate in Ecclesia Africana argentum fuisse oblatum. 4°. Qualibet Ecclesia habebat corbonam, videlicet quamdam arcam, in qua fideles oblationes suas reponebant; quae oblationes non insumebantur in solas celebrandi Sacrificii expensas: in tres siquidem partes dividebantur; quarum prima ad expensas Sacrificii inserviebat; secunda ad sustentationem Ministrorum; tertia vero in pauperes tribuebatur. Quas quidem oblationes non modicas, sed valde notabiles fuisse necessario concludendum est, si consideremus harum trium partium primam, ne de duabus postremis loquamur, insumptam fuisse in pane, vino, oleo, & sacris vasis coemendis, quorum sane vasorum ingens erat numerus, uti videre est in Historia Ecclesiastica, quae illa non uno in loco recenset.

Tempus celebrandi sancti Sacrificii. *Epist. 63. pag. 278.*

III. Divi Cypriani aetate Eucharistia celebrabatur tum matutino, tum vespertino tempore. Probatur id epistola sexagesimatertia hujusce Sancti Doctoris; in ea siquidem contra eos disserens, qui nolebant vinum in calice infundere in sacrificiis matutinis, ne fideles post communionem vinum redolentes ab Ethnicis dignoscerentur; haec habet: *An illa sibi aliquis contemplatione blanditur, quod etsi mane aqua sola offerri videtur, tamen cum ad coenandum venimus, mixtum calicem offerimus? ....* Nihilominus ea est S. Cypriani mens, quod matutino potius, quam vespertino tempore Sacrificium celebretur. Ad illud vero quod aliqui objiciebant, Dominum scilicet non mane, sed post coenam mixtum calicem obtulisse; haec reponit Sanctus Episcopus: Christum offerre oportebat circa vesperam diei, ut hora ipsa Sacrificii ostenderet occasum & vesperam Mundi: „ Nos autem Resurrectionem Domini mane celebramus. „

IV. Quotidie Sanctum offerebatur Sacrificium. *Qui Sacri-*

(a) Stromat. lib. 5. pag. 690.
(b) Tract. advers. Praxeam.
(c) Can. Apostol. cap. 26.
(d) Histor. Ecclesiast. Eusebii, lib. 6. cap. 43.
(e) Can. 12.

III. SÆCULUM.

Sacrificia quotidie celebramus, inquit S. Cyprianus Epistola 57. quæ est ad S. Cornelium Papam. Fideles quotidie Eucharistiam sumebant, nisi gravis aliqua culpa intercessisset: *Hunc autem panem dari nobis quotidie postulamus, ne qui .... Eucharistiam quotidie ad cibum salutis accipimus, intercedente aliquo graviore delicto .... a Christi corpore separemur*. Quotidie calicem Sanguinis Christi bibebant. *Considerantes*, verba sunt ejusdem Sancti Doctoris, *idcirco se quotidie calicem sanguinis Christi bibere, ut possint & ipsi propter Christum sanguinem fundere*.

Quotidie offerebatur. Epist. 57. pag. 251. Fideles quotidie Eucharistiam sumebant. Tract. de Orat. Domin. pag. 204.

V. Etsi ex dictis, sicuti & ex innumeris aliis vetustissimis Monumentis, inferri jure possit, fideles sub bina specie Communionem sumere consuevisse; certum nihilominus est ex Divo Cypriano, fideles quandoque sub sola specie panis Eucharistia donatos fuisse. Vide ejus Tractatum de Lapsis pag. 94. Cum mulier quædam, narrat ibidem Sanctus Doctor, arcam suam, in qua Domini Sanctum fuit, manibus tentasset aperire, igne inde surgente deterrita est ne auderet attingere. Agitur sane hoc loco de muliere, quæ Eucharistiam sumere volebat, juxta praxim fidelium illius ævi, qui corpus Domini in proprias ædes deferebant, ut propriis manibus sacro illo pane vescerentur: atqui solam panis speciem secum deferre poterant: ergo solam panis speciem in privatis communionibus sumebant. Hinc nonnisi per summam injuriam nonnulli decursu temporis exprobrarunt Ecclesiæ tamquam nulla pœnitentia luendum crimen, quod in fidelium communione Calicem sustulerit. Iisdem momentis, quibus calicem sustulit primis sæculis in privatis communionibus, idipsum præstitit procedentibus sæculis in omnibus in genere communionibus. Si vini species essentialis fuisset Eucharistiæ sumptioni, quemadmodum opinabantur Hussitæ, & alii inter Sectarios; sane Ecclesia nunquam permisisset abstinentiam a calice, nec in ipsis privatis communionibus.

Epist. 58. pag. 255. Sæpe sub sola specie panis Eucharistia dabatur. Tract. de Lapsis. pag. 94.

VI. Olim Eucharistiam accipiebant fideles in manibus, ut eruitur ex epistola Divi Cypriani ad Thibaritanos, in qua hortatur Christi Confessores, ut dextera quæ Domini corpus accepit, respuat funesta sacrificia. *Armemus*, inquit, *& dexteram gladio spiritali, ut sacrificia funesta fortiter respuat .... quæ Domini corpus accepit*. Sacrilegus irascitur, inquit Sanctus Doctor alio loco, *quod non statim Domini corpus, inquinatis manibus accipiat*. Narrat ibidem, quod cum quidam maculatus, sacrificio a Sacerdote celebrato partem cum cæteris ausus esset accipere, *Sanctum Domini edere & contrectare non potuit*. Tandem in Tractatu de Bono patientiæ ait: *Nec post gustatam Eucharistiam, manus gladio & cruore maculatur*.

Accipiebant fideles in manibus Jesu Christi corpus. Epist. 58. pag. 258. Tract. de Lapsis. pag. 93. Ibid. p. 94. Tract. de Patient. pag. 194.

VII. Vidimus jam supra ex Divo Cypriano, pueris olim Eucharistiam, non secus ac adultis ministratam fuisse; id siquidem facile fuit colligere ex his quæ narrat ipse Sanctus Doctor se præsente evenisse. Parentes, ipsissima sunt S. Cypriani verba, forte fugientes, dum trepidi minus consulunt, sub nutricis alimenta parvulam filiam reliquerunt, relictam nutrix detulit ad magistratus. Illi ei panem mero mixtum, quod de immolatione pereuntium supererat, tradiderunt. Recepit filiam postmodum mater. Ignoratione igitur obreptum est, ut sacrificantibus nobis eam secum mater inferret. Sed enim puella mixta cum Sanctis precis nostræ & orationis, hoc est Missæ, impatiens, nunc ploratu concuti, nunc mentis æstu cœpit fluctuabunda jactari. Ubi vero solemnibus adimpletis calicem Diaconus offerre præsentibus cœpit, & accipientibus cæteris locum ejus advenit, faciem suam parvula instinctu divinæ majestatis avertere, os labiis obturantibus premere, calicem recusare. Perstitit tamen Diaconus, & reluctanti licet de Sacramento calicis infudit. Tunc sequitur singultus & vomitus. Hæc narrat S. Cyprianus in Tractatu de Lapsis; ex quibus probe conjicimus, & ipsis lactentibus pueris Eucharistiam sub vini specie ministratam fuisse.

Pueris sub specie etiã vini Eucharistia dabatur. Tract. de Lapsis. pag. 94.

VIII. Vidimus jam in Sectione Dogmatica, voluisse Divum Cyprianum, ut in vitæ discrimine ii reconciliarentur, qui persecutionis tempore cum lapsi essent, impositam pœnitentiam nondum absolverant. Verum etsi tanta indulgentia uteretur Sanctus Episcopus erga fideles, qui adhuc incolumes suorum delictorum pœnitentiam inceperant; tamen magno rigore utebatur erga eos, qui mortis tempore solummodo, aliqua conversionis signa dabant, postquam per propriam superbiam & obdurationem thesaurizaverant sibi pœnas ac supplicia in die judicii. Et idcirco, inquit S. Cyprianus, pœnitentiam non agentes, nec dolorem delictorum suorum toto corde & manifesta lamentationis suæ professione testantes, prohibendos omnino censuimus a spe communicationis & pacis, si in infirmitate atque in periculo cœperint deprecari; quia rogare illos non delicti pœnitentia, sed mortis urgentis admonitio compellit; *Nec dignus est in morte accipere solatium, qui se non cogitavit esse moriturum*.

Eucharistia iis denegabatur, qui solummodo appropinquante morte pœnitentiam agebant. Epist. 55. pag. 248.

IX. Dixi initio hujus Capitis, convenisse populum cum Episcopo in Ecclesia, quando offerendum erat Sacrificium Altaris: observare autem tunc omisi, & quidem contra recentiores Sectarios, qui privatas Missas damnant, privatæ Missæ exemplum reperiri in S. Cypriano, qui ad suum Clerum furente persecutione scribens, inquit: Consulite ergo & providete, *Ut Presbyteri quoque, qui illic* (in carceribus) *apud Confessores offerunt, singuli cum singulis Diaconis per vices alternent*; ne scilicet facile dignoscantur. Quæ sane verba designant Missas privatas, tum ratione loci, tum ratione eorum, qui illis præsentes aderant.

Sanctum Sacrificiũ in Carceribus offerebatur. Epist. 5. pag. 176.

X. Divi Cypriani ætate solebant Episcopi in celebratione sancti Sacrificii præmissa Præfatione parare mentes fidelium, ut sursum corda haberent ad Dominum. *Ideo Sacerdos ante Orationem*, inquit S. Cyprianus in Tractatu de Oratione Dominica, *præfatione præmissa, parat fratrum mentes dicendo, Sursum corda; ut dum respondet plebs, Habemus ad Dominum &c.* .... Falsum igitur apprime est, in primitiva Ecclesia Liturgiam Scripturarum verba solummodo comprehendisse, cum constet ex recitatis S. Cypriani verbis, preces etiam fusas esse, *ante orationem*, & præmissa præfatione ad has preces fidelium mentes parari consuevisse: quæ quidem præfatio eadem intentione præmittebatur, qua hodie apud nos præmittitur, *Ut scilicet admoneantur fideles, nihil aliud se, quam Dominum cogitare debere*.

Præfatio, & preces Missæ. Tract. de Orat. Domin. pag. 207.

XI. Observandum insuper est 1°., quod in sancto Sacrificio Deo offerebantur nomina fidelium, ut eruitur ex epistola 16. S. Cypriani, quæ est ad suum Clerum, in qua dolet, quod eorum nomina offerantur, qui in persecutione lapsi erant, offerantur inquam nondum pœnitentia acta, nondum exomologesi facta, nondum manu eis ab Episcopo & Clero imposita: *Offertur*, inquit Sanctus Doctor, *nomen eorum*. 2°. observandum est, quod parum aquæ infundebatur in calice; siquidem species vini omnem vim suam retinebant, & solo odore dignosci poterant fideles qui ad Eucharistiam accesserant; quemadmodum supra numero tertio hujusce Capitis diximus. Hæc sunt notabiliora, quæ habet Divus Cyprianus de Disciplina, quæ sua ætate vigebat in celebratione & ministratione Eucharistiæ. Nunc vero ad Disciplinam de Pœnitentia transiliamus.

In sancto Sacrificio offerebantur nomina fidelium. Epist. 16. pag. 195. Parum aquæ infundebatur in calice. Epist. 63. pag. 278.

CAPUT TERTIUM.

DISCIPLINA QUOAD POENITENTIAM.

I. Observat Sanctus Cyprianus in quibusdam suis Epistolis, Novatianos consuevisse arcere a pœnitentia canonica illos, qui furente persecutione idolis immolaverant, vel aliquod aliud gravissimum crimen patraverant. Conqueritur autem alibi de quibusdam Presbyteris, qui falsa pietate ducti pœnitentes reconciliatione donabant, antequam ea conversionis signa dedissent, quæ prudenter requirebantur. Hinc Divi Cypriani ætate ea erat Ecclesiæ mens, quæ est etiamnum hodie, medium scilicet iter arripere inter nimiam erga peccatores severitatem, & nimiam erga eosdem misericordiam: vitare nimiam Novatianorum severitatem, & nimiam quorumdam Catholicorum ignaviam & lenitatem: uno verbo, indulgentia temperare rigorem. Nemini pœnitentia denegabatur; sed nemo indignus ad reconciliationem recipiebatur. Hæc est vera Ecclesiæ Disciplina quoad Pœnitentiam.

II. Præter Idololatriam & Apostasiam a fide, alia erant crimina non adeo gravissima, quæ Canonicæ pœnitentiæ subdebantur. Testatur id luculentissime Divus Cyprianus epistola 16. & epistola 17. Editionis Oxoniensis. Imponebatur Canonica pœnitentia Hæreticis & Schismaticis quando ad Ecclesiam revertebantur. Quam pœnitentiam subire debebant Divi Cypriani ætate secretiora crimina, eorumque confessio publica erat, modo grave aliquod infortunium pro pœnitentium vita non fuisset ex ea secuturum. Vide hac de re disserentem Divum Cyprianum in Tractatu de Lapsis, in quo narrat prodigiose mulctata fuisse quædam crimina occulta, quæ confessi non fuerant peccatores, nec canonicam pœnitentiam pro iis egerant. Confitebantur pariter fideles peccata solius cogitationis, & pœnitentiam pro illis agebant, ut supra observavimus in Sectione Dogmatica.

Peccata, quæ Canonicæ pœnitentiæ subdebantur. Epist. 16. pag. 195. Epist. 17. pag. 197. Epist. 71. pag. 303. Tract. de Lapsis. pag. 94.

III. Ordo autem qui in Canonica pœnitentia in genere servabatur, hic erat. Quoddam temporis spatium pro hac pœnitentia constitutum erat, quam comitabantur Exomologeses, seu Confessiones, & examina;

Ordo pœnitentiæ Canonicæ. Epist. 16. pag. 195.

III. SAECULUM.

& per impositionem manuum Episcopi & Cleri finem habebat. Primo loco poenitens confitebatur propria crimina, ut ab eo poenitentiam reciperet, qui illam confessionem audiebat: cujus quidem confessionis indubia vestigia deprehenduntur in Tractatu de Lapsis, in eo scilicet loco, quem numero secundo hujus Capitis memoravi, in quo tradit Sanctus Doctor, consuevisse fideles confiteri vel simplicem cogitationem immolandi idolis, & pro hac poenitentiam egisse: quibus verbis perspicuum fit, ibidem sermonem esse de Confessione, quae praecedebat poenitentiam, sive satisfactionem. Hac Confessione peracta satagebat poenitens Deo satisfacere per laboriosa opera, uti in Sectione Dogmatica vidimus; & hoc peragebatur per totum illud tempus, quod ab Episcopo praescriptum fuerat; modo nulla supervenisset gravissima caussa, ob quam aliqua poenitentiae pars remitteretur: Poenitentia, seu satisfactione completa, Episcopo se iterum sistebat, qui proprium tamen etiam confitebatur ante Clerum. Illius dispositiones ad examen deinde revocabantur; quae si ejus naturae videbantur, quae reconciliationis gratiam mererentur, tunc Episcopus manus super eum una cum toto Clero imponebat, eique absolutionem impertiebatur, qua elargita, sacrorum mysteriorum particeps erat. Animadvertendum insuper est quoad impositionem manuum Episcopi, hanc locum habuisse tum initio poenitentiae, tum poenitentia jam absoluta; initio quidem, ut peccatores poenitentibus accenserentur; post peractam vero poenitentiam, ut donarentur reconciliatione. Dum Canonicae poenitentiae stadium percurrerent fideles, manus pariter iis imponebantur; sed haec impositio erat quaedam species exorcismorum. Divus Cyprianus hasce tres manuum impositiones memorat; saltem primam ac secundam; quoniam aliquando haec profert verba, *Manus imponere* ut initium poenitentiae designet, quandoque vero ut indigitet absolutionem.

Epist. 17. pag. 197.

IV. Poenitentia seu satisfactio imponebatur habita proportione cum patratis & confessis criminibus. Major erat pro iis peccatis, quae directe in Deum commissa fuerant; minor vero pro illis, quae in proximum commissa, Deum indirecte solummodo respiciebant. Hinc Idololatrae severiorem poenitentiam peragere debebant, quam Adulteri: immo aliqua erat distinctio inter peccata ejusdem naturae. Ille, exempli caussa, qui sese ultro obtulerat immolaturus idolis, majori ac rigidiori plectebatur poenitentia prae illo, qui nonnisi post diuturnam pugnam immolaverat. Major erat in eum animadversio, qui idololatriae crimine se maculaverat cum suis omnibus; minor autem in eum, qui periculo semetipsum exposuerat ut caeteros liberaret. Alii reconciliationis gratiam obtinebant post brevissimum poenitentiae tempus, puta post quatuor vel quinque annos; alii vero non donabantur absolutione nisi in mortis articulo, si excipias casum gravissimi morbi, vel persecutionis recens exortae; quemadmodum diximus in Sectione Dogmatica. Ad eos quod attinet, qui reipsa non sacrificaverant, quinque Libellatici appellabantur, quia Ethnicis Magistratibus dederant libellos, quibus fatebantur se idolis immolasse, etsi de facto non immolassent, ut publici sacrificii infamiam vitarent, horum poenitentia minor erat, & S. Cyprianus uno elapso anno reconciliationem illis concedebat, qui immediate post lapsum poenitentiam amplexi fuerant.

Poenitentia imposita, proportione servata cum delictis. Epist. 55. Pag. 245.

Epist. 55. pag. 245.

V. Episcopis, caeterisque Ecclesiae Ministris, sive idolis immolassent, sive Libellatici essent, canonica, aeque ac aliis, imponebatur poenitentia: verum a Sacerdotio, omnibusque Ecclesiasticis muneribus excludebantur, nec reconciliari poterant, nisi post plenam absolutamque poenitentiam. Vide epistolam 64. S. Cypriani, in qua conqueritur ipse de praepropera festinatione in concedenda reconciliatione Victori, quondam Presbytero, & quidem antequam plenam egisset poenitentiam, & nulla urgente necessitate. *Legimus literas tuas, frater charissime*, inquit Sanctus Doctor ad Fidum scribens, *quibus significasti de Victore, quondam Presbytero, quod ei, antequam poenitentiam plenam egisset .... temere Therapius collega noster .... & praepropera festinatione pacem dederit .... nulla infirmitate urgente, ac necessitate cogente*, subjungit idem auctor paucis interjectis. Videbimus in sequentibus saeculis, ecclesiae ministris publicam poenitentiam non amplius impositam fuisse, sed tantummodo fuisse depositos, & ad laicorum communionem redactos. Verum Divi Cypriani aetate, nemo hanc poenitentiam poterat evadere, nec ipsi Episcopi, ut videre est in epistola 67. ejusdem Sancti Doctoris; ibi siquidem narrat, quod quidam Basilides, Episcopus, cum confessus fuisset se blasphemasse in Deum, Episcopatum sponte deposuit, & ad agendam poenitentiam conversus est, satis gratulans si sibi vel laico communicare contingeret.

Episcopi, aliique Ministri Canonicae poenitentiae subjecti. Epist. 64. pag. 279.

Epist. 67. pag. 289.

III. SAECULUM.

VI. Qui idolis immolaverant, doli plenam excogitaverunt artem, qua infirmari notabiliter poterat Ecclesiastica disciplina de Poenitentia. Extorquebant a Martyribus & Confessoribus libellos, ut citius reconciliatione donarentur, & tempus poenitentiae contraheretur. Verum ut abusui, quem creare poterant hujusmodi libelli iretur obviam, mos erat, ut qui libellos obtinuerant, Episcopo se sisterent, ut examinaret tum petitiones, tum desideria eorum qui libellos dederant. Instituebatur hoc examen coram populo, ut eruitur ex epistola 17. Divi Cypriani, quae est ad suam plebem Carthaginiensem; & praefati libelli iis solummodo proficiebant, qui maximam poenitentiae partem jam impleverant: *Quorum poenitentiam satisfactioni proximam conspicitis*, inquit S. Doctor in epistola quadam ad Martyres & Confessores, in qua eos monet, ut indiscriminatim omnibus petentibus libellos concedant, sed attente considerent peractam jam poenitentiam, & singulas ponderent circumstantias.

Libelli Martyrum circa reconciliationé poenitentium. Epist. 16. Pag. 194. & Epist. 17 pag. 206 & 107. Epist. 17. Pag. 196. 10. p. 196. & 197.

VII. Moderatus adeo erat & prudens Divus Cyprianus quoad has indulgentias, ut nihil quoad eas ex seipso statuere vellet, sed tantum de consilio caeterorum Episcoporum. ,, Hoc verecundiae nostrae convenit, inquit ille in epistola 19. quae est ad suum Clerum de his qui ad pacem festinant, ut Praepositi cum Clero convenientes, praesente etiam stantium plebe .... disponere omnia consilii communis religione possimus ,,. Et in alia ad eumdem Clerum epistola inquit: ,, Legi universorum Confessorum litteras, quas voluerunt per me collegis omnibus innotescere: ,, & paucis interjectis sic prosequitur: ,, Quae res cum omnium nostrum consilium & sententiam expectet, praejudicare ego, & soli mihi rem communem vindicare non audeo ,,. Ex quibus constat, quam ideam tunc temporis haberent fideles de Disciplina quoad poenitentiam, & quantum solliciti essent, ne vel minima ejusdem pars infirmaretur. Quid enim magis aut in pace tam aptum, inquiebat Clerus Romanus ad Divum Cyprianum scribens, aut in bello persecutionis tam necessarium, quam debitam severitatem divini vigoris tenere; quam qui remiserit, instabili rerum cursu erret semper necesse est, & huc atque illuc variis & incertis negotiorum tempestatibus dissipetur, & quasi extorto de manibus consiliorum gubernaculo, navim Ecclesiasticae salutis illidat in scopulos; ut appareat, non aliter saluti ecclesiasticae consuli posse, nisi disciplinae ipsius semper custodita ratio quasi salutare aliquod gubernaculum in tempestate servetur.

Epist. 26. Pag. 205.

Epist. 30 Pag. 209.

VIII. Diximus jam in eodem hoc Capite, Canonicam poenitentiam iis impositam fuisse, qui ab Haeresi aut Schismate recedentes ad Ecclesiam revertebantur; verum minime animadvertimus, ad serium examen eorum conversionem revocatam fuisse, ut constaret num de sincero corde procederet; nec omnes indiscriminatim admissos fuisse, qui regressum in Ecclesiae sinum postulabant. Vide hac de re epistolam S. Cypriani ad S. Cornelium Papam de Fortunato & Felicissimo, in qua narrat ipse, populum quandoque restitisse, ne hujusce generis homines reciperentur in Ecclesiae communionem; & quidem ob metum, ne schismata & divisiones in Ecclesia excitarent. Quoad eos vero, qui in haeresi orti erant, nulli dubium esse potest, quin facilius reciperentur, & majori indulgentia digni haberentur, quando dabant signa verae conversionis.

Conversio Haereticorum ac Schismaticorum ad serium examen revocabatur. Epist. 59. pag. 267.

IX. Caeterum poenitentes censebantur ab Ecclesia separati toto peragendae poenitentiae curriculo, ut eruitur ex quibusdam epistolis S. Cypriani; praecipue vero ex epistola 16., in qua declarat, nullam eorum memoriam fieri consuevisse in Sacrificio, quoniam conqueritur de opposito tamquam de abusu & re praeter omnem ordinem. Communiter reconciliationis gratia donabantur in Missa, ut concludi potest ex quodam loco Tractatus de Lapsis, in quo dolet Sanctus Doctor, quod quibusdam Apostatis haec gratia fuerit concessa antequam eorum conscientia purgata fuisset per sacrificium, & per impositionem manuum Sacerdotis: *Ante purgatam conscientiam sacrificio, & manu Sacerdotis*. Excipiendi tamen ii sunt, qui nonnisi in mortis articulo reconciliationem obtinebant, qui sane in tali statu non poterant Sacrificio interesse. Nec illud repetere hoc loco opus est, quibusdam peccatoribus nec in ipso vitae discrimine datam fuisse absolutionem. Quinam hi peccatores essent, vidimus supra capite secundo hujus Sectionis: & reipsa digni non erant recipere in morte hoc solatium, qui se non cogitaverant esse morituros.

Poenitentes ab Ecclesia erát separati. Epist. 16. pag. 195. Reconciliationis gratia donabantur in Missa. Tract. de Lapsis. pag. 91.

X. Unum observare omiseram, eos scilicet, quibus in vitae discrimine constitutis poenitentia contrahebatur, non consuevisse, si quando sanitatem recuperarent, suam poenitentiam implere; postea enim quam sub-

Non subdebantur terti poenitentiae illi, qui

III. SÆCULUM.

In vitæ discrimine reconciliabatur nondum absoluta pœnitentia. *Epist.* 55. pag. 245.

subventum est, inquit S. Cyprianus Epistola ad Antonianum, offocari a nobis non possunt aut opprimi, aut vi & manu nostra in exitum mortis urgeri, ut quoniam morientibus pax datur, necesse sit mori eos, qui acceperint pacem, cum magis in hoc judicium divinæ pietatis & paternæ lenitatis appareat, quod qui pignus vitæ in data pace percipiunt; hic quoque ad vitam percepta pace teneantur. Quæ quidem agendi ratio, utpote de consilio omnium fidelium suæ Ecclesiæ constituta, perhibetur a Divo Cypriano. Idipsum Romæ peragebatur, quoniam Schismatici id exprobrabant Cornelio Papæ, uti ex eadem epistola colligitur.

CAPUT QUARTUM.

DISCIPLINA QUOAD ORDINEM.

Electio & Ordinatio Summorū Pontificū. *Epist.* 55. Pag. 243.

I. UT initium sit a Summo Pontifice, qui caput est Ecclesiastici Ordinis, totiusque Ecclesiæ, observandum primo loco est quoad ejus electionem, hanc non solum fieri consuevisse a Clero & populo Romano, sed insuper ab Episcopis alienigenis, qui tunc temporis Romæ erant; necnon peractam electionem omnibus Ecclesiis significatam fuisse, ut communi calculo approbaretur ab omnibus catholici mundi Episcopis. Vide hac de re disserentem Divum Cyprianum epistola 55., in qua de Ordinatione Cornelii Papæ hæc habet: *Cornelius factus est Episcopus a plurimis collegis nostris, qui tunc in urbe Roma aderant, qui ad nos litteras .... de ejus ordinatione miserunt.* Et paullo supra conceptissimis verbis ait, omnes mundi Episcopos unanimiter illius ordinationi consensisse: *Quorum numerus universus per totum mundum concordi unanimitate consensit.*

Summi Pontifices nulli maximi momenti rem agebant absque consensu cæterorū Episcoporum. *Epist.* 49. *Epist.* 67. Pag. 290.

II. Summi Pontifices nullam maximi momenti rem agebant absque consensu Cleri Romani, & cæterorum Episcoporum. Luculentissime id evincitur ex modo, quo se gessit S. Cornelius Papa erga Confessores ad unitatem reversos; ut videre est in epistola S. Cornelii ad S. Cyprianum, cujus hæc verba sunt: *Placuit contrahi Presbyterium. Adfuerunt etiam Episcopi quinque .... ut, firmato concilio, quid circa personam eorum observari deberet, consensu omnium statueretur.* Quibus verbis utroque pollice subscribit S. Cyprianus, inquiens, beatum hunc Pontificem, quem collegam appellat, *Collega noster*, secum, & cum omnibus omnino Episcopis in toto mundo constitutis decrevisse, Episcopos, qui in persecutione idolis immolaverant, ad pœnitentiam quidem agendam posse admitti, ab ordinatione autem cleri atque Sacerdotali honore esse prohibendos. Hæc fuit itaque Summorum Pontificum consuetudo, ut quoad Disciplinam nihil statuerent absque consensu cæterorum Episcoporum confratrum suorum: quam consuetudinem viguisse etiam quoad Dogma, certo certius est.

In Ecclesia Africana non tolerabantur appellationes ab Episcopo ad Romanum Pontificem. *Epist.* 59. pag. 266.

III. Si idipsum cum Africana omnes Ecclesiæ sensissent circa appellationes ad Romanam Sedem, concludendum esset, Summos Pontifices tunc temporis fere nullam agnovisse caussam in secunda, ut ajunt, instantia, & per appellationem. Eruitur id apertissime ex Epistola S. Cypriani ad S. Cornelium de Fortunato & Felicissimo; in qua hæc habet: *Nam cum statutum sit omnibus nobis, & æquum sit pariter ac justum, ut uniuscujusque caussa illic audiatur, ubi est crimen admissum .... oportet utique eos quibus præsumus non circumcursare ...... sed agere illic caussam suam, ubi & accusatores habere, & testes sui criminis possint.* Alludit hoc loco S. Cyprianus, ac quodammodo conqueritur de Felicissimo ejusque asseclis, qui ab Africanis Episcopis damnati, Romam petierant, ut præoccuparent ac circumvenirent S. Cornelium Papam.

Epist. 67. Pag. 289. & 290.

IV. Sanctus Doctor in alia epistola, quam Africanorum Episcoporum nomine scripsit ad Ecclesias Legionensem, Asturicensem, & Emeritensem, conqueritur de Martiali & Basilide, qui in Provinciali Concilio damnati, Romanum Pontificem Romam pergentes appellaverant. Cum autem Basilides a S. Stephano Papa in primam Episcopatus dignitatem fuisset repositus, contendit ibidem S. Cyprianus hanc dignitatis restitutionem non esse attendendam, & habendam esse uti legitimam & canonicam ordinationem Sabini, qui in Basilidis locum suffectus fuerat. Subjungit insuper Sanctus Doctor, culpandum non esse Sanctum Stephanum, cui negligenter obreptum est; execrandum vero esse Basilidem, qui fraudulenter obrepsit. Quæ omnia perbelle ostendunt, appellationes ad Romanam Sedem in Africana Ecclesia haud libenter toleratas fuisse: & harum appellationum abusum eodem tempore probant: verum eruitur pariter ex modo dictis, has appellationes in Ecclesia jam tunc temporis obtinuisse, quoniam in Africana Ecclesia, non secus ac alibi, Episcopi Romanum Pontificem appellabant.

Electio Episcoporum. *Epist.* 67. Pag. 289.

V. Quod attinet ad Episcopos cæteros, eorum electio peragebatur ab Episcopis ejusdem Provinciæ, coram Clero & populo, suum & ipsis suffragium ferentibus. Qui hoc regulari modo electus fuerat Episcopus, deponi non poterat ut eligeretur alter, nisi patrato ab ipso aliquo gravissimo crimine. Hanc Disciplinæ partem mirifice probat superius memorata Epistola, in qua de ordinatione Sabini in locum Basilidis sermonem habens Divus Cyprianus, hanc factam dicit *De universæ fraternitatis suffragio; & de Episcoporum qui in præsentia convenerant .... judicio.* Contendit Sanctus Doctor, electionem Episcoporum laudato modo factam procedere a Divina Traditione, & Apostolica observatione; & ideo coram populo hanc electionem fieri dicit Sanctus Episcopus, quia plebs singulorum vitam plenissime novit, & uniuscujusque actum de ejus conversatione perspexit: *Quod utique idcirco tam diligenter & caute, convocata plebe tota gerebatur, ne quis ad Altaris ministerium, vel ad sacerdotalem locum indignus obreperet.* Hanc consuetudinem deinceps immutavit Ecclesia, & quidem, ut credere est, ob optimos fines; præcipue vero ad tollenda schismata & discordias, quæ communiter has comitabantur electiones.

Unus tantum Episcopus in una Ecclesia esse debebat. *Epist.* 49. Pag. 235. *Epist.* 55. pag. 243.

VI. Duo Episcopi uni eidemque Ecclesiæ eodem tempore præesse non poterant. Habemus id expresse in Epistola S. Cornelii Papæ ad S. Cyprianum de Confessoribus ad unitatem reversis, qui declarant, *Unum Episcopum in Catholica Ecclesia esse debere*, hoc est in unaquaque Ecclesia. Evincitur idipsum pariter ex Epistola S. Cypriani ad Antonianum, in qua decidens Sanctus Doctor, electionem Cornelii esse legitimam, subdit: *Quisquis jam Episcopus* (Romæ) *fieri voluerit, foris fiat necesse est:* & ille, qui creatus est post electionem primi, *Non jam secundus ille, sed nullus est.* Hanc Episcopi unitatem urget insuper S. Cyprianus in sua Epistola ad Florentium Puppianum, & alibi; ad quæ loca Lectorem remitto.

Episcopi proprias regebant Ecclesias cum consilio ac consensu suorū Metropolitanorū, Cleri, & Populi. *Epist.* 56. pag. 251. *Epist.* 14. Pag. 192. *Epist.* 29. pag. 208.

VII. Episcopi communicabant negotia suarum Ecclesiarum non solum cum suo Metropolitano, ut eruitur ex pluribus epistolis S. Cypriani, & præcipue ex quinquagesima sexta, sed etiam cum Clero ac populo. Hinc cum consensu Metropolitanorum, Cleri, ac populi suas regebant Ecclesias; ab illisque consilium petebant etiam pro ordinatione ministrorum inferiorum. Sanctus Cyprianus, nihil obstante singulari suo merito, ac suprema dignitate, qua fulgebat in Ecclesia Carthaginiensi, protestatur & dicit in quadam ad suum Clerum epistola, statuisse se a primordio Episcopatus sui, nihil sua sententia privatim gerere, & sine consilio ac consensu Cleri & plebis: *Quando a primordio Episcopatus mei, statuerim nihil sine consilio vestro, & sine consensu plebis, mea privatim sententia gerere.* Monet idem Sanctus Doctor Clerum ac Plebem suam de ordinatione Subdiaconorum, cæterorumque inferiorum Ministrorum, & consilium Cleri ac plebis hac super re perit. Vide ejus epistolam 29. pag. 208. Non ille igitur erat S. Cyprianus, qui dure nimis regeret Ecclesiam suam, & ex summa ejus humilitate edocemur, litteraliter & rigorose nimis non esse accipienda quæ scribit idem Sanctus Doctor alio loco, Episcopum scilicet a nemine pendere, ipsi concessam esse libertatem, & rationem actus sui soli Domino esse reddituram.

Episcoporum Concilia quotannis celebratum ad negotia Ecclesiæ disponenda. *Epist.* 75. pag. 320.

VIII. In Africana Ecclesia Episcopi simul conveniebant ad graviora Ecclesiæ negotia disponenda, ut docet S. Cyprianus in quadam Epistola ad suum Clerum, quæ est trigesima secunda Editionis Oxoniensis & Pamelii. Hi vero conventus, seu hæc Concilia quotannis, prout tradit Firmilianus, celebrari consueverant. *Qua ex causa*, inquit vetustus ille Episcopus, *necessario apud nos fit* (attendenda sunt hæc verba, quæ Conciliorum necessitatem perspicue ostendunt) *ut per singulos annos seniores & Præpositi in unum conveniamus, ad disponenda ea quæ curæ nostræ commissa sunt; ut si qua graviora sunt, communi consilio dirigantur.* Iidem Episcopi a Romano Episcopo consilium petebant & confirmationem præcipuorum articulorum, quæ in Concilio fuerant firmata. Id constat ex quadam Epistola S. Cypriani ad S. Stephanum Papam, in qua hæc habet: *Ad quædam disponenda .... necesse habuimus, frater charissime, ... cogere & celebrare Concilium, in quo multa quidem prolata atque transacta sunt; sed de eo vel maxime tibi scribendum, & cum tua gravitate ac sapientia conferendum fuit, quod magis pertinet ad sacerdotalem auctoritatem, & ad Ecclesiæ Catholicæ unitatem pariter ac dignitatem.* Hæc omnia, iterum dicam, satis superque ostendunt, quid

A Romano præcipue Episcopo consilium petebant. *Epist.* 72. pag. 305.

sentire

III. SÆCULUM.

sentire oporteat de iis loquendi formulis quæ in Divo Cypriano occurrunt circa Episcoporum independentiam; & præcipue ex postremo hoc testimonio probe conjicimus maximam eorum subordinationem erga Romanum Episcopum, cujus consilium petere se teneri censebant, etsi immensum ab eo distarent.

Nullus Episcopus, nisi gravissimis de caussis rescindere poterat quæ ab alio Episcopo acta erant. *Epist. 64. pag. 179.*

IX. Nec ipsi Metropolitano permissum erat absque gravissimis caussis rescindere quæ ab aliquo alio Episcopo acta erant. Hac de caussa S. Cyprianus objurgat Therapium, ut constat ex ejus epistola 64., eumque monet, ne quid tale de cætero faciat: *Satis fuit objurgare Therapium collegam nostrum, quod temere hoc fecerit, & instruxisse, ne quid tale de cætero faciat.* Episcopi litteras ad se invicem mittebant in signum communionis; & quando alicui Ecclesiæ novus præficiebatur Episcopus, accuratissime inquirebant in ejus personam & fidem. Prima hujusce Disciplinæ pars eruitur ex epistola 68. Divi Cypriani, quæ est ad S. Stephanum Papam; secunda vero ex altera ejusdem Sancti Doctoris epistola ad S. Cornelium Papam, quæ in Oxoniensi editione est numero quinquagesimanona. Has vero epistolas mittebant per Clericos, ut constat ex epistola 29. Divi Cypriani, quæ est ad suum Clerum, & ex altera ad Successum, quæ in Oxoniensi editione est numero 80.

Episcopi litteras ad se invicē mittebant. *Epist. 68. pag. 191.*
Has litteras per Clericos mittebāt. *Epist. 29. pag. 208. Epist. 80. pag. 312.*

X. Absente Episcopo, non aliquis alienigena Episcopus, sed Clerus regebat Ecclesiam. Vide epistolam 34. Divi Cypriani, quæ est ad Presbyteros & Diaconos Carthaginenses. Nihil poterant Episcopi in Diœcesibus cæterorum Episcoporum, absque Diœcesani permissione: luculentissime id evincitur ex epistola ad Caldonium & Herculanum; & hac in re summa moderatione ac prudentia utebatur S. Cyprianus, ut ex quibusdam ipsius epistolis colligitur. Permittit nihilominus Sanctus Doctor suo Clero, communicare Episcopis alienigenis, si forte aliqui ibidem existant, epistolas quas ad illum miserit. „ Sed & si qui, inquit „ Sanctus Cyprianus, de peregrinis Episcopi collegæ „ mei .... præsentes fuerint, vel supervenerint, hæc „ omnia de vobis audiant. Et si exempla epistolarum „ transcribere, & ad suos transferre voluerint, facul„ tatem transcriptionis accipiant „. Tandem quidam casus Episcopo erant reservati, ut nullo negotio conjicimus ex epistola 18. Sancti Cypriani, necnon ex aliis locis ejusdem Operum, in quibus facultatem tribuit suis Presbyteris absolvendi quædam peccata se absente, posito tamen casu necessitatis. Nunc vero de Presbyteris sit sermo.

Clerus regebat Ecclesiam Episcopo absente. *Epist. 34. pag. 217.*
Episcopi nihil poterant in Diœcesibus cæterorum Episcoporum, absque illorum cōsensu. *Epist. 41. pag. 225. & 226.*
Honor Episcopis extraneis delatus. *Epist. 32. pag. 215.*
Casus Episcopo reservati. *Epist. 18. pag. 197.*

XI. Animadvertimus jam supra, Presbyteros sedere consuevisse cum Episcopis, eorum consilium requisitum fuisse, & propriam sententiam in Conciliis dixisse. Illud solummodo hoc loco dicendum remanet, scilicet permissum fuisse Episcopo sociare Clero suo Presbyteros alterius Ecclesiæ. Probatur id exemplo Numidici Presbyteri, quem Divus Cyprianus in Clerum suum Carthaginensem cooptavit, fortasse ut eidem in Episcopatu succederet; hæc siquidem Disciplina tunc temporis vigebat, ut ad Episcopatum non eligerentur peregrini ac extranei, & quidem ob metum malæ electionis, ne indigni eligerentur, cum satis non constaret de eorum vita. Cæterum ex laudato exemplo probe conjicimus pariter discrimen, quod ponebat S. Cyprianus inter simplicem Presbyterum, & Presbyterum Cleri Carthaginensis; quoniam censet Sanctus Doctor, haud posse se melius recognoscere merita Numidici, jam Presbyteri, quam illum accensendo Presbyteris suæ Ecclesiæ. Agnoscamus igitur hoc loco superiorem dignitatem Presbyterorum Cathedralium Ecclesiarum, qui Canonici appellantur. Episcopo præsentes aderant in omnibus suis officiis ac functionibus, ejus consilium erant, cum ipso celebrabant sancta Mysteria, Ecclesiam eo absente gubernabant. Tales quidem sunt hodie Canonici, ac tales erant Presbyteri, quos inter numeratus est Numidicus. Hisce omnibus nihil addere in animo est quoad Diaconos cæterosque inferiores ministros, quoniam alibi jam protulimus notabiliora quæ de illis in Divo Cypriano deprehenduntur.

Puncta Disciplinæ circa Presbyteros. *Epist. 40. pag. 225.*

CAPUT QUINTUM.

ALIA DISCIPLINÆ PUNCTA.

Usus redditūū Ecclesiæ. *Epist. 34. pag. 217.*

I. CONstat ex quadam epistola Divi Cypriani, Ecclesiam redditus habuisse, quorum pars Clericis quolibet mense distribuebatur, ut suo victui possent providere. Distributiones istæ appellabantur *mensurna*, ac si dicas omnium mensium distributiones, quibus carebant ii Clerici, qui in aliquod crimen prolapsi erant, vel proprio muneri defuerant; ut eruitur ex eadem epistola. Altera horum redditum pars impendebatur in pauperum eleemosynas, uti superius diximus; siquidem ætate illa tum pauperes enutriebat Ecclesia, tum miseros artifices juvabat, aliqua subministrando, ut propriam artem possent exercere. Hanc Ecclesiæ charitatem erga pauperes satis aperte insinuat epistola S. Cypriani ad Euchratium, in qua scenicum habens de quodam histrione, quem ab infami illa arte revocare volebat, inquit, „ quod si talis penuriam „ & necessitatem paupertatis obtendit, *Potest inter cæteros, qui alimentis Ecclesiæ sustinentur, hujus quoque necessitas adjuvari*. Verum eleemosynæ istæ moderatæ erant, & frugalioribus cibis contenti esse debebant pauperes, ut idem Sanctus Doctor ibidem tradit: *Si tamen contentus sit*, inquit ille, de eodem histrione loquens, *frugalioribus, sed innocentibus cibis*. Quod autem pauperes artifices juvaret Ecclesia, probatur id auctoritate ejusdem Sancti Episcopi, qui epistola 41. sic eos alloquitur, ad quos epistola illa conscripta est: „ Ego vos pro me vicarios misi, ut expungeretis ne„ cessitates fratrum nostrorum sumptibus; *Si qui etiam vellent suas artes exercere, additamento, quantum satis esset, desideria eorum juvaretis*.

Ecclesia alebat pauperes. *Epist. 2. pag. 171.*
Epist. 41. pag. 226.

II. Præter recensitas numero præcedenti cujusque mensis distributiones, aliæ insuper erant, quæ vocabantur Sportulæ, & qui eorum participes erant Clerici, *Sportulantes* appellabantur. Vide quæ de hisce habet Divus Cyprianus in sua epistola ad Clerum Furnis consistentem. Verum fateri debemus, S. Cyprianum haud perspicue mentem suam aperuisse circa hasce sportulas, necnon Auctores, qui de illis loquuntur, non satis aperte seipsos explicare, ut possimus inde aliquid certi hac in re definire. Censet Rigaltius, *habere in honore sportulantium*, ut scribit S. Cyprianus, idem esse ac participem fieri cujusdam peculiaris distributionis, quæ diversa esset ab illa, quæ appellatur ab eodem Sancto Doctore *divisio mensurna*, quæ erat distributio generalis: nos vero libentissime adjungimus, pauperiores solummodo Clericos hujus peculiaris distributionis fuisse participes, quam efformabant illæ fidelium eleemosynæ, quæ in arcis reponebantur. Arcæ istæ cum instar cujusdam calathi essent, vocabantur *Sportulæ*, unde *Sportulantes* dicti, qui ab hisce eleemosynis habebant unde in parte victitarent. Opinor autem, propter peculiarem hanc distributionem pauperes Clericos nequaquam rejectos fuisse a generali cujusque mensis distributione, quæ constabat tum Ecclesiæ redditibus, tum iis quæ ad Cleri sustentationem quilibet fidelis contribuere tenebatur.

Sportulæ. *Epist. 1. pag. 170.*

III. Præter tres diei horas ad publicam precem designatas, Tertiam scilicet, Sextam, & Nonam, S. Cyprianus memorat pariter Matutinum, inquiens, mane orandum, ut resurrectio Domini matutina oratione celebretur. Loquitur pariter de alia oratione ad diei finem facta; quod quidem in eam precem recidit, quam *Vesperas* appellamus. Insuper ignoro, an de Vigiliis interpretari posset quod habet ibidem Sanctus Doctor & scribit de precibus nocturnis. Quibus sane positis, habemus omnes Horas Canonicas, si Primam, & Completorium excipias. Vide ejus Tractatum de Oratione Dominica prope finem. Præter has publicas preces, aliæ erant, quæ in privatorum ædibus fiebant, uti erat oratio ante cibum, cujus meminit S. Cyprianus in suo Tractatu ad Donatum, & quam perhibet idem Sanctus Doctor veluti consuetudinem suo ævo jam vetustissimam. Observare pariter possumus ex Divo Cypriano, olim nigras vestes tempore luctus in usu fuisse. Vide ejus Tractatum de Mortalitate. pag. 114.

Horæ Canonicæ. *Tract. de Oration. Domin. pag. 108. & 109.*
Preces antequam cibus sumatur. *Tract. ad Donat. Pag. 7.*

IV. Antequam huic Sectioni finem imponam, unum vel alterum articulum afferre opus est, quos in præcedenti capite afferre omisi. 1°. Ecclesiæ Ministri nec Tutores, nec Curatores esse poterant, ut tradit S. Cyprianus epistola prima. 2°. Clerici, qui depositi fuerant, raro admodum ad amissum gradum elevabantur. Vide Epistolam tertiam S. Cypriani, quæ est ad Rogatianum. 3°. Tandem in quadam epistola Caldonii ad Divum Cyprianum occurrit quædam phrasis, in cujus interpretatione eruditi inter se non conveniunt: *Ergo Felix*, verba sunt præfatæ epistolæ, *qui presbyterium subministrabat sub Decimo*. Quæritur igitur quid significent hæc verba: *Presbyterium subministrare*. Si innotesceret quinam esset iste Decimus, cujus hoc loco fit mentio, facili negotio solveretur difficultas. Alii eum Episcopum volunt, & Fœlicem unum ex his Presbyteris dicunt, qui residebat vel in aliquo vico, vel in pago aliquo, vel in Urbe Episcopali. Alii ajunt, Decimum fuisse Martyrem; Fœlicem vero unum ex illis Presbyteris, qui designati erant ut Confessores & Martyres in temporali juvarent & in spirituali,

Epist. 1. pag. 170.
Epist. 3. pag. 172.
Explicantur hæc verba: Presbyterium subministrare. *Epist. 4. pag. 174.*

III. SÆCULUM.

rituali. Liberum cuilibet eſt quam libet ſententiam amplecti: aſt numquid verum pronuntiabit? Hic ſane difficultatis nodus. Opinor ego, utramque ſententiam recedere a Caldonii mente, & verba iſta, *Presbyterium ſubminiſtrare* idem ſignificare, ac *miniſtrare Presbytero*. Quilibet Presbyter, qui alicui Eccleſiæ erat deſignatus, proprium habebat Diaconum, ut eruitur ex quibuſdam epiſtolis S. Cypriani ſuperius memoratis. Illud inſuper obſervare quilibet potuit, Presbyteros Carthaginienſis Eccleſiæ non conſueviſſe carceres petere ad Sacrum Sacrificium offerendum, abſque Diacono. Probabile igitur eſt, Fœlicem fuiſſe Diaconum Decimi. Cæterum hæc uti mera conjectura accipiatur.

DOCTRINA
SANCTI DIONYSII
ALEXANDRINI.

ANIMADVERSIONES PRÆMITTENDÆ.

I. SANCTUS Dionyſius Alexandrinus Epiſcopus illuſtri genere ortus parentes habuit tum dignitatibus, tum opibus florentiſſimos; (1) veram dilexit ille Philoſophiam, & plauſibus, quos ob propria merita, familiæ decus, ac præclara facinora reportare cumulatiſſime poterat, prætulit glorioſam ignominiam Crucis Chriſti Domini. Fuit ille vel primus inter celebriores Origenis diſcipulos, (2) eruditus Catechiſta, Sanctus Epiſcopus, & præclariſſimum Eccleſiæ Alexandrinæ decus & ornamentum a Divo Marco uſque ad Divum Athanaſium. Fuit tandem egregius Catholicæ Eccleſiæ Doctor, (3) quem Magnum, & Canonum peritum appellant cum Divo Baſilio (4) Græci nonnulli: *Magnum Dionyſium, qui fuit Canonum peritus*. Elogia S. Dionyſii Alexandrini ex Veteribus deprōpta

II. Magnus ipſe Epiſcopus, cum de rebus ad Religionem pertinentibus ſæpiſſime requireretur, innumeras ſcripſit epiſtolas ad celebriores ſui ævi Epiſcopos, multa exaravit adverſus hæreſes, & quoſdam concinnavit Tractatus quibus tum Theologiam, tum Diſciplinam complectebatur. Divus Hieronymus horum omnium Operum catalogum profert, quem accuratiorem dixeris quoad numerum operum, quam quoad ſeriem temporum, quam præ oculis non habuiſſe apparet. Narrat igitur, S. Dionyſium Alexandrinum plurimas ſcripſiſſe epiſtolas pro ſententia Divi Cypriani, & Concilii Africani circa hæreticorum rebaptizationem. *Hic in Cypriani, & Africanæ Synodi dogma conſentiens, de hæreticis rebaptizandis ad diverſos plurimas miſit epiſtolas, quæ uſque hodie extant*. Eum ſcripſiſſe dicit quamdam epiſtolam ad Flavianum Antiochenum de pœnitentia, aliam ad Romanos, binas ad S. Sixtum Papam, qui S. Stephano ſucceſſerat, binas ad Philemonem, & ad Dionyſium Romanæ Eccleſiæ Presbyterum, unam ad eumdem hunc Dionyſium ad Petri cathedram evectum, alteram ad Novatianum cauſantem, quod invitus Romæ Epiſcopus ordinatus fuiſſet. Adſcribit inſuper eidem aliam epiſtolam ad Dionyſium & Didymum, plurimas epiſtolas Paſchales, unam ad Eccleſiam Alexandrinam, quam exaravit in exilio jam conſtitutus, alteram ad Hieracam in Ægypto Epiſcopum; præterea Tractatus de Mortalitate, de Sabbato, & de ſpiritualibus exercitiis; quamdam epiſtolam ad Hermammonem, & alia ſcripta de Perſecutione Decii. Ejus Opera recenſentur. *Cat. Script. Eccleſiaſt.* Tom. 4. recent. edit. pag. 119.

III. Divus Hieronymus ſub ejuſdem hujus Sancti nomine perhibet nobis duos libros contra Nepotem Epiſcopum, qui Millenariorum errore tenebatur, quamdam epiſtolam contra Sabellium, aliam ad Epiſcopum Ammonem, unam ad Theleſphorum, ad Euphranorem aliam, quatuor libros ad S. Dionyſium Papam, ad fideles Laodicenſes epiſtolam unam de pœnitentia, aliam de pœnitentia pariter ad Cononem, & ad Origenem aliam de martyrio. Scripſit inſuper ad Armenios, ad Timotheum, & ad Euphranorem peculiares epiſtolas, multas ad Baſilidem, & prope vitæ ſuæ finem celeberrimam epiſtolam contra Paulum Samoſatenum Antiochenum Epiſcopum. Hæc ſunt omnia quæ Divus Hieronymus adſcribit S. Dionyſio Alexandrino in ſuo Catalogo de Scriptoribus Eccleſiaſticis. Verum, alia inſuper memorat Euſebius.

IV. Huic debemus partem haud exiguam pulcherrimorum fragmentorum Sancti Dionyſii, quæ ſuperſunt, & in eruditorum manibus circumferuntur. Illud optandum ſummopere pro Eccleſiæ bono fuiſſet, ut omnia celeberrimi hujus Epiſcopi ſcripta, omni ſua parte perfecta, ad nos uſque perveniſſent. Nulli dubium eſſe poteſt, quin potuerint ex illis erui plurima admodum pretioſa monumenta in favorem plurimarum ac præcipuarum veritatum noſtræ Religionis; verum quoniam divina Providentia aliter diſpoſuit, contenti ſimus his, quæ adhuc remanent, quæque plurimos complectuntur articulos apprime neceſſarios quoad Dogma, quoad Moralem Doctrinam, & quoad Diſciplinam Eccleſiæ. Quæ exſcribemus ex Hiſtoria Eccleſiaſtica Euſebii, Sancti hujus Epiſcopi loca, de perſonali ejus merito fidem uberrimam facient. Sublime ingenium in illo deprehendemus, profundam eruditionem, accuratam ſcientiam tum Dogmatum, tum Eccleſiaſticæ Diſciplinæ. Summam modeſtiam in ejus ſententiis inſuper deprehendemus, & flagrantiſſimum zelum pro honore Religionis, pro puritate fidei, pro pace & unitate Eccleſiæ. Judicium de illis ferendum.

SE-

(1) Euſeb. lib. 7. Hiſtor. Eccleſiaſt. cap. 11.
(2) Origen. lib. 6. cap. 29.
(3) S. Athanaſ. Epiſt. de ſentent. S. Dionyſ. Tom. I. *Concordantia SS. Patrum*, Tom. II. pag. 247. edition. Pariſ. 1698.
(4) S. Baſil. Epiſt. 1. Canon. ad Amphil. tom. 3. Recent. Edition. PP. S. Maur.

SECTIO I.

PUNCTA DOGMATICA.

Diximus supra, habere nos ex Eusebio plurima, eaque pulcherrima fragmenta Operum Divi Dionysii Alexandrini: verum habemus insuper ex Divo Athanasio, & ex Divo Basilio longe pulchriora monumenta Orthodoxæ fidei vetusti hujus Episcopi quoad præcipuas veritates nostræ Religionis, quæ in Eusebio desiderantur. Omnia hæc fideliter exscribemus, quæ licet exiguam Theologiæ partem constituant, fidem nihilominus nostram mirum in modum juvabunt confirmabuntque quoad notabiliores Catholicæ Religionis veritates, de quibus modo differemus. A Divina Scriptura erit initium; deinde sermo erit de Deo Uno, & de Deo Creatore, de Mysterio Sanctissimæ Trinitatis, & tandem de errore Millenariorum.

§. I.

Notabiliora loca in eas Novi Testamenti partes, quæ Divo Joanni Apostolo adscribuntur.

I. Certum primo loco est, Divum Dionysium adscribere Apostolo Sancto Joanni tum Evangelium, tum tres Epistolas, quæ ejus nomine circumferuntur. Hanc veritatem supponit ipse, non probat, cum constantissime ipsius ætate apud omnes obtineret. Illud vero observandum hac in re venit, S. Dionysium tres recensere Epistolas, quæ laudati Apostoli nomine circumferuntur; verum memorata prima epistola, statim memorare secundam & tertiam, quas brevissimas dicit: *Sed neque*, ipsius verba sunt, *in secunda ac tertia, quæ Joanni vulgo adscribuntur, Epistolis, quamvis brevissimis, Joannis vocabulum præstat; verum absque ullo nomine senior inscribitur*. Quæ quidem proprietates duabus postremis Epistolis Divi Joannis conveniunt, quæ brevissimæ reipsa sunt, & nullibi in illis nomen Divi Joannis legitur. Quo igitur fundamento Novatores quidam inter recentiores audent has epistolas apocryphis Scripturis accensere?

[Margin: Tres Divi Joannis Epistolæ Canonicæ sunt, juxta S. Dionysiū Alexandrinū. Euseb. l. 7. Hist. Ecclesiast. cap. 25. pag. 274.]

II. Idem judicium non fert de Apocalypsi S. Dionysius; dubitare siquidem videtur, num Divi Joannis Apostoli opus illa sit. *Sed hunc ipsum*, inquit, *esse Apostolum, Zebedæi filium, Jacobi fratrem, cujus est Evangelium .... & epistola catholica, haud facile concesserim*. Notat in Apocalypsi S. Dionysius stylum, ductum verborum ac speciem omnino diversam a stylo & elocutione aliorum Operum Sancti hujus Apostoli: notat insuper, S. Joannem nunquam, neque in Evangelio, neque in Epistolis nomen suum protulisse, cum nomen suum Apocalypsis auctor non semel proferat. „ Itaque quod Joannes quidam sit, subjungit „ ille, qui ista scripsit, credendum est ad hunc mo„ dum loquenti: *Sed quisnam ille fuerit Joannes, in„ certum*. Non enim seipsum esse dixit, dilectum a „ Domino discipulum, neque eum, qui supra pectus „ ejus recubuerit, neque fratrem Jacobi, neque eum, „ qui ipse Dominum viderit, & audierit „. Hæc sunt momenta, si non omnia, saltem ex parte, quibus Sanctus Dionysius Alexandrinus serio animo dubius hæsit, num Joannes Evangelista, Apocaypsim conscripserit. Num momenta hæc validissima sint & peremptoria, judicium apud Criticos esto.

[Margin: De Apocalypsi dubitat Sanctus Dionysius, num sit Divi Joannis Apostoli opus. Ib. p. 273.]

[Margin: Ib. p. 274.]

III. Nec validiora sunt reliqua quæ profert Sanctus Dionysius momenta in ejusdem dubii confirmationem: hinc eadem legenda ac perpendenda iis relinquo, quibus sat otii est. Cæterum, etsi dubitet Sanctus Dionysius de vero Auctore Apocalypsis; fatetur nihilominus, librum hunc esse Scripturam Canonicam; quamvis ante ipsum reprobarint eam nonnulli, veluti opus obscurum, nullis rationibus fultum, & ab hæresiarcha Cerintho conscriptum. *Ego vero*, inquit Sanctus Episcopus, *librum illum rejicere omnino non ausim, præsertim cum multi ex fratribus eum magni faciant*: „ Sed majore de illo existimatione concepta, quam „ ut a me possit intelligi, arcanam quamdam & ad„ mirabilem in singulis illius capitibus futurarum re„ rum expectationem contineri suspicor. Etenim ubi „ illum non intelligo, altiorem quemdam sensum ver„ bis inesse cogito, nec de istis meo intellectu inqui„ ro & judico; sed fidei potius acquiescens, subli„ miora illa quam quæ a me intelligantur esse puto: *Nec ea condemno quæ intelligere non potui; verum inde admiror magis quod capere non possum*. Et paucis interjectis, *Fateor enim*, inquit, *Sancti cujusdam, & divino spiritu afflati viri id opus esse*. Quod quidem ostendit, ipsius ætate nullum dubium fuisse de authentia, & canonicitate Sancti hujus libri. Animadvertendum nihilominus est, S. Dionysium non asserere, omnes fideles magni fecisse hunc librum, sed solummodo multos ex illis: *Multi ex fratribus*; ex quibus verbis constat, nondum communiter ut Sacram Scripturam obtinuisse.

[Margin: Apocalypsim esse Scripturā inspiratā fatetur. Ib. p. 273.]

§. II.

De Unitate Dei, et Attributo Creatoris.

I. Sanctus Dionysius in quadam epistola, quam conscripsit, ut responderet calumniis Germani, rationem reddens eorum quæ gesserat tempore persecutionis, & modum exponens, quo Præfectum Æmilianum allocutus fuerat, inquit, quod cum Præfectus iste jussisset, eum Deos adorare, ipse respondit: *Nos quidem unum Deum omnium opificem .... colimus & adoramus*. Æmilianus Præses dixit: Quis impedit, quo minus & vestrum illum, una cum hisce nostris diis adoretis? S. Dionysius respondit: *Nos nullum alium adoramus*.

[Margin: Unus solus Deus rerum omnium creator. Epist. ad German. Euseb. l. 7. Hist. Eccles. c. 11. pag. 258.]

II. Unus hic Deus, quem Christiani adorant, est Universi conditor. Creavit ille omnia: cave autem credas, hæc per fortuitum Athomorum concursum facta esse: nam si quidquid quotidie peragitur ad vitæ utilitatem & commoda, si vestimenta, domus, naves, pulcherrima hæc opera, quæ pluribus constant partibus inter se mirifice conjunctis, sine aliquo artifice fieri nequeunt: qua fronte audebit quis adscribere fortuito athomorum concursui admirabilem mundi fabricam, humani corporis structuram, immensas pene dixerim animæ cognitiones, ordinem ac cursum astrorum? Hæc S. Dionysius, ut refutet opiniones Philosophorum de natura, & ut ostendat, Deum solum omnia condidisse. Vide hac de re Eusebium, (a) qui fuse recitat quæ de hoc argumento scripserat S. Dionysius in libro *de Natura*.

§. III.

De Sanctissima Trinitate.

I. Mysterium Sanctissimæ Trinitatis strenue adeo tuetur S. Dionysius Alexandrinus, ut de tanto Patrono merito gloriari possit Catholica Ecclesia. Certo certius est, cum conscripsisse quasdam epistolas adversus Hæresim Sabellii, quarum aliqua supersunt in Operibus Divi Athanasii fragmenta, quæ testantur catholicam fidem S. Dionysii circa distinctionem Divinarum Personarum. S. Basilius profert quædam verba Sancti hujus Alexandrini Episcopi, quibus eamdem gloriam tribuit tribus Sanctissimæ Trinitatis Personis. *Deo autem Patri*, verba sunt S. Dionysii, *& Filio Domino nostro Jesu Christo, cum Sancto Spiritu, gloria & imperium in sæcula sæculorum, Amen*. Alterum S. Basilius citat ejusdem S. Dionysii testimonium, quo apertissime astruitur distinctio trium Divinarum Personarum: sic autem se habet: *Si eo quod tres sunt hypostases*, inquiebat Sanctus Episcopus de Sabellianis verba faciens, *divisas esse dicunt; tres sunt etiamsi nolint; aut divinam Trinitatem prorsus e medio tollant*: & deinceps: *Divinissima enim ob id etiam post unitatem Trinitas est*.

[Margin: Distinctio Divinarum Personarum. S. Athanas. epist. de sententia S. Dionys. Tom. I. pag. 246. & seq.]

[Margin: S. Basilius lib. de Spir. Sancto. c. 23. p. 60. & 61. recent. edit.]

II. Nec ad rem facit alia inquirere testimonia, quibus evincamus Orthodoxam S. Dionysii fidem circa distinctionem Divinarum Personarum, cum nemo unus quoad hunc articulum de hoc Sancto Episcopo dubitet, qui ad hanc tuendam distinctionem, plurimas expresse exaravit epistolas: quatuor sane memorat S. Athanasius, quarum una erat ad Ammonium Berenicensem in Pentapoli Episcopum, alia ad Thelesphorum, altera ad Euphranorem, postrema tandem ad Ammonium & Euporium. Cæterum, si quæ supra protulimus S. Dionysii loca, egregie ostendunt distinctionem Personarum Sanctissimæ Trinitatis, æque demonstrant Naturæ unitatem, sive Consubstantialitatem trium Personarum, & Sancti Episcopi catholicam doctrinam etiam quoad hoc mysterium in aperto ponunt; ut cuilibet recitata ejus verba legenti facile compertum fiet.

[Margin: Videlicet supra cit.]

§. IV.

(a) Præparat. Evangel. lib. 14. cap. 26. p. 779. & 780.

III. SÆCULUM.

§. IV.

DE PERSONA VERBI.

Filius est Patri coæternus. Apol. S. Athanas. Epist. de sentent. S. Dionysii. pag. 253. & 254.

I. Etsi doceat S. Dionysius, Dei Filium tum esse, tum suas perfectiones a Patre habere; asserit nihilominus, Filium esse coæternum Patri; siquidem conceptissimis verbis scribit, Patrem semper fuisse Patrem: *Nunquam enim fuit, quando non erat Pater*; & cum Filius Verbum, & Sapientia, & Virtus Patris sit, nunquam his Patrem caruisse, adeoque postea Filium genuisse: *Neque enim Deus, cum his antea caruisset, postea Filium genuit*. Quam veritatem confirmat S. Dionysius exemplo Solis ac lucis, quæ ab invicem separari nequeunt, & uno eodemque tempore extiterunt. *Cum* (Filius) inquit ille, *sit splendor lucis æternæ, & ipse omnino æternus est*. „ Luce enim semper existente, certum est & splendorem semper existere; eo enim ipso lucem esse, quod splendeat, intelligitur: non enim fieri potest, ut lux non luceat. Si Sol est, subjungit, & est splendor, & dies: quod si horum nihil est, magnopere abest, ut Sol possit dici adesse. Quod si Sol æternus esset, indesinenter & dies esset. Deus autem æterna lux est, nec incipiens, nec unquam desinens „: *æternus ergo splendor ipsi prælucet ac coexistit, qui absque initio est & ab æterno genitus*.

II. Hæc profert S. Dionysius Alexandrinus momenta ut ostendat Verbi coæternitatem, quam iterum confirmat hisce verbis. „ Existente igitur æterno Patre, existit & æternus Filius; nam si Pater est, necessario & Filius est: si enim nullus Filius genitus est, quomodo ipse Pater, aut cujus tandem Pater fuerit? „ *Atqui ambo sunt, & semper sunt. Semper Deus Pater fuit*, prosequitur Sanctus Episcopus; *& Filius non absque caussa æternus dicitur; sed quia æternus est Pater, æternus est & Filius, illique coexistit, quemadmodum splendor luci*.

III. Ex quibus omnibus nullo negotio infertur, Filium non solum esse inseparabilem a Patre, sed insuper esse ejusdem naturæ; eidem consubstantialem, est siquidem ad Patrem id quod est splendor ad lucem; ab illo habere suum esse, eidemque esse coæternum, cum nihil extra Deum sit, quod illi sit coæternum, & solus verus Deus possit Deo coæternus esse. Fatetur utique S. Dionysius, uti ab aliquibus in crimen vocatus fuerat, se nunquam usurpasse hanc vocem *consubstantialis* cum de Filio locutus est, quoniam vox ista in Scripturis non reperitur; asserit tamen, se doctrinam tradidisse præfata voce significatam: *Attamen argumenta mea*, pergit loqui S. Athanasius .... *ab hac sententia nihil discrepant*. Quibus addit Sanctus Episcopus, similitudines quasdam familiares se congessisse, quibus reipsa catholica ejus fides quoad hunc articulum mirifice elucet; quales sunt similitudines derivatæ ex planta cum sua radice, ex fluvio cum suo fonte; quæ res diversæ sunt, *etsi ejusdem omnino sint naturæ*; & fluvius differt a fonte, propriamque peculiarem existentiam habent tam fons quam fluvius. Idipsum de Patre ac Filio dicendum est: *Fontem quasi Patrem esse, Filium vero aquam ex fonte manantem*. Liquet certe ex istis dictis, inquit S. Athanasius, criminatores illius de negata Filii cum Patre consubstantialitate, non levibus, sed bonis rationibus documentisque refutatos esse; quippe qui ita loquatur: *Etsi hanc vocem*, verba sunt Divi Dionysii, qui in S. Athanasio hæc habet, *in Scripturis non inveni, attamen earumdem Scripturarum mentem colligens, agnovi ipsum, cum Filius & Verbum sit, non posse a Patris substantia esse alienum*.

S. Dionysius docuit, Filium esse ejusdem naturæ cũ Patre. Ib. p. 255. & 256.

Ib. p. 257.

IV. Si igitur S. Dionysius docuit credileitque, Filium esse coæternum Patri, ejusdem esse substantiæ ejusdemque naturæ; qua tandem fronte eumdem accusant plerique, nostris etiam temporibus, quod Dei Filium Creaturis accensuerit? Calumnia hæc penitus exsufflatur conceptissimis hisce ejusdem Sancti Episcopi verbis. „ Si quis igitur Sycophantarum, eo quod Deum omnium creatorem & opificem dixerim, arbitretur a me cum quoque Christi creatorem dici, audiat, quæso, cur de creatore loquens, eum patrem appellarim, sub quo nomine etiam Filius, quasi eodem scripto comprehensus intelligitur. Postquam enim Patrem rerum creatorem appellaveram, subintuli, neque Pater eorum quæ genuit, creator haberi potest, si modo eum qui genuit, Patrem voces „. Cæterum, si Sanctus Dionysius quandoque repræsentat Patrem veluti Creatorem Jesu Christi, intelligi id debet de sola Humanitate, ut observat S. Athanasius; vel, si id ad Verbum referatur, interpretari debet in eodem sensu, quo apud Græcos docti suorum librorum factores & opifices nominantur.

S. Dionysius non accensest Filium Creaturis. Ibid.

V. Antequam huic argumento finem imponamus, exscribere in animo est ex Divo Dionysio ideam, sub qua ipsum Verbum Sanctus Episcopus nobis repræsentat: quam quidem ut facilius assequamur, hac utitur similitudine. „ Ut enim mens nostra, verba sunt S. Dionysii, eructat ex se verbum, quemadmodum locutus est Propheta, eructavit cor meum verbum bonum, (*a*) & utrumque alterum ab altero suum proprium & distinctum locum possidet, cum hoc in corde, illud in lingua & ore commoretur, & motum suum habeat, sed non tamen ut distent, ac se invicem careant, neque est mens irrationalis, hoc est sine verbo & sine ratione, neque verbum amens, hoc est, sine mente, sed mens verbum facit, & in verbo apparet, & verbum mentem, quæ in ipso consistit declarat, & mens est quasi verbum quietum: verbum vero quasi mens prosiliens, & transit mens in verbum, verbum autem mentem in auditores insinuat, atque ita mens in auditorum animis collocatur, una cum verbo intrans, estque mens, quia per se existit verbi pater, verbum autem veluti filius mentis: quod, ut ante mentem extiterit, impossibile est, ita nequaquam sine ea, sed una cum ea extitit, & ab illa progerminatum est: Eodem quoque modo Pater maximus, & in solidum mens Filium suum Verbum, interpretem, & nuntium sui habet „. Alia proferre possem S. Dionysii testimonia quoad præsens argumentum: verum huc usque allata satis superque produnt, ut opinor, catholicam ejus fidem quoad primarium hunc nostræ Religionis articulum. Ex dictis siquidem colligitur, Verbum esse Deum, non secus ac Pater Deus est, ejusdemque esse naturæ; & Patrem ac Verbum esse distinctas Personas. Quæ veritates complectuntur totum Mysterium de Persona Verbi.

Idea Verbi ex Sancto Dionysio. Ib. p. 259.

§. V.

DE PERSONA SPIRITUS SANCTI.

Pauca admodum dicere possumus de Spiritu Sancto, & quidem exscribentes ipsissima verba S. Dionysii Alexandrini, prout extant apud Divum Athanasium in epistola in præcedenti paragrapho per nos citata. S. Dionysius itaque ut iis respondeat, qui eum in crimen vocabant, quod Patrem nominasset, & non ibidem nominasset Filium, rursumque quod in mentione Filii nomen Patris reticuisset, ac proinde eum disjungere, elongare, ac dividere Filium a Patre; sic seipsum explicat. „ Singula illa nomina, de quibus locutus sum, insegregabilia a se invicem sunt, nec dividi queunt. Patrem cum dico, etiam sine mentione Filii, Filium sub Patris vocabulo indicatum volui: contra si in mentione Filii Patrem omisissem, tamen ille sub nomine Filii præintelligi debuit. *Spiritum Sanctum addidi*; sed ita ut pariter adjungerem, undenam ille, & per quem venerit. Sed isti ignorant, prosequitur Sanctus Episcopus, Patrem a Filio alienari non posse, & sub Patris vocabulo primarium conjunctionis auctorem contineri; & Filium a Patre quasi domicilio disgregatum non esse, eo quod Patris vocabulum hanc communionem indicet. „ *In manibus autem illorum est Spiritus, qui neque a mittente, neque a ferente separari potest*. Cum igitur Spiritus Sanctus, ut constat ex dictis, inseparabilis sit a Patre & Filio, quo argumento in dubium revocari poterit Divinitas tertiæ hujus Personæ? *Sic quidem nos*, concludit S. Dionysius, *indivisibilem unitatem in Trinitatem dilatamus, & Trinitatem iterum, quæ imminui nequit, in unitatem contrahimus*. Postrema hæc verba cæteris pulchriora sunt; paucis siquidem complectuntur perfectam Ecclesiæ fidem quoad Mysterium Sanctissimæ Trinitatis, videlicet, Personarum distinctionem, & Unitatem substantiæ, sive naturæ. Sed ad alia nostra convertatur oratio.

Spiritus Sanctus est inseparabilis a Patre & Filio. Ib. p. 255.

Trinitas & Consubstantialitas Divinarũ Personarum. Ibid.

§. VI.

BAPTISMUS, ET EUCHARISTIA.

I. Si Divo Hieronymo fides, S. Dionysius consensit in sententiam S. Cypriani de rebaptizatione; verum si licet judicium hac in re ferre ex fragmentis quæ ex Eusebio habemus illius epistolæ, quam a S. Dionysio contra hæreticorum baptismum conscriptam fuisse idem Hieronymus narrat, non leve dubium

S. Dionysius idipsum sentiebat quod & Stephanus Papa circa Baptismum Hæreticorum.

(*a*) Psalm. 44. vers. 1.

III. SÆCULUM.

bium oritur, num Sanctus Dionysius huic errori reipsa subscripserit. Ex his enim quæ profert Eusebius, videtur, quemadmodum observat Tillemontius, (a) Sanctum Alexandrinum Episcopum consensisse in Dogma Sancti Stephani Papæ, non damnata tamen opposita sententia, nec probata agendi ratione, qua utebatur Sanctus Stephanus erga suæ sententiæ adversarios. Frequenter eidem hac de re scripsit obsecrans, ut lenitate summa ac moderatione tanti momenti quæstionem pertractaret, nec facile a sua communione eos separaret, qui hæreticos iterum baptizabant. (b)

II. Cæterum in hac quæstione simplicis mediatoris partes haud excessit Sanctus Dionysius: si vero velimus, huic vel illi sententiæ eum subscripsisse, mehercle Stephani partes amplexus est: tantum abest enim, ut in oppositum errorem sit prolapsus, ut noluerit iterum baptizare hominem, qui non solum ab hæreticis fuerat baptizatus, sed baptizatus fuerat baptismo a catholico omnino diverso. Audi tem hanc narrantem ipsum Sanctum Alexandrinum Episcopum in quadam epistola ad Sanctum Sixtum Papam. „ Consilio „ opus habeo, frater, & tuam sententiam abs te pe„ to, quod tale quid mihi acciderit, unde verear ne „ fallar. Cum fratres essent congregati, vix quidam „ existimatione fidelis, antiquus, & antequam ego „ ordinarer, opinor autem & ante beatum Heraclam, „ ecclesiastici cœtus particeps, dum nuper quidam „ baptizarentur præsens, auditis interrogatis ac respon„ sis, ad me accessit, flens, ac lamentans, & ante „ pedes meos provolutus confitebatur, & jurabat, ba„ ptismum, quo baptizatus erat ab hæreticis, non es„ se verum baptismum, nec cum hoc nostro ullam „ habere communionem, sed esse illum impietate & „ blasphemiis refertum .... ideoque orabat, ut sincerissima hac purificatione, susceptioneque & gratia „ potiretur. Quod quidem ego facere non sum au„ sus, prosequitur Sanctus Episcopus, sed diuturnam „ illam multorum temporum communionem illi suffi„ cere dixi. Cum enim & gratiarum actionem in Ec„ clesia audisset, & ad illam una cum aliis *Amen* „ succinuisset . . . . & prolixo jam tempore corporis „ & sanguinis Domini Nostri Jesu Christi particeps „ fuisset, non sum ausus eum denuo baptismate ini„ tiare „. Quæ narratio, ut Tillemontio (c) videtur, validissime probat, nec S. Dionysium, nec ejus Prædecessores, qui virum hunc in Ecclesiam admiserant, consuevisse iterum baptizare ab hæreticis baptizatos. Verum utique est, observat eruditus Tillemontius, quod S. Dionysius hac se ratione tuetur, Eucharistiam scilicet, quæ per longum tempus viro huic ministrata fuerat, supplere defectum sui Baptismi; & quid simile docet etiam S. Cyprianus: verum Divus Cyprianus loquitur de fidelibus jam defunctis, & videtur in ea esse sententia, quod iterum essent baptizandi qui inter vivos adhuc erant, ut omnia ejus principia reipsa requirunt. Animadvertendum autem est, subjungit idem Tillemontius eodem loco, S. Dionysium hac in re petiisse consilium, non a S. Cypriano, non a S. Firmiliano, sed a Sancto Sixto Papa, qui certe tuebatur sententiam Prædecessoris sui Stephani quoad Baptismum Hæreticorum.

Euseb. l. 7. Hist. Eccl. cap. 9.

III. Ad Eucharistiam quod attinet, ea habet S. Dionysius, quæ probe ostendunt, hanc ut Viaticum ministratam fuisse infirmis, ut ad mortem disponerentur. „ Serapion quidam erat apud nos, inquit S. Dionysius Epistola ad Fabium, fidelis senex, qui diu qui„ dem inculpate vixerat, in persecutione vero ccide„ rat. Hic sæpenumero recipi petierat, verum nemo „ illi attenderat: sacrificaverat enim. In morbo au„ tem constitutus, totum triduum mutus & sensuum „ facultate destitutus mansit. Post ubi quarto die non„ nihil convaluisset, nepo i ex filia ad se vocato di„ xit: quousque, o fili, detinetis me? Obsecro, pro„ perate, & me velociter absolvite. Voca ad me ali„ quem ex Presbyteris; quibus dictis iterum obmu„ tuit. Currit puer ad Presbyterum. Erat autem nox; „ Presbyter ægrotabat, ideoque ire cum puero non „ poterat. Quoniam vero mandaveram (loquitur semper S. Dionysius) morituros, si petant, & maxime „ si etiam ante suppliciter petierunt, admitti debere, „ ut spe bona fulti migrent, parum Eucharistiæ pue„ ro dedit, jussitque ut id infunderet, & in os senis „ instillaret. Puer redit afferens Eucharistiam. Cum „ autem e vicino esset, antequam ingrederetur, rur„ sus Serapion: venis, inquit, fili? Presbyter quidem „ venire non potest; tu vero confestim facito quod „ ille præcepit, meque dimitte. Infudit puer, ac si„ mul ori senis instillavit. Qui cum parum gustasset, „ mox spiritum reddidit. An non perspicue, conclu„ dit Sanctus Episcopus, senex hic tantisper detentus „ fuit, donec absolveretur, & a peccato liberatus co„ ram multis quæ fecerat confiteri posset? „

Eucharistia ministrata infirmis ut Viaticum. Epist. ad Fabium in Euseb. l. 6. Hist. Eccl. cap. 44. pag. 246.

IV. Ex qua historia observandum venit, 1°. numquam in vitæ discrimine denegatam fuisse absolutionem, si ante mortis periculum hanc petiissent infirmi; præcipue vero si suppliciter petiissent: quandoque enim iis denegata fuit, qui in extremo agone constituti hanc gratiam petierant; quemadmodum ex Divo Cypriano observavimus. 2°. Absolutionem, sive in mortis articulo hæc concederetur, sive concederetur incolumi viro, jus tribuisse ad participationem sacrorum Mysteriorum. 3°. Sollicitudo, qua senex hanc gratiam petiit ante mortem, probe ostendit, tum timorem, quo tenebantur Christiani, ne a cæterorum communione separati decederent, tum summam, quam habebant in Eucharistia fiduciam. 4°. Eruimus, in casu necessitatis ipsos etiam laicos ministrasse divinum hoc Sacramentum. 5°. Tandem, mors quæ immediate sequitur sumptionem Eucharistiæ, & mortis dilatio usque ad hanc sumptionem, uti miracula haberi debent. Eusebius appellat hanc historiam, *facinus .... admiratione dignissimum*.

§. VII.

POENITENTIA.

I. Extat in Eusebio quoddam fragmentum alterius epistolæ ad Fabium, ex qua innotescit quanta esset benignitas & indulgentia Ecclesiæ, erga illos, qui furente persecutione, tormentorum vi adacti, lapsi erant. Sanctus iste Episcopus post prolixam enumerationem tormentorum, quæ experiri cogebantur Christiani, & quæ vel narrata solummodo ingenti terrore audientium animos percellunt, sic prosequitur, Fabium alloquens: „ Et ista, frater, non frustra scri„ bo, sed ut scias, quæ & quanta mala apud nos „ evenerint, quorum plura cognoverunt, qui illa præ „ cæteris sunt experti. Ipsi igitur divini martyres „ apud nos, qui jam Christi sunt assessores, & regni „ illius consortes, judiciique participes, ac simul „ cum illo judicaturi, ex lapsis fratribus quosdam „ propter sacrificia culpabiles, receperunt, visaque il„ lorum conversione & resipiscentia, ac probato quod „ acceptari possent, eo quod Deus haudquaquam „ mortem vult peccatoris, complexi sunt eos, secum„ que retinentes orationum & convictus consortes red„ diderunt.

Benignitas ac indulgentia Ecclesiæ erga illos, qui tempore persecutionis lapsi erant. Epist. ad Fabium Euseb. l. 6. Hist. Eccl. cap. 42. pag. 241.

II. „ Quid igitur nobis, fratres, de istis consuli„ tis? prosequitur Sanctus Episcopus Alexandrinus. „ Quid nobis faciendum? Erimusne cum illis (Mar„ tyribus) concordes & unanimes? Et judicium illo„ rum & gratiam custodiemus, illisque benigni eri„ mus, quorum ipsi sunt miserti; vel judicium illo„ rum reprobabimus, & nos sententiæ illorum judi„ ces constituemus, benignitatem injuria afficiemus, „ ordinem destruemus, ac Deum exacerbabimus? Hæc „ Dionysius (concludit Eusebius) recte adjecit, men„ tionem illorum faciens, qui persecutionis tempore „ ex infirmitate fuerant prolapsi „. Observandum vero hoc loco est; S. Dionysium pro illis solummodo gratiam ac veniam postulare, de quorum poenitentia & conversione certus jam erat: *Conversionem illorum ac pœnitentiam cernentes*, de Martyribus verba faciens, qui præfatos poenitentes reconciliationis gratia donaverant. Quæ quidem Sacerdotibus his minime favent, qui plus quam par est proni sunt in absolutione impartienda iis peccatoribus, qui sanctis hujusmodi dispositionibus carent. Illud insuper ex laudato fragmento colligo, S. Dionysium credidisse, Sanctos immediate post mortem æterna gloria frui, non expectato extremi judicii die: *Hi divini Martyres*, verba ejus sunt, *qui nunc assessores sunt Christi, & regni illius consortes*.

§. VIII.

ADVERSUS ERROREM MILLENARIORUM.

I. Episcopus quidam in Ægypto fuerat, Nepos nomine, vir cæteroquin tum pietate, tum scientia illustris, qui litteraliter nimis sumens Scripturarum promissiones, millenaria quædam annorum corporalibus deliciis in hac terra futuris decernebat. Hunc errorem per Ægyptum a multo tempore jam late disseminatum, impugnavit S. Dionysius editis duobus libris, quos

(a) Tillemont. lib. 4. Histor. Ecclesiast. pag. 142.
(b) Euseb. lib. 7. Histor. Ecclesiast. cap. 5.

(c) Loc. cit.

III. SAECULUM.

quos *de promissionibus* inscripsit; in quibus postquam aliquo modo excusavit Nepotem, eos exagitat, qui sua etiam ætate hunc adhuc errorem tuebantur. Videbimus alio loco, quanta prudentia hac in re usus sit S. Dionysius; illud vero nunc scire sufficiat, Divum Dionysium damnasse errorem Millenariorum: id unum enim ex Eusebio colligitur.

S. Dionysius damnavit errorem Millenariorū. Tract. contra Nepot. Euseb. l. 7. Hist. Eccl. cap. 24. pag. 270. 271. 272.

II. Quoad hæresim vero Novatianorum, en quæ tradit S. Dionysius, ut ex eodem alias laudato Eusebio habemus. „ *Novatianum*, inquit illustris iste Episcopus . . . *merito aversamur*, qui Ecclesiam discidit, & quosdam ex fratribus ad impietatem & blasphemias traxit, deque Deo profanissimam doctrinam subintroduxit, (docebat enim, Deum nequaquam ignoscere peccatori) ac benignissimo Domino nostro Jesu Christo immisericordiæ calumniam struxit. Et præter hæc omnia sacrum lavacrum reprobavit, (siquidem iterum baptizabat eos, qui relicta Ecclesia ad eum confugiebant) fidem ac confessionem, quæ ante baptismum fuerunt, subvertit, ac Spiritum Sanctum ex illis prorsus profligavit; *tametsi spes aliqua subsit, vel quod in illis adhuc maneat*, (Spiritus Sanctus) *vel quod ad eos reversurus sit*. Postrema hæc verba animadversione digna sunt; ex his enim eruitur, Spiritum Sanctum nunquam absolute deserere eos, qui in gravissima crimina prolapsi sunt, & nullum, gravissimum licet ac immanissimum, crimen esse posse, quod pœnitentia deleri non possit. Nunc vero ad Doctrinam S. Dionysii tum quoad Mores, tum quoad Disciplinam gradum faciamus.

Damnavit pariter hæresim Novatianorum. Epist. ad S. Dionys. Rom. & ad Philemon. l. 7. Hist. Eccl. cap. 8. Pag. 254.

SECTIO II.

PUNCTA MORALIA, ET DISCIPLINÆ.

CUM pauca ex S. Dionysio Alexandrino supersint quoad Mores & disciplinam; hinc secunda hac Sectione notabiliora quæ docuit idem Episcopus quoad utramque facultatem complectemur. Et ad Mores quidem quod attinet, videbimus quænam esset veterum fidelium constantia, & quo pacto mortem contemnerent: videbimus quomodo se gerere debeat Episcopus intrusus; quid post eorum mortem agendum sit cum Scriptoribus Catholicis, qui in aliquos errores prolapsi sint; quomodo ineunda sit disputatio de rebus ad Religionem spectantibus: videbimus veterum Christianorum fidelitatem & observantiam erga Principes etiam infideles; Christianorum potestatem in dæmones; reverentiam ipsorum etiam Episcoporum erga simplices Presbyteros. Quoad Disciplinam vero duo vel tres solummodo extant in S. Dionysio articuli, qui jejunium Paschale respiciunt, & tempus celebrandi festum hunc diem, necnon quasdam legales impunitates.

§. I.

CONSTANTIA VETERUM CHRISTIANORUM.

Exempla constantiæ in antiquis fidelibus. Epist. ad Fab. l. 6. Hist. Eccl. c. 41. & 42.

I. POssem hoc loco ob oculos lectoris ponere quæ narrat S. Dionysius de persecutionibus, quas sui ævi fideles imperterriti ac constantissime adeo patiebantur, ut vel ipsi persecutores obstupescere cogerentur. Videremus sane homines infirmos, nec stare, nec ingredi valentes, Dominum fide integra, & ut par est, maxima confiteri: videremus mulieres honestissimas, præside confuso quod inefficaciter eas torsisset, & a mulieribus victus esset, nullum amplius tormentorum sensum capientes, ferro necari: milites ipsos videremus, qui vultu innuebant, manuque extenta, ac totius corporis motibus ad constantiam christianos hortabantur; & ad ipsa subsellia Præsidum ultro assiliebant, & se christianos esse dicebant. Multitudinem tandem christianorum videremus, qui in solitudinibus & montibus oberrantes, fame, siti, frigore, morbis, latronibus, ac bestiis absumebantur. Vide hac in re Epistolas Sancti hujus Episcopi ad Fabium, quarum quædam fragmenta in Eusebio reperiuntur.

Sequitur idem argumentū. Epist. de Solemnit. Paschal. Euseb. l. 7. Hist. Eccl. cap. 22. pag. 268.

II. In his autem exponendis exemplis non immoramur, quæ imitari non datur dum sub Principibus Christianis vivimus; hinc operam nostram ponimus in examine eorum quæ gerebant Majores nostri peste ac publica furente desolatione; cum hæc nobis ipsis evenire possint, teste experientia. Videbimus enim 1°. hasce calamitates nequaquam impedivisse, quo minus læti festos dies agerent, etiam cum soli ab omnibus pulsi, ac morti traditi essent: *Cumque soli ab omnibus fugaremur, atque opprimeremur, nihilominus tunc quoque festos agimus dies*. 2°. Videbimus illustres hos viros non solum de lue non tristari, sed habere has ærumnas, ac cætera temporalia mala, uti exercitationem & explorationem. 3°. Videbimus plurimos ex illis, ob nimiam charitatem & fraternam dilectionem sibi ipsis non parcentes, sed mutuo cohærentes, & ægrotos sine ulla cautione invisentes, illisque diligenter inservientes, & in Christo medentes, una cum illis occumbere. *Plurimi quidem ex fratribus nostris*, inquit S. Dionysius, *ob nimiam charitatem, curam omnem propriæ salutis abjicientes . . . dum ægros secure atque audacter invisunt, eisque assidue ministrant, & curationem adhibent in Christo, una cum illis mortui sunt*. Ib. p. 269.

III. Aliorum doloribus in se translatis, subjungit Sanctus Episcopus, eorum morbo sunt repleti: *Aliorum ægritudine libentissime sese implentes, & proximorum morbum in semetipsos quodam modo attrahentes, doloresque eorum sponte sua exprimentes, atque extergentes*. Multi, qui alios infirmos curarunt ac confirmarunt, ipsi mortui sunt: *Multique . . . qui alios ægrotantes curaverant . . . ipsi interierunt*. Declarat deinde S. Dionysius, hoc mortis genus propter multam pietatem, ac robustam fidem toleratum, nihil a martyrio distare: *Adeo ut genus hoc mortis, ob pietatem fideique constantiam, nequaquam inferius martyrio censeatur*. Hac itaque præcipue de caussa inflammabantur Majores nostri, ut hæc charitatis officia modo recensita exercerent erga lue ægrotantes: si vero procedentibus sæculis flagrantissima charitas imminuta est, si defecit hæc in iisdem circumstantiis fidelium excellens pietas, ingenue fateamur oportet, longe distare nos a fide & charitate majorum nostrorum. In hoc siquidem distinguebantur olim fideles ab Ethnicis. Etenim fideles Sanctorum corpora supinis manibus ac sinu excipiebant, oculos deprimebant, ora claudebant, strictim complectebantur, lavabant, & ad sepulturam ornabant, Ethnici vero, vix dum initia morbi habebant, aversabantur, fugiebant ab amicissimis, ac semimortuos in plateas ejiciebant, & mortuos insepultos canibus dilacerandos exponebant, ut mortis participationem & communicationem effugerent, quam tamen, quantumvis multa machinati, haud facile poterant evitare. Quæ omnia ex eadem epistola S. Dionysii Alexandrini exscripta sunt.

§. II.

QUOMODO SE GERERE DEBEAT EPISCOPUS INTRUSUS.

Quomodo se gerere debeat Episcopus intrusus. Epist. ad Novat. l. 6. Hist. Eccl. cap. 45. Pag. 249.

DE re magni momenti agitur hoc loco, quam illustrat S. Dionysius in sua epistola ad Novatianum, qui Romanam Cathedram usurpaverat. Accipe hujusce Epistolæ summam, prout ab Eusebio profertur. „ Si invitus impulsus es, sicut dicis, declarabis hoc si voluntarius redieris: *Satius quidem fuerat quidvis pati, ne Ecclesia Dei discinderetur*. Nec est martyrium hoc, Ecclesiæ non scindendæ gratia toleratum, minoris gloriæ quam quod fertur propter idololatriæ recusationem. Immo meo judicio majoris etiam gloriæ est: nam illic pro una quidem anima martyrium toleratur, hic vero pro universa Ecclesia. Jam vero si persuaseris fratribus, vel coegeris etiam, ut ad concordiam redeant, majus erit factum hoc tam egregium, quam delictum quod præcessit: & illud quidem non imputabitur, hoc vero laudabitur. Si vero immorigeris persuadere nequiveris, *Tuam ipse animam serva* „. En igitur paucis verbis, quomodo se gerere debeat Pastor intrusus. Horrere debet Schisma, & hunc horrorem iis inspirare, qui ipsius partibus adhæserunt: quod si nequeat hos persuadere, tenetur nihilominus abdicare se dignitate. Legitimi sane Pastores ac sanctissimi viri oborto schismate non cunctantur abdicare dignitates: intrusi vero id recusabunt?

§. III.

QUID POST EORUM MORTEM AGENDUM SIT CUM SCRIPTORIBUS CATHOLICIS, QUI IN ALIQUOS ERRORES SINT PROLAPSI.

Tract. contra Nepot. l. 7. Hist. Eccl. c. 24. pag. 271.

ID nos docet S. Dionysius in quodam Tractatu contra Nepotem, quem jam defunctum ille reveretur, etsi fuisset primarius architectus erroris Millenariorum. „ Nepotem laudo, inquit Sanctus Episcopus, ac diligo, tum propter fidem sedulitatemque & exercitium in Scripturis, tum propter multam ipsius psalmodiam, qua etiamnum multi ex fratribus delectantur. *Magnoque honore ac reverentia hominem prosequor, vel ob id maxime, quod ex hac vita migravit. Sed veritatem magis diligo, cunctisque præferendam censeo* . . . Quod si præsens esset, prosequitur S. Dionysius, & nudo sermone dogma suum assereret, satis esset sine scriptis conferre, interrogandoque & „ respon-

III. SAECULUM.

„ respondendo adversarios convincere & conciliare. „ Quoniam vero scriptum extat, sicut quibusdam videtur admodum probabile, & nonnulli Doctores... „ hujus syngrammatis doctrinam tanquam magnum „ aliquod & absconditum mysterium continentem profitentur .... necessarium est, ut & nos velut praesentem fratrem nostrum Nepotem alloquamur „. Quaenam observationes huic moderationis exemplo conveniant, apud Scriptores judicium esto.

§. IV.

QUOMODO INEUNDA SIT DISPUTATIO DE REBUS AD RELIGIONEM SPECTANTIBUS.

UT hoc discamus, ab eodem hoc Tractatu contra Nepotem discedendum non est: nam S. Dionysius ibidem de hac re nos mirifice instruit his verbis: „ Cum in Arsenoite essemus, ubi, sicut nosti, diu „ antea dogma hoc emersit, ita ut schismata, & integrae ab Ecclesiis defectiones fierent, (de errore Millenariorum loquitur) convocatis Presbyteris & Doctoribus ex Fratribus illorum vicorum, praesentibus „ etiam fratribus quotquot adesse volebant, publice „ eos ad Dogmatis hujus inquisitionem adhortatus „ sum .... Totum triduum una cum illis a mane ad „ vesperam usque consideus, quae in eo scripta sunt, „ (intelligit hoc loco Tractatum Nepotis, cui titulus, Refutatio Allegoristarum) discutere conatus „ sum. Ubi etiam constantiam, veritatis studium, tractabilitatem, & intelligentiam in fratribus vehementer sum admiratus, quod recto ordine, & cum „ aequabilitate interrogarent ac responderent, & obsequerentur, nec ullo modo contentiose quae semel „ statuerant, si falsa esse deprehenderentur, retinere, „ nec rursus contradictiones subtrahere conarentur. „ utique quantum fieri poterat, confirmabamus nostras opiniones: *Sin autem rationibus convicti essemus, non pudebat nos mutare sententiam, & aliis assentiri*: bona cum conscientia absque ulla hypocrisi, cordibus ad Deum expansis, quae demonstrationibus, ac divinarum Scripturarum doctrinis comprobabantur, complectebamur. „ Hujusce naturae ei se deberent colloquia omnia quae instituuntur in rebus magni momenti. Si recensitae regulae observarentur, uberior ex illis fructus reportaretur, quam reipsa reportari contingit. Sed heu! quam raro hujusmodi negotia tanta moderatione pertractantur: hinc sequitur, ex hisce colloquiis veritates magis implicari quam illustrari.

§. V.

FIDELITAS ET OBSERVANTIA VETERUM CHRISTIANORUM ERGA PRINCIPES ETIAM INFIDELES.

Epist. ad Herman. lib. 7. Hist. Eccl. c. 23. pag. 270.

ÆDificat sane S. Dionysius dum Imperatorem sua aetate regnantem, religiosissimum appellat, Deique amantissimum: *Religiosissimus, Deique amantissimus Imperator*: (loquitur de Imperatore Gallieno) Subjungit, Christianos celebraturos esse nonum imperii sui annum: *Nonum imperii annum degit, quo nos festa celebraturi sumus*: & in alia epistola agnoscit, Deum tradidisse imperium Valeriano & Gallieno Augustis: *Qui Valeriano & Gallieno sacratissimis Augustis imperium tradidit*. Et tandem concludit, Christianos continuas preces offerre consuevisse pro imperii illorum incolumitate ac tranquillitate: *Huic (Deo) continuas preces offerimus pro imperio illorum, ut stabile & inconcussum permaneat*. Vidimus jam supra in aliis Patribus non absimilia exempla fidelitatis & observantiae fidelium erga Principes.

Epist. ad Germ. l. 7. Hist. Eccl. cap. 1. pag. 258.

§. VI.

POTESTAS CHRISTIANORUM IN DAEMONES; ALIAQUE, QUAE OBSERVATIONE SUNT DIGNA.

Christiani imperium in daemones exercebant, itque illis parebant. Epist. ad Herm. l. 7. cap. 10 pag. 256

I. DE antiquis fidelibus testatur luculentissime Sanctus Dionysius Alexandrinus, eos sola praesentia disturbare solitos fuisse praestigias daemonum, exorcismos super obsessos instituendo: *Erant enim*, verba sunt vetusti hujus Episcopi, *& sunt etiamnum ejusmodi, qui vel praesentia atque aspectu suo, & insufflantes dumtaxat ac vocem edentes, Daemonum praestigias disturbare possint*.

S. Dionysii reverentia erga simplices Presbyteros.

II. Animadvertendum insuper est in S. Dionysio Alexandrino, Sanctum hunc ac doctum antiquitatis Antistitem reverentia ductum fuisse erga simplices Presbyteros, ut ex quibusdam suis epistolis in quibus Compresbyteros eos vocat: *Compresbyteri συμπρεσβύτεροι*. Nec novus est hic titulus in S. Dionysio; & observavimus jam, omnes Episcopos primorum saeculorum communiter hoc nomine decorasse Presbyteros, quos reipsa respiciebant ut confratres & cooperatores in ministerio Ecclesiastico.

Epist. ad S. Stephanum, l. 7. Hist. Eccl. c. 5. p. 252. & epist. ad S. Germ. lib. 7. c. 11. pag. 257. Lectio Hereticorum aeque utilis est fortioribus, ac imbecillis exitiosa. Epist. ad Philem. l. 7. Hist. Eccles. pag. 251.

III. Tandem quae habet S. Dionysius circa lectionem Haereticorum, in quadam sua epistola ad Philemonem Romanae Ecclesiae Presbyterum, ea mehercle sunt, quae praetermitti haud possint. „ Ego vero & „ jam Haereticorum commentarios, & traditiones le„ gi, inquit Sanctus Episcopus, parumper quidem „ animum meum impurissimis illorum cogitationibus „ commaculans, verum id juxta utilitatis inde ca„ piens, ut eas apud meipsum redarguam, & multo „ amplius abominer. Et cum a fratre quodam Presby„ tero prohiberer, qui verebatur ne malitiae illorum „ scriptorum coeno involverer, unde anima mea per„ deretur, qui, ut sensi, verum dicebat, visio quae„ dam divinitus oblata est, quae me confortaret, & „ sermo ad me factus perspicue praecepit dicens, *Lege „ omnia quaecunque in manus venerint*: valebis enim „ omnia expendere & probare. Et hinc tibi initio da„ ta est fidei occasio. Acceptavi visionem hanc con„ cludit S. Dionysius tamquam Apostolicae voci con„ formem, ad potentiores dicenti: Sitis probati dis„ pensatores „. Ex his igitur constat, librorum haereticorum lectionem aeque fortioribus, qui ut refutent legunt, utilem esse, ac exitiosam imbecillis qui legunt ut commaculentur. Regula ista tum sapientia plena est, tum prudentia, dum scilicet praefata lectio primis permittitur, secundis districtim prohibetur.

APPENDIX

ALIQUA DISCIPLINAE PUNCTA COMPREHENDENS.

I. ANtequam tradendae doctrinae S. Dionysii Alexandrini finem imponam, perjucundum erit lectori si in hac Appendice exposuero quae tradit Sanctus Episcopus quoad Disciplinam; quemadmodum in aliis Patribus a me peractum est. Primo itaque loco S. Dionysius in quadam epistola ad Domitium & Didymum, quam citat Eusebius, probat, festum Paschatis aliter celebrandum non esse, quam post vernale Solstitium. *Alteram*, inquit Eusebius, *Domitio ac Didymo (nuncupavit) in qua probans, festum Paschae diem nonnisi post aequinoctium vernum celebrari oportere*.

Tempus celebrandi festum Paschatis. Epist. ad Domit. & Did. l. 7. Hist. Eccl. cap. 20. pag. 266.

II. Pariter in sua Epistola ad Basilidem alia, eaque notabilia Disciplinae puncta indicat Sanctus Alexandrinus Episcopus. Consilium a S. Dionysio petierat Basilides de pluribus articulis, quorum praecipuus erat, quanam hora in solemnitate Paschali jejunium frangi posset: sentiebant siquidem nonnulli, ante Galli cantum id fieri posse, post transactum tamen integrum sabbatum in jejunio: dicebant alii, frangi posse jejunium vespere sabbati. Priusquam autem huic interrogationi respondeat S. Dionysius, principii loco ponit, festivitatem seu laetitiam paschalem tunc solum incipiendam esse, quando Jesus Christus resurrexit. Subjungit, difficillimum esse horam praecise determinare, in qua Christus resurrexit, sive quia Evangelici Scriptores hanc non designaverunt, sive quia diverso penitus pacto loquuntur de hora, in qua piae mulieres venerunt ad sepulcrum: verum impossibile non est, juxta S. Dionysium, hac in re Evangelistas simul conciliare; & saltem certum est, omnes illos, nemine excepto, in hoc convenire, quod Christus Dominus dominico die ante solis ortum resurrexit. Hoc praejacto fundamento, sic propositam quaestionem dirimit.

Diversae consuetudines circa tempus frangendi jejunium in vigilia Paschatis. Epist. Canon. ad Basilid. Tom. I. Concil. P. Labbei. pag. 831. 832. 833.

III. Declarat iis qui sollicite dignoscere cupiunt horam, dimidium horae, quadrantem, quo jejunium solvi potest, habere se uti intemperantes eos omnes, qui nimium festinant, & ante mediam noctem jejunium solvunt: *Eos .... qui nimium festinant, & ante mediam noctem jejunium solvunt, ut negligentes & intemperantes reprehendimus*. Laudat vero eorum virtutem, qui usque ad quartam vigiliam differunt. *Eos autem qui differunt .... & ad quartam usque vigiliam fortiter abstinent .... ut generosos .... suscipimus*. Tradit deinde S. Dionysius, aequalem non fuisse apud omnes fideles sex diebus ante Pascha jejunii tolerantiam, sed quosdam per sex, alios per quatuor, alios per tres, per duos, per nullum diem jejunium servasse: *Quandoquidem nec sex jejuniorum dies aequali aut simili tolerantia omnes perferunt; sed alii quidem vel omnes transmittunt, jejuni permanentes, alii duos, alii tres, alii quatuor, alii nullum*. Immo quidam inter fideles tantum abest quod per sex sequentes dies jejunarent, ut potius quatuor primis diebus epularentur splendide, ut eo modo seipsos disponerent ac pararent ad perferendum tollerabilius jejunium feriae sextae & Sabbati: quam consuetudinem non admodum probat Sanctus Episcopus, aitque, horum

Decisio S. Dionysii quoad hoc Disciplinae punctum. Ib. p. 834.

Variae, diversaeque Consuetudines circa jejunium sex dierum ante Pascha. Ib. p. 835.

III. SÆCULUM.

rum pugnam haud similem esse pugnæ illorum, qui post plurium dierum abstinentiam ab esca, cum viribus destituantur, citius jejunium solvunt.

Nolebat S. Dionysius, eas mulieres, quæ recens in lucē partum ediderant, easque quæ mulieribus familiaria incommoda patiebantur, ad sacram mensam accedere. *Ibid.*

IV. Consultus insuper S. Dionysius circa mulieres quæ recens in lucem partum ediderant, & quæ mulieribus familiaria incommoda patiebantur, num iisdem permitti posset ingressus in Ecclesiam, & sacrorum mysteriorum participatio; respondet Sanctus Episcopus, se nequaquam arbitrari, mulieres, dum in eo statu permanent, ausuras ad sanctam mensam accedere, vel attingere corpus & sanguinem Domini. *Neque enim*, conceptissima ejus verba sunt in responsione ad Basilidem, *ipsas arbitror, si sint piæ, & fideles, sic affectas, ausuras vel ad sanctam Mensam accedere, vel corpus & sanguinem Domini attingere*. Hancque decisionem probat ipse exemplo evangelicæ mulieris, quæ sanguinis fluxum passa duodecim annis, non est ausa tangere, nisi fimbriam vestimenti Salvatoris; & concludit, neminem debere accedere ad corpus & sanguinem Jesu Christi, qui non sit purus anima & corpore: *Ad Sancta autem Sanctorum, qui non anima & corpore purus est, accedere prohibetur.*

III. SÆCULUM.

Continentia eorum, qui matrimonio juncti sunt. *Ibid.*

De impuritatibus non voluntariis, quas noctu aliqui experiuntur. *Ibid.*

V. Quoad eos vero qui matrimonio juncti sunt, mandat S. Dionysius, ut quibusdam temporibus continentiam colant, quemadmodum docet Apostolus: Et quoad illos, qui noctu involuntarias impuritates patiuntur, eorum conscientiæ relinquit discernere, num ad Eucharistiam accedere debeant, vel ab eadem abstinere. *Qui autem in non voluntario nocturno fluxu fuerint; hi quoque propriam conscientiam sequantur*. Observare autem omiseram, quod etsi S. Dionysius non permittat mulieribus, de quibus supra, sacrorum mysteriorum participes esse, illis tamen non vetat Ecclesiæ precibus interesse, immo & orare, in quacunque tandem reperiantur corporis positione. Cæterum hæc Sancti Episcopi Alexandrini doctrina summam venerationem erga Sanctam Eucharistiam ostendit potius, quam Ecclesiæ hac in re consuetudinem.

DO-

DOCTRINA NOVATIANI ROMANI PRESBYTERI.

ANIMADVERSIONES PRÆMITTENDÆ.

Lugendum sane est, Novatianum a Catholicorum communione recessisse, ut Schismatis & Hæresis partes tueretur. Magni ingenii vir cum esset, poterat pro Religione multos exantlare labores, & mira qua pollebat eruditione ac eloquentia gloriosum inter veritatis patronos nomen obtinere. Bini ejus Tractatus, qui supersunt adhuc, necnon Epistola Cleri Romani, quæ eidem adscribitur, id mirifice evincunt. Omnia hæc conscripta sunt terso sermone, puro & eleganti; selectæ sunt phrases, simplices ac naturales ideæ, recta accurataque ratiocinia. In ejus Scriptis elucent præclarissime ordo, methodus, mansuetudo, moderatio. Ipsius Tractatus reperiuntur immediate post observationes Pamelii in Tertullianum. De Trinitate inscribitur unus, qui plurima complectitur principia apprime orthodoxa, de Deo ejusque perfectionibus, de Trinitate, de Divinitate Verbi ejusque Incarnatione. Alterius titulus est *De cibis judaicis*, in quo illud præcipue ostendere intendit Novatianus, distinctionem scilicet inter puros ac impuros cibos, in Evangelica lege minime obtinere. Quoad Epistolam Romani Cleri, quæ Novatiano tribuitur, extat hæc inter Epistolas Divi Cypriani, & est numero trigesima in Oxoniensi editione.

SECTIO PRIMA.

PUNCTA DOGMATICA.

Etsi pauca admodum, eaque brevissima vetusti hujus Romani Presbyteri Opera ad nos pervenerint, occurrunt nihilominus in ejus Tractatu de Trinitate, qui fusiori calamo exaratus est, innumera pene dixerim pretiosa fragmenta quoad præcipuas christianæ doctrinæ veritates. Ibi siquidem deprehenditur, quid de Deo sentiendum sit ejusque essentialibus perfectionibus; quænam sit fides Ecclesiæ circa Mysterium Sanctissimæ Trinitatis, & Jesu Christi Divinitatem. Reprehenditur insuper quoad Incarnationem quidquid accuratum magis magisque orthodoxum proferri possit de veritate hujusce Mysterii, & de modo quo peractum est. Exscribamus igitur ex Novatiano præclara hæc monumenta fidei Majorum nostrorum, nec terreat nos Auctoris nomen. Veritas semper veritas est, adeoque summa veneratione semper suscipienda est a quacumque tandem parte proveniat. Quin immo majorem illa vim habet, ut inquiebat eruditus hic sed infelicissimus Presbyter, si quando ab Ecclesiæ adversariis proferatur. *Firmum est genus probationis, quod etiam ab adversario sumitur, ut veritas etiam ab ipsis inimicis veritatis probetur.* (a)

CAPUT PRIMUM.

DE DEO, DIVINISQUE EJUS PERFECTIONIBUS ABSOLUTIS.

Solus Deus Omnipotens, & Creator Universi. Tract. de Trinit. c. 1. p. 737.

I. Novatianus initio sui Tractatus de Trinitate docet, teneri nos, prout præscribitur in Symbolo, quod Regulam fidei seu veritatis nuncupat ille hoc loco, teneri, inquam, credere in Deum Patrem, & Dominum Omnipotentem, Universi conditorem. *Regula exigit veritatis*, inquit ille, *ut primo omnium credamus in Deum Patrem & Dominum Omnipotentem, idest rerum omnium perfectissimum conditorem*. Deus iste non solum creavit cœlum & terram, sed insuper hæc omnia propriis & condignis instrumentis & ornata & plena digessit. Creavit ille hominem ad imaginem suam, cui mentem & rationem indidit, & prudentiam, *ut Deum posset imitari*.

Deus Creator Hominis. Ibid.

II. Deus Creaturas omnes in servitutem illi dedit: *Solum liberum esse voluit*. Quod quidem intelligi debet in sensu vetusti hujus Patris, qui a libertate solas excludit irrationales creaturas, non vero substantias spirituales, quales sunt Angeli, quibus dubitari non potest quin libertatem, non secus ac homini, asseruerit. Liber esse debuerat homo, prosequitur ille, *ne incongruenter Dei imago serviret*; & lex addenda, ne usque ad contemptum dantis libertas effrænata prorumperet. Hæc vero libertas, qua Deus hominem donavit, in hoc posita erat, ut posset homo ex se suaque voluntate vel bonum vel malum eligere: *Suum jam habens illud, quod motu mentis in alterutram partem agitare voluisset*. Hinc sequitur, hominem propriæ ærumnæ caussam esse, *qui cum illam posset evadere, in eamdem incurrit*.

Deus Creator Angelorum. Ibid.

III. Ante hominis creationem Deus jam creaverat Angelos: *Quamquam* .... inquit Novatianus, *Angelos prius instituerit*; cosque in superioribus cœli partibus locaverat, quæ non sunt hodie nostris contemplabiles oculis: pariter spiritales virtutes digesserat, thronos, potestatesque præfecerat, *Et alia multa calorum immensa spatia, & sacramentorum infinita opera*. Asserit Novatianus, immensa hæc spatia, aliaque Sacramentorum opera, condita fuisse antequam mundus qui nostris subjicitur oculis conderetur: hinc mundus quem nos incolimus, per Novatianum est postremum opus manuum Omnipotentis, minime vero solum: *Ut immensus licet hic mundus, pene novissimum magis .... appareat opus esse, quam solum*.

Unitas Divina probatur a Novatiano. cap. 30. Pag. 762.

IV. Unitas Dei tum Scripturarum auctoritate, tum ratione demonstrari potest. Scripturarum quidem auctoritate, cum passim Sacræ litteræ id tradant. „ Nos „ scimus, & legimus, inquit Romanæ urbis Presby- „ ter Novatianus, & credimus, & tenemus, unum „ esse Deum, qui fecit cœlum pariter & terram; quo- „ niam nec alterum novimus, aut noscere (cum nul- „ lus sit) aliquando poterimus. Ego sum, inquit „ Deus, & non est præter me justus & salvans. Ego „ primus & novissimus, & præter me non est Deus. „ Quis sicut ego .... Ut sciant omnes, quia tu es „ Deus solus „. Hæc sunt notabiliora quæ profert Novatianus Sacræ Scripturæ oracula ut Dei Unitatem ostendat. Eamdem hanc veritatem probat ipse ratione hoc pacto. Principii loco ponit, Deum esse ens summum: *Deus enim*, inquit ille .... *summum sit necesse est*. Summum autem quidquid est, ita demum summum esse oportet, dum extra comparem est: *Ideo & unus (Deus) pronuntiatus est, dum parem non habet*. Ipsa rerum natura dictat, *Quoniam nec duo infinita esse possunt*. Hinc recta consequitur, Deum unum esse. *Cap. 4. Pag. 74-.*

Simplicitas & spiritualitas Dei. c. 5. pag. 741.

V. *Est enim (Deus) simplex, & sine ulla corporea concretione .... quandoquidem spiritus sit dictus*. Utique Scriptura Deo tribuit oculos, brachia, manus, pedes, aliaque humani corporis membra. Verum non intendit Scriptura hisce formulis Dei essentiam exprimere, hoc est, veram Dei naturam nobis repræsentare; sed solummodo eum sic proponere, qualem capere humana mens potest: *Non quomodo Deus erat, sed quomodo populus capere poterat*. Ut igitur hæc sic de Deo dicantur, non Deo, sed populo potius imputetur:

(a) Tract. de Trinitate, c. 18. p. 749. Edit. Pamelii.

III. SECUNDUM.

tur: *Nec igitur mediocris est Deus; sed populi mediocris est sensus.*

Quid intelligendum veniat per membra, quæ in Scripturis Deo tribuuntur. cap. 6. pag. 741.

VI. Cui præclarissimæ observationi subjungit Novatianus, Scripturam per membra, non corporalia lineamenta, sed diversas Dei operationes ostendere: *Efficacia igitur ibi divina per membra monstrantur.* Nam & cum oculi describuntur, prosequitur idem Presbyter, quod omnia videat, exprimitur. Et quando auris, quod omnia audiat, proponitur. Et cum digitus, significantia quædam voluntatis aperitur; & sic de reliquis. *Neque enim sunt ei aut membra, aut membrorum officia sunt necessaria, ad cujus solum .... arbitrium, & serviunt & adsunt omnia.* Cur enim requirat oculos, qui lux est? Aut cur quærat pedes, qui ubique est? Aut cur manus expetat, cujus mens ad omnia instituenda artifex est & silens voluntas? Nec auribus eget, qui etiam tacitas novit voluntates. Aut propter quam caussam linguam quærat, *Cui cogitare, jussisse est?* fateamur ingenue, omnes has ideas nobilissimas ac sublimes esse, hisque indigitari Auctoris sui eximium ingenium.

Immensitas, Providentia, & Æternitas Divina, c. 2. pag. 738.

VII. Super omnia Deus continens cuncta, nihil extra se vacuum deserens, nulli Deo superiori locum reliquit: quandoquidem ipse universa sinu perfectæ magnitudinis & potestatis incluserit, *intentus semper operi suo*, & vadens per omnia, & movens cuncta, & vivificans universa, & conspiciens tota, quæ nulla vi dissolvi possint, nisi solius Dei qui fecit. Hunc legimus omnia continere; & ideo nihil extra ipsum esse potuisse: ob hanc ergo caussam semper immensus, quia nihil illo majus est: semper æternus, quia nihil illo antiquius: præcedi a nullo potest, dum non habet tempus; & tandem se debitorem nemini sentit.

Bonitas Dei. c. 3. pag. 739.

VIII. Dei Bonitatem Universus testatus Orbis: *Cujus bonitatis totus testis est mundus:* quem (mundum) non instituisset, nisi bonus fuisset. Nam si omnia (quæ creavit) bona valde, consequenter ac merito & quæ instituta sunt bona, bonum institutorem probaverunt: & quæ a bono institutore sunt, aliud quam bona esse non possunt, ex quo omne malum secessat a Deo. Nec enim potest fieri ut sit initiator, aut artifex ullius mali operis, qui nomen sibi perfecti vindicat, & parentis, & judicis: maxime cum omnis mali operis vindex sit & judex, quoniam & non aliunde occurrit homini malum, nisi a bono Deo recessisset. Deus igitur mali auctor non est.

IX. Deus semper sui est similis, nec se unquam in aliquas formas vertit aut mutat, ne per immutationem etiam mortalis esse videatur. Ideo nec adjectio in illo unquam ullius aut partis, aut honoris accedit; ne quid unquam perfecto defuisse videatur. *Quod est, id semper est .... semper ipse est; & qualis est, semper talis est:* nam & incrementa originem monstrant, & detrimenta mortem atque interitum probant. Statum suum semper tenet; & ideo dicit: *Ego sum qui sum.* (a)

Ejus Immutabilitas. c. 4. pag. 740.

X. Cujus (Dei) etiamsi Iracundias legitimas & indignationes quasdam descriptas (in sacris litteris) tenemus, & odia relata cognoscimus; non tamen hæc intelligimus ad humanorum relata esse exempla vitiorum: hæc enim omnia etsi hominem possint corrumpere, divinam vim non possunt omnino vitiare. Passiones enim istæ in hominibus merito esse dicuntur, in Deo non merito judicabuntur: *Corrumpi enim per hæc homo potest, quia corrumpi potest; corrumpi per hæc Deus non potest, quia nec corrumpi potest.* Habent igitur (passiones istæ) vim suam quam exerceant, sed ubi præcedit passibilis materia, non ubi præcedit impassibilis substantia. Nam & quod irascitur Deus, non ex vitio ejus venit, sed ad remedium nostrum illud facit. *Indulgens est enim etiam tunc cum minatur;* dum per hæc homines ad recta revocantur.

Quo pacto interpretari oporteat passiones quas Scriptura Deo tribuere videtur. cap. 5. pag. 740.

XI. De Deo, ac de eis quæ sunt ipsius, & in eo sunt, nec mens hominis quæ sint, quanta sint, & qualia sint, digne concipere potest, nec eloquentia sermonis humani æquabilem majestatis ejus virtutem sermone exponit. *Ad cogitandam enim & ad eloquendam illius majestatem, & eloquentia omnis merito muta est, & mens omnis exigua est.* Major est enim mente ipsa, *Nec cogitari possit quantus sit: ne, si potuerit cogitari, mente humana minor sit, qua concipi possit.* Perspicuum sane est, hoc loco sermonem esse de cognitione comprehensiva totius divinæ essentiæ, qualis realiter est; quæ cognitio homini reipsa est impossibilis, cum solus Deus seipsum perfecte cognoscere possit.

Incomprehensibilitas Divina. c. 2. pag. 738.

XII. Fatetur Novatianus, posse nos aliquo pacto Deum cognoscere; verum validissime tuetur, non posse nos eum explicare ut reipsa est. *Sentire illum*, verba sunt vetusti hujus Presbyteri, *taciti aliquatenus possumus; ut autem ipse est, sermone explicare non possumus.* Idque probat sic. „ Sive enim illum dixeris „ lucem, creaturam ipsius magis, quam ipsum dixeris, ipsum non expresseris: sive illum dixeris virtutem, potentiam ipsius magis, quam ipsum dixeris, & deprompseris: sive majestatem dixeris, honorem ipsius magis, quam illum ipsum descripseris. Semel totum explicabo „. *Quidquid omnino de illo retuleris, rem aliquam ipsius magis & virtutem, quam ipsum explicaveris.*

Ineffabilitas Dei. cap. 2. pag. 738.

XIII. Nec ullus admirationi locus esse potest. *Quid enim de eo condigne dicas aut sentias, qui omnibus & sermonibus & sensibus major est.* Quid de eo condigne dicas, qui est sublimitate omni sublimior, & omni claritate clarior, omni pulchritudine pulchrior, omni justitia justior? Minora enim sint necesse est omnium genera virtutum eo ipso, qui virtutum omnium & Deus & parens est: *Cui comparari nihil potest; super omne est enim quod dici potest.*

Ib. p. 739.

XIV. Certum igitur indubitatumque est, non posse nos sermone Deum explicare, nec illum comprehendere; nostrasque ideas immensum ab ipso significando distare: verum, hoc non impedit, quominus aliquam ipsius ideam efformemus, & aliquo modo eumdem cognoscamus. Eum siquidem cognoscimus, etsi imperfecto modo, consideratione creaturarum; & eum de operum magnitudine, & virtute, & majestate condiscimus: invisibilia enim a creatura mundi per ea, quæ facta sunt intellecta conspiciuntur. Ex Creaturarum pulchritudine, Creatoris pulchritudinem cogitamus; ex manifestis, quæ occulta sunt condiscimus, ex operum magnitudine, magnitudinem artificis: *Ut animus ex manifestis occulta condiscens, de operum magnitudine .... artificis magnitudinem cogitaret.*

Deum cognoscimus ex consideratione Creaturarum.

XV. *Hunc ergo Deum ....* concludit Novatianus, *novit & veneratur Ecclesia*; cui (Deo) testimonium reddit tam invisibilium, quam etiam visibilium, & semper, & tota natura: quem Angeli adorant, astra mirantur, maria benedicunt, terræ verentur: *Quem mens omnis humana sentit, etiamsi non exprimit.* (Notabilia sane verba!) Cujus imperio omnia commoventur, fontes scaturiunt, amnes labuntur, fluctus assurgunt, venti spirare coguntur, imbres veniunt, foecunditates suas cuncta ubique diffundunt. Hanc Dei, ejusque divinarum perfectionum ideam perhibet Novatianus. Videamus modo quæ tradat ipse circa Mysterium Sanctissimæ Trinitatis.

Idea Dei cap. 8. pag. 742.

CAPUT SECUNDUM.

TRINITAS DIVINARUM PERSONARUM.

I. Nisi oculos nostros nos ipsi occludere velimus, fieri nequit, quin deprehendamus a Novatiano assertam distinctionem Divinarum Personarum, nihil obstante perfecta earumdem Personarum identitate naturæ. Duas has veritates tam perspicue docet ipse in suo Tractatu de Trinitate, ut quicumque vel mediocri attentione eum percurrerit, illico deprehendat necesse est Orthodoxam Novatiani doctrinam & fidem quoad duo hæc primaria Religionis nostræ Dogmata, de quibus in præsenti Capite differere in animo est.

II. Initio hujus Tractatus monet Auctor, debere nos primo credere in Deum Patrem & Dominum Omnipotentem, idest rerum omnium perfectissimum conditorem. *Regula exigit veritatis*, inquit ille, *ut primo omnium credamus in Deum Patrem.* Ex eadem vero regula veritatis, videlicet symbolo, uti superius observavimus, debemus deinde credere in Dei filium Jesum Christum &c. *Eadem regula veritatis*, pergit Novatianus, *docet nos credere, post Patrem, in Filium Dei Christum Jesum Dominum Deum nostrum.* Tandem prope finem ejusdem Tractatus, expresse docet, debere nos credere in Spiritum Sanctum, olim Ecclesiæ repromissum, sed statutis temporum opportunitatibus redditum: *Sed enim ordo rationis & fidei auctoritas digestis vocibus & litteris Domini admonet nos post hæc credere etiam in Spiritum Sanctum.* Habes igitur tres Divinas Personas perspicue a Novatiano distinctas, qui paulo infra hæc habet: *Et hæc quidem de Patre, & de Filio, & de Spiritu Sancto.* Ex quibus eruitur, per conjunctionem &, sicuti & per adverbium *etiam* textus supra recensiti, hoc loco sermonem esse de tribus Personis distinctis, quarum una non est alia. Certum igitur primo loco firmumque manet, Novatianum a nemine insimulari posse, quod in errorem Sabellii prolapsus sit.

Tres Divinæ Personæ distinctæ. cap. 1. pag. 737. Cap. 9. pag. 743.

Cap. 29. pag. 760.

Cap. 30. pag. 762.

III. Tan-

(a) Exod. cap. 3. vers. 14.

III. SECULUM.

III. Tantum abest quod Novatianus in suspicionem præfati erroris vocari possit, ut ipse ex professo eumdem exagitet sub titulo Sabellianæ hæresis: *Sabelliana hæresis*, ut ipsius verbis utar. Qui sane Sabellii error cum in hoc præcise positus esset, quod Patris personam cum persona Filii confunderet, ita ut Pater ac Filius una eademque Persona essent; hinc Novatianus probare satagit, Patrem & Filium esse duas Personas distinctas, Patrem esse primam personam, Filium secundam: quod revera directe opponitur systemati Sabellianorum, nolebant siquidem illi, Filium esse secundam personam a Patre diversam: *Nolunt enim illum secundam esse Personam post Patrem*. Contendit autem Novatianus, nullo negotio errorem hunc exsufflari posse, & vel sola sacrarum litterarum lectione oppositam veritatem certo constare. Inter cætera vero Scripturarum oracula, quibus laudatam veritatem constare asserit Novatianus, illud Geneseos (*a*) recenset: Faciamus hominem ad imaginem & similitudinem nostram: quo loco censet ille cum cæteris antiquissimis Scriptoribus, Patrem alloqui Filium suum: atque inde concludit, Filium esse Personam a Patre diversam: *Quis enim*, inquit Romanus Presbyter, *non secundam Filii post Patrem agnoscat esse personam, cum legat dictum a Patre consequenter ad Filium: Faciamus hominem ad imaginem & similitudinem nostram?*

Cap. 12. pag. 745.
Cap. 21. pag. 751.
Probatur Personalis distinctio Patris & Filii. Cap. 21. pag 751.

IV. Hanc eamdem veritatem dicit Novatianus designatam aliis Geneseos verbis, videlicet: Ad imaginem Dei fecit illum. (*b*) Insuper istis: Pluit Dominus ignem & sulphur a Domino de cœlo. (*c*) Et re quidem vera primis Ecclesiæ sæculis adeo certum erat apud fideles, præfatis oraculis designari distinctionem primæ, ac secundæ Personæ Sanctissimæ Trinitatis, ut Patres omnes qui ante Novatianum floruerunt, idipsum cum Novatiano hac in re senserint ac docuerint, quemadmodum observare facile fuit; nec non Concilium Sirmiense, contra Photinum congregatum, anathema dixerit in eos, qui assererent, postremum allatum Geneseos oraculum, de solo Patre intelligendum esse. Veteres ex recensitis Scripturarum locis inferebant insuper Verbi Divinitatem, & cum Patre consubstantialitatem; ita ut iisdem oraculis sacrarum Scripturarum, tum distinctionem Patris & Filii, tum perfectam eorum consubstantialitatem evincerent. Judæi utique, quemadmodum observat R. P. Calmet, (*d*) ut nobis argumentum eripiant pro Fidei dogmate asserendo, defendunt, verba illa Hebraismum referre; perinde autem valere ac si diceretur: Pluit Dominus per seipsum. Hanc opinionem tuentur pariter Vatablus, aliique nonnulli. Grotius aliter hunc textum interpretatur. „ Porro, subjungit eruditissimus Calmet, phrases, quibus Textus sacer exprimitur in Originali, Divinum aliquid & extraordinarium præferunt, ut exprimant, pluviam illam non prodigio tantum datam fuisse, & copia præstitisse cæteris, sed & causa pariter & origine nihil habuisse cum aliis commune. „

Ibid. pag. 752.

V. Reliqua Scripturarum oracula quæ profert Novatianus contra Sabellianorum errorem sunt 1°. hæc Dei Patris ad Filium verba: Filius meus es tu, ego hodie genui te. (*e*) 2°. hæc verba Psalmistæ: Dixit Dominus Domino meo, sede a dextris meis. (*f*) 3°. Hæc Isaiæ: Hæc dicit Dominus Christo meo Domino. (*g*) 4°. Hæc ipsius Christi Domini: Non descendi de cœlo ut faciam voluntatem meam, sed voluntatem ejus, qui misit me. (*h*) Et iterum: Qui misit me, major me est. (*i*) Et alibi: Eo ad Patrem meum. (*k*) „ Et satis longum facio „ (prosequitur Novatianus, recitatis jam pluribus „ aliis Scripturarum oraculis) si enisus fuero omnes „ omnino ad hanc partem voces congregare, quæ „ ubique ostendunt &c. .... Quid enim tam evidens poteit esse, hunc non Patrem esse, sed Filium, quam quod obediens Patri Deo proponitur? „

Cap. 21. Pag. 751.

VI. Sabelliani frequenter objiciebant ea Christi Domini verba: *Ego & Pater unum sumus*. (*l*) Verum & in hoc illos facile vincemus, inquit Novatianus: Si enim erat, ut hæretici putant, Pater Christus, oportuit dicere, Ego & Pater unus sum. At cum *Ego* dicit, deinde *Patrem* infert, dicendo: *Ego & Pater*, proprietatem personæ suæ, idest Filii, a paterna auctoritate discernit atque distinguit, non tantummodo de sono nominis, sed etiam de ordine dispositæ potestatis. Qui potuisset dicere, *Ego Pater*, si patrem se esse meminisset. *Et quia dixit unum*, concludit Romanus Presbyter, *intelligant heretici, quia non dixit unus. Unum enim neutraliter positum, societatis concordiam, non unitatem personæ sonat; unum enim unus esse dicitur, quoniam nec ad numerum refertur, sed ad societatem alterius exprimitur*. Eandem hujusce textus interpretationem observavimus jam in Tertulliano, qui reipsa tantum adversatur errori Sabellianorum, quantum illi falso autumant Tertullianum eidem favere.

Objectio Sabellianorum soluta. Cap. 22. Pag. 752.

VII. Cæterum observandum est, Novatianum numquam simul confundere tres divinas Personas, sed semper accuratissime distinguere personales earum proprietates, earum operationes, ac peculiares denominationes. Et re quidem vera quod postremum hoc attinet, ipse appellat primam Trinitatis personam, Patrem, secundam vero Filium, tertiam tandem Spiritum sanctum; & tribus hisce nominibus distinguit illas tres Divinas Personas, ut facile fuit animadvertere initio hujus Capitis. Quoad operationes vero, de solo Patre dici potest, quod sanctificaverit Filium; solus Pater misit Filium, ut luculentissime Filius ipse testatur hisce verbis: *Quem Pater sanctificavit, & misit in mundum*. (*m*) Deinde, solus Filius caro factus est, solus Filius de cœlo descendit ut salvaret genus humanum: ergo Pater ac Filius una eademque persona non sunt.

Operationes distinctæ & personales Patris & Filii. Cap. 22. pag. 753.

VIII. Verum actualis Filii existentia, distincta ab existentia actuali Patris etiam ante Incarnationem apertissime ex eo colligitur, quod non Pater, sed solus Filius apparuit Abrahæ, Jacob, ac cæteris Patriarchis: *Nec tunc Pater visus est, sed Filius*. Solus hic Filius hospes est Abrahæ; Ipse Agar fugatam de domo Abrahæ cum puero consolatur & visitat; ipse cum Jacob loquitur, & dirigit eum in omnibus viis suis. Et, ut altiora petamus, de solo Filio in Scripturis dicitur, quod descendit ad turrim quam ædificabant Filii hominum, & confudit illic ipsorum linguas, ut non audiret unusquisque vocem proximi sui; atque ita divisit eos, ex illo loco in universas terras, & cessaverunt ædificare. Quidquid de vetustis hisce Scripturæ interpretationibus sentiant eruditi, certum semper indubitatumque manebit, hisce oraculis Patres consuevisse prodere ac tueri propriam fidem quoad distinctionem Divinarum Personarum; & hoc esse validissimum momentum, quod ex eorum scriptis depromitur pro Mysterio Sanctissimæ Trinitatis.

Peculiares Filii operationes. Cap. 26. & 27. pag. 756. 757. & 758.

IX. Quoad operationes Spiritus sancti, in Novatiano notabiliores mihi visæ sunt sequentes. Spiritus sanctus Prophetas inspiravit & Apostolos; quo spiritu iidem Apostoli confirmati, pro nomine Domini nec carceres, nec vincula timuerunt, quinimmo ipsas sæculi potestates & tormenta calcaverunt. Ipse omnia mirabilia gessit, quæ a Christianæ Religionis primordiis contigerunt; & ideo Ecclesiam Domini undique & in omnibus perfectam & consummatam fecit. Hic est qui operatur sanctitatem in nobis, qui nos Dei facit templum, qui interpellat divinas aures pro nobis gemitibus ineloquacibus, qui Ecclesiam incorruptam & inviolatam perpetuæ virginitatis & veritatis sanctitate custodit. Hæ sunt ex Novatiano proprietates personales Spiritus sancti, quas Romanus Presbyter numquam confudit cum proprietatibus Patris & Filii. Firmum igitur ratumque manet, per Novatianum Spiritum sanctum esse personam a Patre & Filio distinctam; quod erat demonstrandum.

Operationes personales Spiritus Sancti. Cap. 29. pag. 761. & 762.

X. Cum per Novatianum in Trinitate denominationes sint & operationes cuilibet Divinæ Personæ propriæ ac peculiares, quemadmodum supra docuimus, necessario inde sequitur, per eumdem Novatianum quasdam esse in Trinitate proprietates personales, quæ unam personam ab altera distinguant. Hine docet Romanæ urbis eruditus Presbyter, solam Trinitatis primam personam sine origine esse; *Est ergo Deus Pater..... solus originem nesciens*; solum Patrem esse *innatum*, ac invisibilem. Pater est principium omnium, institutor, & creator; *Principium ipsius quoque Filii sui quem ...... genuit*: Est pariter principium Spiritus sancti, qui ab illo procedit. Propter personales has proprietates, tum Filius, tum Spiritus sanctus considerantur a veteribus, & ab ipso etiam Novatiano,

Proprietates personales Patris. Cap. 31. pag. 763. Cap. 31. pag. 764. Cap. 29. pag. 761.

(*a*) Cap. 1. vers. 26.
(*b*) Cap. 1. vers. 27.
(*c*) Cap. 19. vers. 24.
(*d*) Tom. 1. Commentar. in Cap. 19. Genes. pag. 426. Edition. in 4.
(*e*) Psalm. 2. vers. 7.
(*f*) Psalm. 109. vers. 1.
(*g*) Isaiæ cap. 45. vers. 1.
(*h*) Joan. cap. 6. vers. 38.
(*i*) Joan. cap. 14. vers. 28.
(*k*) Joan. cap. 20. vers. 17.
(*l*) Joan. cap. 10. vers. 30.
(*m*) Joan. cap. 10. vers. 36.

III. Sæculum.

no; in aliquo sensu Patre minores, a quo uterque originem habet. Ex his sequitur insuper, quod Novatianus juxta Prædecessorum suorum doctrinam, absolutum Dei nomen soli Patri tribuit: *Unus Deus Pater probatur*; quod frequenter repetit; quia Divinitas, quæ Filio inest ac Spiritui sancto, ad Patrem tamquam ad originem & principium refertur: *Illa Majestas atque divinitas ad Patrem qui dederat eam ..... revertitur & retorquetur.* Hoc autem nullam supponit imperfectionem, nullam naturæ dependentiam, nec inferiores in Filio ac Spiritu sancto perfectiones; quoniam uterque eamdem habet naturam, easdemque perfectiones a Patre, uti ex mox dicendis constabit.

Cap. 31. Pag. 764.

Proprietates personales Filii. Cap. 31. Pag. 763. Pag. 764.

XI. Proprietates personales Filii sunt, quod a Patre genitus est, vel natus; utramque siquidem vocem indiscriminatim usurpat Novatianus, *Genitus & Natus*: a Patre suo originem habet: *Patri suo originem debens*; ab eo habet & naturam, & perfectiones divinas: *Est ergo Deus*, inquit Romanus Presbyter, *sed in hoc ipsum genitus, ut esset Deus. Est & Dominus, sed in hoc ipsum ex Patre ut esset Dominus....... Quidquid est: non ex se est, quia nec innatus est.* Sive dum Verbum est, sive dum virtus est, sive dum sapientia est, sive dum filius est, & quidquid horum est, non aliunde est quam ex Patre, & ad Patrem suum cuncta sibi subjecta Filius accepta refert, *Totam divinitatis auctoritatem rursus Patri remittit. Ut merito Deus*, verba sunt Novatiani, *Pater, omnium Deus sit, & principium ipsius quoque Filii sui quem Dominum genuit.* In hoc sensu, in quo nihil læditur natura Verbi, Novatianus subjicit Verbum Deo Patri: in hoc sensu asserit, Filium nihil ex proprio arbitrio gerere, sed patris obtemperare præceptis; ita ut licet sit natura Filius Dei, tamen obedientia est minister paternæ voluntatis; & licet Deus sit, tamen obedientia sua ostendit unum Deum Patrem. *Filius autem nihil ex arbitrio suo gerit, nec ex consilio suo facit .... sed imperiis paternis omnibus & præceptis obedit, ut quamvis illum probet nativitas Filium, tamen morigera obedientia asserat illum paternæ voluntatis ...... ministrum. ita ..... quamvis sit & Deus, unum tamen Deum Patrem de obedientia sua ostendit.* Habes modo in quo veteres præcise ponerent subordinationem Filii ad Patrem. Habebant Filium, etiam prout est Dei Filius ac Verbum Æternum, tamquam ministrum paternæ voluntatis, & paterni imperii obsequentissimum; & in hoc sensu eum Patre minorem asserebant. Verum in exponenda cæterorum Patrum doctrina demonstravimus jam supra, has loquendi formulas minime lædere Verbi consubstantialitatem; & in sequenti capite eamdem hanc veritatem a Novatiano apertam videbimus, etsi, quæ modo recitata sunt, eidem adversari videantur.

Cap. 31. Pag. 763. *Pag. 764.* *Ibid.* *Pag. 763.*

Proprietates personales Spiritus sancti. Cap. 29. Pag. 761.

XII. Quoad Spiritum sanctum, inter personales ejus proprietates recensetur, quod procedat a Patre, ut constat ex pluribus, quæ Novatianus citat, Evangelii locis. A Filio æque procedit Divinus iste Spiritus, ut ex iisdem Scripturæ testimoniis commode inferri potest: a Filio insuper sumit quæcunque hominibus nuntiat, ut eruitur ex ratiocinio quod instaurat Novatianus ad demonstrandam Jesu Christi Divinitatem. „ Si „ homo tantummodo Christus, inquit Romanus Pres- „ byter, quomodo Paracletum dicit de suo esse sum- „ pturum quæ nuntiaturus sit? Neque enim Paracletus „ ab homine quicquam accipit, sed homini scientiam „ Paracletus porrigit; nec futura ab homine Paracle- „ tus discit, sed de futuris hominem Paracletus in- „ struit. Ergo aut non accepit Paracletus a Christo „ homine quod nuntiet; aut si accepit a Christo quæ „ nuntiet, *Major ergo jam Paracleto Christus est*; quo- „ niam nec Paracletus a Christo acciperet, *Nisi mi-* „ *nor Christo esset*. Minor autem Christo Paracletus, „ Christum etiam Deum esse hoc ipso probat, a quo „ accepit quæ nuntiat, „ *Ut testimonium Christi Divinitatis grande sit, dum minor Christo Paracletus repertus ab illo sumit, quæ cæteris tradit.*

XIII. Talis igitur est Novatiani doctrina, cæterorumque Patrum, circa Mysterium Sanctissimæ Trinitatis. Etsi agnoscant ipsi & fateantur, Patrem esse Deum, Filium esse Deum, Spiritum sanctum esse Deum; & has tres Personas unam eamdemque habere naturam, & easdem perfectiones, nihilominus in hac Trinitate quamdam ponunt subordinationem; qua fit, ut Pater major asseratur Filio, Filius vero major Spiritu sancto. Hæc autem subordinatio ac veluti dependentia Filii erga Patrem, in hoc fundatur juxta Novatianum cæterosque Patres, quod Filius a Patre procedit, nihil ex arbitrio suo gerit, sed omnia ex voluntate Patris, &c. Idipsum dicendum de Spiritu sancto erga Filium, a quo æque ac a Patre procedit, & a quo sumit quæ hominibus est nuntiaturus. Verum facile dignoscitur, hanc subordinationem, hanc dependentiam non posse attingere naturam Filii ac Spiritus sancti, quia cum eorum natura sit ipsa natura Patris, & cum uterque sit Deus, ac perfecte Patri similis, nequeunt, præcise ex natura sua, inferiores esse Patre. Concludendum ergo, hanc subordinationem cadere in solam personalitatem, & Filium esse non posse Patre inferiorem, nisi quatenus est secunda Trinitatis persona; sicuti nec Spiritus sanctus Patre ac Filio inferior esse potest, nisi quatenus Trinitatis est tertia persona. Verbum siquidem non obtemperat Patri, prout Deus est, sed prout est Filius, prout a Patre est genitus; quod constituit secundam Trinitatis personam: pariter Spiritus sanctus non est Filio inferior præcise prout est Deus, sed prout ab ipso procedit, ab eoque sumit quæ hominibus nuntiaturus est; quod constituit tertiam Trinitatis personam. Hinc Pater, Filius, & Spiritus sanctus tum magnitudine, tum potentia, tum perfectionibus pares sunt, quia unam eamdemque habent naturam, unam eamdemque substantiam: quoad Personas vero, Pater major est Filio & Spiritu sancto, quia a Patre ambo procedunt; & Filius major est Spiritu sancto, quia a Filio Spiritus sanctus procedit. Ex quibus omnibus duas veritates apprime necessarias colligo; videlicet, Unitatem Naturæ in tribus Divinis Personis, & Personarum distinctionem in Naturæ unitate.

CAPUT TERTIUM.

DE DIVINITATE JESU CHRISTI, ET DE SPIRITU SANCTO.

I. ETsi ex quibusdam locis Capitis superioris in aperto sit, Jesum Christum esse Deum, sicuti & Spiritum sanctum; tamen non possum quin de utriusque Personæ Divinitate hoc loco disseram, tum quia de re magni momenti agitur, de qua hodiedum etiam nonnulli contendunt; tum quia quædam ex supra recensitis Novatiani loquendi formulis difficultatem creare possent lectori minus versato, nec probe callenti quo pacto se exprimerent veteres de duabus hisce personis verba facientes. Observavimus jam, subordinationem, quam ad Patrem dicunt Filius & Spiritus sanctus, eorum Divinitatem minime lædere. Ut hæc propositio probetur, ostendendum est, Filium esse Deum sicuti Pater Deus est; & Spiritum sanctum esse Deum, sicuti Pater & Filius Deus sunt. Et hoc est præcise hujusce Capitis argumentum.

II. Novatianus, quemadmodum videbimus, non tuetur præcise Divinitatem Spiritus sancti; nullibi enim aperte dicit, eum esse Deum; ejusque orthodoxa Fides de hoc articulo, hac sola ratione demonstrari potest; quod scilicet eas operationes Divino huic Spiritui tribuit, quæ nonnisi Divinitati possunt convenire. Verum quod attinet Jesum Christum, accurate adeo ac præcise de illo loquitur, ut Novatiani catholicam doctrinam ille solus non assequatur, qui in pleno meridie data opera cæcutire velit. Quia vero longum nimis ac injucundum esset Novatiani ductum sequi in omnibus quæ tradidit de Salvatoris Divinitate; hinc præcipua solummodo ejus loca exscribam, quæ cæteris aptius Fidem nostram firmabunt quoad primariam hanc veritatem, quæ magnam tenet partem Tractatus de Trinitate.

Divinitas Jesu Christi probatur auctoritate veteris Testamenti. Tract. de Trinit. Cap. 12. pag. 745.

III. Divinitatem Jesu Christi frequenter adeo declarat ac tuetur sacra Scriptura, ut a nemine in dubium revocari possit, nisi de ipsius sacræ Scripturæ auctoritate dubitare velimus. Hanc veritatem eo firmius credere ac tenere debemus, quod Scriptura nunquam de illa hæsitat. *Cur ergo*, inquit Novatianus, *dubitemus dicere, quod Scriptura non dubitat exprimere? Cur hæsitabit fidei veritas, in quo Scripturæ numquam hæsitavit auctoritas?* Novatianus profert primo loco oraculum Osee, qui in persona Patris ait: Salvabo eos (intellige domum Juda) in Domino Deo ipsorum. (*a*) *Si Deus salvare se dicit in Deo*, subjungit Novatianus, *non autem salvat nisi in Christo Deus; cur ergo homo dubitat Christum Deum dicere?*

IV. Æque urget Novatianus hæc Isaiæ verba: Ecce Virgo concipiet & pariet Filium, & vocabitis nomen ejus Emmanuel; quod interpretatum est, Nobiscum Deus. (*b*) Et hæc pariter ipsius Prophetæ: Ecce Deus

(*a*) Cap. 1. vers. 7.

(*b*) Cap. 7. vers. 14.

III. SÆCULUM.

Deus noster judicium retribuet, ipse veniet, & salvabit nos. (*a*) Quæ quidem, de Verbo prædicata dicit Novatianus juxta veterum doctrinam. Profert insuper hoc Habacucci oraculum: Deus ab austro veniet, & sanctus de monte Pharan. (*b*) Quæ verba in Salvatore impleta dicit, quia Salvator in Bethleem, qui in meridianam respicit Cœli plagam, & in austrum est ab Jerusalem, natus est. Cæterum, asserit ipse, cum omnibus qui ante ipsum floruerunt Patribus, quod cum laudatum Habacucci oraculum intelligi nequeat de Deo Patre, qui de loco ad locum non movetur, necessario interpretari debet de Filio, qui, uti homo, potest de loco in locum venire, & intra sedis alicujus angustias contineri.

Divinitas Jesu Christi probatus auctoritate novi Testamenti.

V. Christus Dominus igitur in veteri Testamento declaratur Deus. Verum ex Novo Testamento apertius idipsum colligitur juxta Novatianum: Ipse siquidem cordis noscit secreta, & peccata dimittit; ex quibus æquo jure infertur, Salvatorem esse Deum cum solius veri Dei sit nosce cordis secreta, & peccata dimittere. *Cum nullius sit nisi Dei, cordis nosce secreta, ... cum nullius sit nisi Dei, peccata dimittere.* Insuper solus Deus dicere potest: Ego & Pater unum sumus. (*c*) solique Salvatori reservatum erat has edere voces, ut divinitatem suam ostenderet: *Hanc vocem de conscientia divinitatis Christus solus edicit.* Verba enim ista locum habere nequeunt, si Filius Deus non est: *Quomodo enim, Ego & Pater unum sumus, si non est Deus & Filius?* Qui idcirco unum potest dici, dum ex ipso est, & dum Filius ejus est, & dum ex ipso nascitur, dum ex ipso processisse reperitur, *Per quod & Deus est.*

Cap. 13. pag. 746. — Cap. 23. pag. 754.

VI. Omnibus Divinitatis Christi probationibus & rebus instructus Apostolus Thomas, respondens Christo, Dominus meus & Deus meus dicit. (*d*) Paulus Apostolus de Christo habet: *Deus benedictus in sæcula.* (*e*) Et alio loco, ut Christi Divinitatem ostendat, inquit, se non didicisse Evangelium ab hominibus, sed a Jesu Christo: (*f*) quibus verbis Divinitatem Christi apertissime declarat laudatus Doctor gentium. *Quod si Evangelium*, inquit Novatianus, *non se ab hominibus didicisse, aut per hominem, sed per Jesum Christum accepisse contendit, merito Deus est Christus.*

Cap. 13. pag. 745.

VII. Si homo tantummodo Christus, prosequitur Novatianus, quomodo veniens in hunc mundum, in sua venit, & sui eum non receperunt, cum homo nullum fecerit mundum? Si homo tantummodo Christus, quomodo mundus post ipsum factus esse refertur, cum non per hominem mundus, sed post mundum homo institutus referatur? Si homo tantummodo Christus, quomodo non ex semine tantum David Christus, sed Verbum caro factum est, & habitavit in nobis? Si homo tantummodo Christus, quomodo qui de cælo venit, quæ vidit & audivit testificatur, cum constet, hominem de cælo, quia ibi nasci non possit, venire non posse? Si homo tantummodo Christus, quomodo visibilia & invisibilia, throni, virtutes, & dominationes per ipsum, & in ipso creata esse referuntur, *Cum virtutes cælestes per hominem fieri non potuerint, quæ ante hominem ipsum esse debuerint?*

Cap. 14. pag. 746.

VIII. *Si homo tantummodo Christus, quomodo adest ubique invocatus, cum hæc hominis natura non sit, sed Dei, ut adesse omni loco possit?* Quæ quidem verba validissime evincunt Divinitatem & Consubstantialitatem Filii Dei: hæc enim immensitas nonnisi Deo convenire potest; & ubique adesse nequit nisi solus ille, qui Deus sit sicuti Pater, eique consubstantialis: hæc immensitas character est & nota Divinitati essentialis, qua Divinitas ipsa perfectissimo modo designatur.

Cap. 14. pag. 747.

IX. Si homo tantummodo Christus, cur homo in orationibus mediator invocatur, cum invocatio hominis ad præstandam salutem inefficax judicetur? *Si homo tantummodo Christus, cur spes in illum ponitur, cum spes in hominem maledicta referatur?* Si homo tantummodo Christus, quomodo Joannes Baptista testatur & dicit: Qui post me venit, ante me factus est, quia prior me fuit? (*g*) cum si homo tantummodo Christus post Joannem natus, ante Joannem esse non possit, nisi quoniam *illum, qua Deus est, ante præcedit.*

Ibid.

X. Si homo tantummodo Christus, quomodo quæ Pater facit, & Filius facit similiter, cum homo cœlestibus operibus Dei similia opera facere non possit? Si homo tantummodo Christus, quomodo sicut Pater in se vitam habet, ita dedit Filio vitam habere in semetipso? Si homo tantummodo Christus, quomodo refert: Ego sum panis vitæ qui de cœlo descendi: (*h*) cum panis vitæ homo esse non possit ipse mortalis? Si homo tantummodo Christus, quomodo dicit, quia Patrem Deum nemo vidit unquam: nisi qui a Deo est, hic vidit Deum? (*i*) Si autem dum ex Deo est, Deum vidit, plus se quam hominem, dum Deum vidit, intelligi voluit; *Nemo igitur Christum ... Deum hæsitet pronuntiare.*

Ibid. — Cap. 15. pag. 747.

XI. Objiciet fortasse aliquis, quædam ex allatis Novatiani argumentis ostendere quidem, Jesum Christum non esse hominem, sed non evincere manifeste ejusdem Divinitatem; ideoque sat superque esse si eidem naturam tribuamus humana perfectiorem, puta Angelicam. Hæc autem non est, nec fuit unquam Novatiani mens: si enim Angeli, inquit ille, cum omnibus cæteris quæcunque subjecta sunt Christo, dicuntur Dii; *Multo magis ...... Christus, cui sunt omnes Angeli subjecti, Deus esse dicitur.* Si Angelus Christo minor est, prosequitur Novatianus, Angelus autem Deus dicitur; *Magis consequenter Christus Deus esse dicitur, qui non uno, sed omnibus Angelis & major, & melior invenitur.* Igitur Jesus Christus non est purus homo, nec inter Angelos recenseri potest: igitur necessario Deus erit: sed unus est verus Deus: ergo Jesus Christus est verus Deus cum Patre & Spiritu sancto, ut capite superiori probavimus.

Ibid.

XII. Novatianus probat insuper Divinitatem Jesu Christi his ejusdem Salvatoris verbis: Solvite templum hoc, & ego in triduo suscitabo illud. (*k*) Et rursus; Potestatem habeo animam meam ponendi, & rursus recipere eam. (*l*) Contendit igitur Romanus Presbyter illum solummodo hæc dicere posse, qui ex Patre est, qui est apud Patrem, per quem facta sunt omnia, & sine quo factum est nihil, qui est *Imitator paternorum operum, atque virtutum, imago invisibilis Dei ... magni consilii Angelus, tandem verus Dei Filius.*

Cap. 16. pag. 748.

XIII. Late vero ac pulchre Divinitatem Salvatoris probat confirmatque Novatianus auctoritate Apostoli, qui ad Philippenses scribit: Qui (Salvator) cum in forma Dei esset, non rapinam arbitratus est æqualem se Deo esse, sed semetipsum exinanivit formam servi accipiens, in similitudinem hominum factus, & habitu inventus ut homo. (*m*) In hæc siquidem verba: *Qui cum in forma Dei esset*, hæc habet. „ Si homo „ tantummodo Christus, in imagine Dei, non in for„ ma Dei relatus fuisset; hominem enim scimus ad „ imaginem, non ad formam Dei factum. Sed nec in „ Angelis formam Dei legimus; nisi quoniam hic præ„ cipuus atque generosus præ omnibus Dei Filius Ver„ bum Dei, imitator omnium paternorum operum, *Forma est Dei Patris ..... Deus est exemplo Patris .... & Deus ad formam Dei Patris ex ipso genitus atque prolatus.*

Cap. 17. pag. 748. & 749.

XIV. Deinde ex illis verbis Apostoli: semetipsum exinanivit formam servi accipiens; Divinitatem Jesu Christi colligit Novatianus, inquiens: Si Christus, homo tantummodo natus fuisset, per hoc exinanitus non esset: homo enim nascens augetur, non exinanitur: nam dum incipit esse quod cum non esset, habere non potuit, non exinanitur, sed potius augetur atque ditatur. *Ac si Christus exinanitur in eo quod nascitur ...... quomodo homo tantummodo est?* Sed quia vere seipsum exinanivit, Deus donavit illi nomen, quod est super omne nomen. Hoc autem nomen non aliud est, juxta Novatianum, quam nomen Dei. *Quod utique non aliud intelligimus esse, quam nomen Dei.*

Ibid.

XV. Nec finem dicendi faciam, si omnia exscribere velim Scripturarum loca, quibus Novatianus tuetur Divinitatem Jesu Christi. Nonnulla quæso accipe, erudite Lector, quæ cum validissime veritatem hanc confirment, non potui quin aliis superius recitatis adnecterem. „ Si homo tantummodo Christus, inquit No„ vatianus, quomodo dicit, Ego ex Deo prodii & „ veni, „ (*n*) *Cum constet hominem a Deo factum esse, non ex Deo processisse ...... Deus ergo processit ex Deo*, concludit idem Presbyter, *dum qui processit sermo Deus est qui processit ex Deo.* Animadvertamus autem hoc loco, Novatianum distinguere has voces, *a Deo factum esse, & ex Deo processisse*: siquidem postremæ hæ voces de solo Deo prædicari possunt; Deus sit

Cap. 23. pag. 751.

(*a*) Cap. 35. vers. 4.
(*b*) Cap. 3. vers. 3.
(*c*) Joan. cap. 10. vers. 30.
(*d*) Joan. cap. 20. vers. 28.
(*e*) Ad Roman. cap. 9. vers. 5.
(*f*) Ad Galat. cap. 1. vers. 12.
(*g*) Joan. cap. 1. vers. 15.
(*h*) Joan. cap. 6. vers. 51.
(*i*) Joan. cap. 6. vers. 46.
(*k*) Joan. cap. 7. vers. 19.
(*l*) Joan. cap. 10. vers. 18.
(*m*) Cap. 2. vers. 6. 7.
(*n*) Joan. cap. 16. vers. 28.

III. SAECULUM.

fit necesse est qui ex Deo procedit: primae autem voces tum homini communes sunt, tum caeteris omnibus creaturis, quae reipsa sunt opus manuum Altissimi.

XVI. Christus in Evangelio ait: Si quis verbum meum servaverit, mortem non videbit in aeternum. (a) Quomodo autem hoc promittere posset si homo tantummodo Christus, & non Deus? Immortalitas Divinitati socia est, immortalitas Divinitatis est fructus. Christus igitur necessario Deus esse debet, ut immortalitatem iis donet, qui mandata ejus servaverint: nam si ipse mortalis esset, immortalem alterum facere non posset. Sed Christus per immortalitatem praestat & divinitatem: hanc autem praestare non posset, si tantummodo homo esset: igitur *Deum se probat, divinitatem porrigendo, quam, nisi Deus esset, praestare non posset.*

Cap. 23. Pag. 754.

XVII. Tandem Novatianus in genere declarat, in Scripturis aeque astrui Divinitatem Christi, ac ejus Humanitatem. *Tam enim Scriptura etiam Deum annuntiat Christum, quam etiam ipsum hominem annuntiat Deum. Tam hominem descripsit Jesum Christum, quam Deum quoque descripsit Christum Dominum.* Quoniam nec Dei tantum illum Filium esse proponit, sed & hominis; nec hominis tantum dicit, sed & Dei referre consuevit; ut dum est ex utroque, utrumque sit, ne si alterum tantum sit, alterum esse non possit; *Ut enim praescripsit ipsa natura, hominem credendum, qui ex homine sit, ita eadem natura praescripsit & Deum credendum esse, qui ex Deo sit*: ne si non & Deus fuerit, prosequitur Romanus Presbyter, cum ex Deo sit; jam nec homo sit, licet ex homine fuerit, & in alterutro utrumque periclitetur; dum alterum altero fidem perdidisse convincitur. Hoc pacto ratiocinatur Novatianus, astruitque apertissime hoc suo ratiocinio Verbi Consubstantialitatem: siquidem si conceptissimis verbis tradit ille, quod is est homo, scilicet ejusdem naturae, & homini consubstantialis, qui ex homine est; pari jure ille Deus est, & vero Deo consubstantialis, qui ex Deo est. Vel haec est vera ac genuina Novatiani mens, vel instituta comparatio corruit; vel haec est vera ejus mens, vel non ratiocinatur: verum teneamus potius, cum hoc loco aptissime ratiocinari, adeoque eum agnoscere Filium uti verum Deum & Patri consubstantialem.

Cap. 11. Pag. 744.

XVIII. Ut eamdem hanc veritatem confirmet Novatianus, ex haereticorum parte argumenta conquirit: hinc asserit, in sacris litteris evidenter adeo tradi Divinitatem Jesu Christi, ut plerique haereticorum divinitatis ipsius magnitudine & veritate commoti ausi sint, non Filium, sed Patrem eum esse promere vel putare. *Iisque adeo hunc* (Jesum Christum) *manifestum est in Scripturis esse Deum tradi, ut plerique haereticorum...... ausi sint non Filium, sed ipsum Deum Patrem promere vel putare.* Hinc error Sabellianorum, Noeti, dicam libentissime Socinianorum etiam nostrae aetatis, qui unam solummodo Divinam Personam agnoscunt, est invictissimum argumentum Divinitatis Jesu Christi: *Divinitatis Christi argumentum grande aut praecipuum est.*

Ex errore Sabellianorum probatur Divinitas Jesu Christi. Cap. 18. Pag. 749.

XIX. Alii quoque haeretici, subjungit Novatianus, usque adeo Christi manifestam amplexati sunt divinitatem, ut dixerint illum fuisse sine carne; & totum illi susceptum detraxerint hominem, *Ne decoquerent in illo divini nominis potestatem, si humanam illi sociassent nativitatem*: quod tamennos non probamus, prosequitur Novatianus, sed argumentum asserimus, usque adeo Christum esse Deum, ut quidam illum subtracto homine tantummodo putarint Deum. Refellit subinde hunc errorem doctissimus Presbyter, sed de hoc in sequenti Capite fuse differemus.

Probatur eadem Divinitas Salvatoris ex haeresi Docitarü. Cap. 18. Pag. 750.

XX. Illi inter veteres haereticos, qui Christi Divinitatem acriter impugnabant, verbis ludentes ineptissimas has nugas objiciebant: Si alter Pater, alter est Filius; Pater autem Deus, & Christus Deus; non ergo unus Deus, sed duo Dii introducuntur pariter, Pater, & Filius: ac si unus Deus, consequenter homo Christus, ut merito Pater sit Deus unus. Hunc solvit nodum Novatianus ostendens, unum Deum esse, licet duae istae Personae diversae sint, Dei unitatem evincit pluribus Scripturarum oraculis superius recensitis capite primo hujusce Sectionis: Personarum vero distinctionem ostendit ex diversis Patris ac Filii qualitatibus personalibus, Pater ingenitus est, Filius vero est genitus: Pater originem nescit, Filius Patrem originem suam suumque principium agnoscit. Sed de hoc argumento satis superque dicta sunt capite secundo hujus Sectionis.

Objectio veterum Haereticorum soluta. Cap. 30. Pag. 762.

XXI. Si Christus non homo est tantum, sed & Deus, opponebant insuper iidem haeretici, Christum autem refert Scriptura mortuum pro nobis & resuscitatum, jam docet nos Scriptura credere Deum mortuum: aut si Deus non moritur, Christus autem mortuus refertur, non erit Christus Deus, quoniam Deus non potest accipi mortuus. Verum futilem hanc difficultatem resolvit Novatianus duas in Christo naturas distinguendo, Divinam, & Humanam. Secundum naturam humanam mortuus est Salvator, minime vero secundum naturam divinam, quae immortalis est: *Divinitas in Christo non moritur, sed carnis solius substantia extinguitur.* Quid, simile in caeteris hominibus evenire videmus: caro siquidem sola incursum interitus mortisque patitur; extra leges autem interitus & mortis anima incorrupta cernitur. Haec igitur objectio, ineptissima nuga & ipsa est, quam retulisse refutasse est.

Solvitur alia objectio. Cap. 10. Pag. 751.

XXII. Major autem difficultas instaurari potest ex ipso Novatiano, ex modo videlicet quo interpretatur haec verba Salvatoris: Ego & Pater unum sumus: (b) Videtur enim ponere hanc unitatem in unione, ac unanimitate Patris & Filii: *Unum autem quod ait*, verba sunt Novatiani, *ad concordiam & eamdem sententiam & ipsam charitatis societatem pertinet; ut merito unum sit Pater & Filius per concordiam, & per amorem, & per dilectionem.* In hoc praecise sensu eadem Scripturae verba interpretati sunt Ariani.

Alia difficultas ex ipso Novatiano deprompta. Cap. 22. Pag. 752.

XXIII. Facile autem diluitur proposita difficultas si consideremus, Novatiani verba non esse exclusiva, nec ipsum asserere, in hoc solummodo sensu interpretari posse laudatum Christi oraculum: hinc notabiliter imminuitur vis objectionis. Caeterum Novatianus, diversam omnino ejusdem textus interpretationem adornat alio loco, & manifeste probat unitatem & identitatem naturae in Patre & Filio, quemadmodum demonstravimus numero quinto ejusdem hujus Capitis. Etenim non tantum ait, solum Deum proferre posse has voces: Ego & Pater unum sumus; & solum Christum has voces posse edicere ad manifestandam suam Divinitatem: *Hanc vocem de conscientia divinitatis Christus solus edicit*: sed addit insuper, praefatas voces locum habere non posse, si & Filius non est Deus. *Quomodo enim Ego & Pater unum sumus, si non est Deus & Filius?...... Qui idcirco unum dici potest, dum ex ipso est, & dum Filius ejus est; & dum ex ipso nascitur, dum ex ipso processisse reperitur.* Falsum igitur apprime est, Novatianum arctare Patris ac Filii unitatem ad solam unionem sententiae & voluntatis, cum ex Novatiano haec posita sit in identitate naturae, in unitate essentiae, quemadmodum demonstravimus.

Ipse Novatianus hanc difficultatem solvit. Cap. 13. Pag. 746. Cap. 23. Pag. 754.

XXIV. Novatianus frequenter in suo Tractatu de Trinitate asserit, Jesum Christum utique habendum esse ut Deum; tamen non ideo eripiendum Patri; quod unus & solus Deus sit. *Deus*, ipsissima ejus verba sunt, *utique procedens ex Deo secundam personam efficiens; sed non eripiens illud Patri, quod unus est Deus.* Ex quibus verbis inferri posse videtur, Filium non esse verum Deum, sicut Pater verus Deus est, adeoque non esse eidem consubstantialem.

Altera difficultas ex eodem. Cap. 31. Pag. 763.

XXV. Aliquid negotium facesseret haec objectio, si ex dictis capite secundo hujus Sectionis non constaret, hoc loco verba fieri de subordinatione personali Filii erga Patrem, quae quidem naturam Filii nec levissime attingit. Asserere possumus cum Novatiano, Patrem esse solum Deum, dummodo in Novatiani sensu id asseramus, scilicet referamus omnem Divinitatem ad solum Patrem, tamquam ad suam originem, suumque principium: sed uno eodemque tempore fateri necessario debemus, hanc Divinitatem, etsi in Patre tota sit tamquam in suo principio, communicari etiam Filio, & a Patre hanc emitti, & in Filium dirigi; licet per substantiae communionem ut loquitur Novatianus, ad Patrem tamquam ad suum principium revolvatur. In hoc solummodo sensu Romanus Presbyter ait, Patrem esse unum Deum. *Unus Deus ostenditur........ Pater, a quo solo haec vis Divinitatis emissa, etiam in Filium tradita & directa, rursumque per substantiae communionem ad Patrem revolvitur.* Attente autem consideranda veniunt hoc loco ea verba: *per substantiae communionem*, quae Consubstantialitatem Filii cum Patre invictissime ostendunt. Nunc vero de Spiritu sancto sit sermo.

Responsio. Cap. 31. Pag. 74.

XXVI. Ingenue fatebimur, nullum in Novatiano occurrere testimonium, quod Spiritus sancti Divinitatem apertissime evincat: verum si attente perpendantur quae habet ille de Divino hoc Spiritu, & si ad examen revocentur diversae operationes, quas eidem adscribit, necessario concludendum erit, Spiritum sanctum esse Deum, non secus ac Pater Deus est, non secus ac Filius Deus est. 1. Spiritus sanctus a Deo procedit, ut eruitur ex quibusdam Scripturarum oraculis

(a) Joan. cap. 16. vers. 18.

(b) Joan. cap. 10. vers. 30.

III. SÆCULUM.

culis quæ profert Novatianus; & sub hoc respectu ipse Deus est æque ac Filius; cum ex hac processione divinam assequatur essentiam, omnesque divinas perfectiones. 2°. Hic est, qui docet homines omnem veritatem, qui in Apostolis illuminator rerum divinarum fuit, qui ipsorum animos mentesque firmavit, ut pro nomine Domini nec carceres nec vincula, nec mortem timerent. 3°. Hic est qui Prophetas in Ecclesia constituit, qui virtutes & sanitates facit, opera mirabilia gerit, & Ecclesiam Domini undique & in omnibus perfectam & consummatam facit. 4°. Hic est qui super Christum venit & mansit, habitans in solo Christo *plenus & totus*. 5°. Hic animas nostras sanctificat, *Sanctitatis effector*, & virtute divinæ suæ æternitatis, ad resurrectionem immortalitatis corpora nostra perducit. 6°. Hic est tandem, qui passiones nostras coercet & frangit, charitates nectit, virtutem sectandam nobis proponit, Ecclesiam incorruptam & inviolatam perpetuæ virginitatis & veritatis sanctitate custodit. Num diversæ istæ operationes alii unquam quam soli Deo convenire possint, apud æquum & vel modice versatum Lectorem judicium esto. Obiter animadvertamus, Novatianum tribuere Spiritui sancto divinam æternitatem; *Cum Spiritus sancti divina æternitate*: quæ quidem verba ipsius Divinitatem designant.

Divinitas Spiritus sancti. Cap. 29. pag. 761. & 762.

CAPUT QUARTUM.

DE INCARNATIONE VERBI.

I. Si accuratissimum deprehendimus superius Novatianum, & summa præcisione de Trinitate disserentem, deprehendemus pariter dum disserit de Incarnatione Verbi; & ex solo ejus Tractatu de Trinitate quinque veritates de hoc Mysterio apprime necessarias colligemus: videlicet 1°. Incarnationem a Prophetis prænuntiatam. 2°. Incarnationem vere ac realiter peractam, non vero apparenter solummodo, quemadmodum quidam hæretici falso autumarunt. 3°. Duas in Christo distinctas naturas. 4°. Harum naturarum hypostaticam unionem. 5°. Unam in Christo Personam. Hos articulos Novatiani auctoritate demonstrare nunc aggredior.

Prophetiæ de Incarnatione. Cap. 9. pag. 743.

II. Æque perspicua sunt Vaticinia quæ in Veteri Testamento Incarnationem prænuntiant, ac ea quæ in Novo Mysterium hoc peractum esse testantur. *Hunc non minus*, inquit Novatianus, *& vetera prædicta, & Evangelia testantur*. Hunc (Jesum Christum) hunc Genesis testatur, cum dicit: Tibi dabo terram hanc, & semini tuo. (a) Hunc quando luctatum ostendit hominem cum Jacob. (b) Hunc quando dicit: Non deficiet Princeps de Juda, neque dux de femoribus ejus, donec veniat is cui repromissum est, & ipse erit expectatio gentium. (c) Hunc Moyses cum dicit: Provide alium, quem mittas (d) Hunc idem quando testatur, Prophetam vobis, dicendo, suscitabit Deus ex fratribus vestris: eum quasi me audite. (e) Hunc quando dicit: videbitis vitam vestram pendentem nocte ac die, & non credetis ei. (f) Quæ postrema verba per Novatianum, & omnes fere Ecclesiæ Patres designant Christum Cruci affixum.

III. Hunc manifeste testatur Isaias inquiens: Prodiet virga de radice Jesse, & flos de radice ejus ascendet. (g) Hunc eundem quando dicit: Ecce Virgo concipiet & pariet Filium. (h) Propheta iste beata novi fœderis tempora notat perspicue cum ait: Tunc aperientur oculi cæcorum, & aures surdorum audient, &c. (i) Christum testatur, quando patientiæ virtutes exponit, dicens: non audietur in plateis vox ejus, arundinem quassatam non conteret, & lignum fumigans non extinguet. (k) Hunc quando gentes in ipsum crediturus prophetat: dicens: Ecce posui eum in principem & præcipientem gentibus: Gentes quæ te non noverunt, invocabunt te, & populi qui te nesciunt, ad te confugient. (l) Hunc eundem quando ad passionem ejus exclamat dicens: Sicut ovis ad occisionem ductus est: sicut agnus coram tondente se sine voce, sic non aperiet os suum in humilitate. (m) Hunc quando ejus humilitatem descripsit, inquiens; Vidimus eum, & non erat ei species neque honor, homo in plaga, & sciens ferre infirmitatem. (n)

IV. Christi resurrectionem ab Isaia prænuntiatam asserit idem Novatianus, & quidem hisce verbis: Et erit in die illa radix Jesse, & qui surget imperare gentibus, in eum gentes sperabunt, & erit sepulcrum ejus gloriosum: vel, ut legit Novatianus, *Et erit requies ejus honor*. (o) Contendit insuper, tempus resurrectionis designari hisce Osee verbis: Quasi diluculum præparatus est egressus ejus: quem locum sic legit Novatianus: *Quasi diluculo paratum inveniemus eum*. (p) Christi gloriam, seu quod sessurus esset ad dexteram Patris, habemus ex Psalmis: Dixit Dominus Domino meo, sede a dextris meis. (q) Ex quibus Psalmis habemus insuper, quod possessor omnium collocatur: Postula a me, & dabo tibi gentes hæreditatem tuam, & possessionem tuam terminos terræ. (r) Hæc sunt Scripturarum oracula, quæ Novatianus perhibet uti vaticinia Incarnationis Verbi.

Veritas Incarnationis. Cap. 10. pag. 743.

V. Quod vero hoc Mysterium vere ac realiter, non autem apparenter tantum, peractum sit, tanta perspicuitate docet idem Novatianus, ut major desiderari nequeat. *Neque igitur agnoscimus Christum*, inquit, *qui in imagine......fuit, & non in veritate*. Christus, quem nos agnoscimus, non phantasmata, sed veritas fuit, & vere ea gessit, quæ gerere visus est, & vere in nostra substantia apparuit, sicuti in ea apparuisse visus est. Oppositum errorem nativitas Domini & mors ipsa confutat. Verbum caro factum est, inquit Joannes, & habitavit in nobis: (s) Ut merito corpus nostrum in illo fuerit, quoniam quidem nostram carnem sermo suscepit. Et sanguis idcirco de manibus, ac pedibus atque ipso latere demandavit, *Ut nostri consors corporis probaretur*. In eadem corporis substantia, in qua mortuus est, resurrexit, ut ipsius corporis vulneribus comprobatur. Igitur Mysterium Incarnationis vere ac realiter peractum est, & non apparenter tantum.

Duæ distinctæ naturæ in Jesu Christo. Cap. 11. pag. 744.

VI. Nimius essem, si omnia exscribere vellem, quæ in Novatiano deprehenduntur circa duas Christi naturas. Id unum proferam, quod tradit ipse capite undecimo Tractatus de Trinitate, ex Scripturis videlicet Christum Dominum habendum esse uti Deum, & uti Hominem; ejusque passiones ostendere humanam naturam, portenta vero quæ operatus est, ejus divinitatem asserere. *Si probatio .... ex infirmitatibus Christi, illuc proficit, ut homo ..... comprobetur: probatio divinitatis.......ex virtutibus illuc proficiet, ut etiam Deus.....adseratur. Si enim*, subjungit, *passiones ostendunt in illo humanam fragilitatem; cur opera non adserant in illo divinam potestatem?* Utraque ergo natura, humana ac divina, in Christo admittenda est, concludit Novatianus, tam verus Deus, quam verus homo adseri debet, si perfectam veritatem assequi & tenere velimus: periculum enim est, nec hominem illum ex passionibus ostendi, si non potuerit etiam Deus ex virtutibus adprobari: *Scriptura tam hominem descripsit* (Jesum Christum) *quam etiam Deum. Quoniam nec Dei tantum illum Filium esse proponit, sed & hominis; nec hominis tantum dicit, sed & Dei referre consuevit*. Homo est, quia ex homine est; sed æque est Deus, quia ex Deo est. Qui legunt ergo hominis filium hominem Christum Jesum, legant hunc eundem & Deum, & Dei Filium nuncupatum. *Nam quemodo, qua homo, ex Abraham; sic est etiam, qua Deus, ante ipsum Abraham. Qua homo, Filius David...... Dominus David, qua Deus*. Qua homo, sub lege factus est; qua Deus, Sabbati Dominus expressus est. Qua homo, sententiam patitur; qua Deus, de vivis & mortuis judicium habere reperitur. Qua homo, in cœlum ascendit; qua Deus, ante descendit. Ita si mediocritates in illo approbant humanam fragilitatem, majestates in illo affirmant divinam potestatem. Oportet ergo duas in Christo naturas admittere. *Periculum est enim, cum utrumque legis, non utrumque, sed alterum credidisse*.

Cap. 11. pag. 745.

Unio duarum Naturarum in Jesu Christo. Cap. 13. pag. 753.

VII. Verum duæ istæ naturæ licet inter sese distinctæ, uniuntur tamen ac intime copulantur in Persona Salvatoris. *Homo est enim cum Deo junctus*, inquit Novatianus, *& Deus cum homine copulatus. Utrumque*

(a) Genes. cap. 15. vers. 18.
(b) Genes. cap. 32. vers. 24.
(c) Genes. cap. 49. vers. 10.
(d) Exod. cap. 4. vers. 13.
(e) Deuteron. cap. 18. vers. 15.
(f) Deuteron. cap. 28. vers. 66.
(g) Isaiæ cap. 11. vers. 1.
(h) Isaiæ cap. 7. vers. 14.
(i) Isaiæ cap. 35. vers. 5. & seq.
(k) Isaiæ cap. 42. vers. 2. 3.
(l) Isaiæ cap. 55. vers. 4. 5.
(m) Isaiæ cap. 53. vers. 7.
(n) Isaiæ cap. 53. vers. 2.
(o) Isaiæ cap. 11. vers. 10.
(p) Osee cap. 6. vers. 3
(q) Psalm. 109. vers. 1.
(r) Psalm. 2. vers. 8.
(s) Joan. cap. 1. vers. 14.

III. SAECULUM. Cap. 16. pag. 748.

que ergo, habet alio loco, *in Christo confœderatum est*, *& utrumque conjunctum est*, *& utrumque connexum est*. Hypostatica est in Christo unico Divinitatis cum humanitate: *Pignerata in illo Divinitatis & humanitatis videtur esse concordia*. Utramque naturam in sua persona sociavit: *In se Deum & hominem sociasse reperitur*. Felix hac intima duarum naturarum unione

Unitas Personæ in Jesu Christo. Cap. 18. pag. 750.

Unitas personæ oritur: *Ut merito Filius Dei per assumptionem carnis, Filius hominis; & Filius hominis per receptionem Dei Verbi, Filius Dei effici possit*. Et hoc sane est, quod in scholis appellatur communicatio idiomatum, qua fit, ut Deus sit homo, & homo sit Deus. *Hoc altissimum atque reconditum Sacramentum*, subjungit Romanus Presbyter, *in Domino Jesu Christo, Deo & homine inveniatur impleri*. Verum de hoc argumento satis.

Regula pro intelligenda sacra Scriptura. Cap. 28. pag. 759.

VIII. Primæ huic Sectioni finem imponimus sequentem regulam ex Novatiano exscribentes pro intelligenda sacra Scriptura; eam scilicet frequenter annuntiare pro factis, quæ nondum facta sunt. *Sæpe enim Scriptura divina, quæ nondum facta sunt, pro factis annuntiat; quia sic futura sunt; &....... non quasi futura prædicat, sed quasi facta sint narrat*. Cujus rei innumera exempla in Sacris Litteris occurrunt.

SECTIO II.

PUNCTA MORALIA.

UBerior est Novatiani Doctrina Dogmatica quam Moralis: pauca nihilominus quæ in ejus scriptis deprehenduntur quoad rem moralem, pretiosa sunt & maximi momenti. Reprehendimus siquidem ex eo quinam esset primi parentis cibus; hominibus deinceps a Deo permissam fuisse carnem, nullam esse Christianis escam immundam; Deum nihil novi docuisse præceptis Decalogi, quoniam naturalis lex omnia complectebatur positive hujusce legis mandata. Plurima insuper ex eodem Novatiano eruimus apprime necessaria quoad pœnitentiam. Quia vero isti articuli breves admodum sunt in Novatiano, nec toti dem Capitum materiam ministrare valent; hinc sola paragraphorum distinctione unum post alium eosdem exponemus.

§. I.

DE CIBO PRIMORUM PARENTUM NOSTRORUM.

Cibus hominis innocentis. Tr. G. de Cibis Judaicis. Cap. 2. pag. 775. Edit. Pamelii. Prima ciborum immutatio ex Adæ peccato repetenda. Ibid.

I. FRuctus arborum, juxta Novatianum fuit, cibus hominis innocentis. *Cibus primis hominibus solus arborum fuit fœtus & fructus*. Nam & innocentia decepturos alimenta ex arboribus, adhuc sibi bene conscios homines ad superna subrexit; *& Commissum delictum ad conquirenda frumenta homines terræ soloque dejecit*. Hinc propter prævaricationem hominis cibus immutatus est: *Nam a pomis usum postea ad fruges contulit culpa*.

Cibus carnis oblatus ac concessus deinceps hominis imbecillitati. Ibid.

II. Postea etiam usus carnis accessit, divina gratia humanis necessitatibus competentia ciborum g nera prorsus opportunis temporibus porrigente; & quia jam mundus totus fuerat excolendus, *Robustior cibus carnis offertur, ut ad emolumenta culturæ plus aliquid humanorum corporum viribus adderetur*. Ante culpam mollis ac levissimus cibus homini magnis laboribus haud subjecto fat superque erat: verum post culpam, quia jam non Paradisus custodiendus erat, sed totus mundus excolendus, robustiori cibo indigebant homines, ne magnis laboribus opprimerentur. Hæc sentit Novatianus de diversis cibis pro status diversitate homini oblatis: si autem verum est, carnis usum ideo concessum homini fuisse, ut magnos labores ferre posset, quomodo excusari possunt ii, qui nihil omnino agentes, vel suaviores delicias in cibis sectantur, & robustioribus insuper cibis vescuntur præ illis, qui in sudore vultus sui totam diem transigentes ad deperditarum virium reparationem solido cibo frequentissime carent?

§. II.

DE CIBIS IN LEGE MOYSIS VETITIS.

Cibi Judæis vetiti. Cur? Cap. 3. & 5. pag. 776. & 777.

I. IGnorat nemo, in veteri lege quorumdam ciborum usum Judæis vetitum fuisse. Inquirendum autem est, quo fine Deus hunc usum prohibuerit. Sane Deus immunda non interdixit, inquit Novatianus, quia vel immunda ipse instituerit, vel reproba fecerit, cum cuncta quæ fecit pronuntiata sint valde bona. Quando igitur vetat quorumdam animalium usum, intendit unice eosdem a vitiis arcere & passionibus, quæ per illa animalia designantur. Sic quando dicit, Camelum non manducabitis, vitam damnat enervem & criminibus tortuosam. Cum suem cibo prohibet assumi, reprehendit cœnosam & luteam & gaudentem vitiorum sordibus vitam: & sic de cæteris. His rationibus aliam adjungit Novatianus; ut scilicet Judæorum intemperantia coerceretur, & ad frugalitatis amorem inflammarentur. Nihil enim tam contrarium religioni ac pietati deprehenditur, quam intemperantia, & Dei timor cum hac passione commorari non potest. *Non recipit luxuria Dei timorem*.

Dispensatio hujus legis erga Christianos. Cap. 5. pag. 777.

II. Deus mandaverat Judæis pro determinato quodam tempore quorumdam ciborum abstinentiam. Verum hanc legem Christus sustulit. Fuit ille finis hujusce legis; hinc Christianis nihil est immundum. Libertas ciborum iisdem concessa est, modo hac libertate non abutantur, & sub specie christianæ libertatis gulæ non indulgeant. Hæc enim nequaquam fuit Christi intentio dum omnem ciborum distinctionem de medio tulit. *Non ex hoc statim, quia libertas ciborum concessa, luxuria permissa est; nec quia liberalius nobiscum Evangelium gessit, continentiam sustulit*.

Cap. 6. pag. 778.

Cæterum nihil ita temperantiam coercet quam Evangelium; nec ita constrictas quisquam gulæ leges, quam Christus; qui beatos legitur pronuntiasse, sed egenos, & felices esurientes atque sitientes; miseros divites, quibus ad imperium ventris & gulæ servientibus, voluptatum nunquam posset mater deficere, ne desinere servitus posset. Novatianus vero Evangelicam hanc libertatem non extendit etiam ad cibos immolatos; in iis enim quamdam agnoscit impuritatem, quam contraxerunt per propriam consecrationem dæmonis, qua fit ut qui sumunt inquinentur.

Cibi immolati Christianis vetiti. Cap. 7. pag. 778.

§. III.

DE VETERI LEGE.

Vetus lex spiritualis est, & spiritualiter interpretari debet. Cap. 3. pag. 775.

DUm differit Novatianus de præfata ciborum distinctione Judæis imperata, docet pariter, Legem Moysis esse spiritualem, & spiritualiter esse interpretandam. *Itaque illud in primis collocandum est*, inquit ille, *legem spiritualem esse; quam si spiritualem ...... confiteantur*, subjungit, de hæreticis verba faciens, *spiritualiter legant*. Divina enim divine sunt recipienda & sancta sancte utique asserenda. Cæterum culpa gravis incurritur, si terrestribus & humana facris & spiritualibus litteris doctrina præstatur, quod ut ne fiat cavendum est. Notabilem addit observationem quoad Decalogum Novatianus, nihil scilicet novum in illis tabulis tradi, cum illud solummodo admoneant, quod obliteratum fuerat: *Denique & decem sermones illi in tabulis nihil novum docent; sed quod obliteratum fuerat, admonent*. Ratio hujusce rei perspicua est: præcepta siquidem Decalogi descendunt a lege naturali, quæ multo ante Decalogum apud omnes obtinebat. Cum autem obliterata esset, summa Dei misericordia factum est, ut positivis Decalogi præceptis renovaretur.

Decalogi præcepta nihil novum docent. Cap. 3. pag. 779.

§. IV.

DE POENITENTIA.

I. ETsi nonnulla supra jam protulerimus quæ habet Novatianus circa Pœnitentiam, quæque exscripsimus ex quadam Epistola eidem tributa, quæ est ad Divum Cyprianum conscripta nomine Cleri Romani; tamen jucundum, ut reor, lectori erit, si iterum eadem proferam; brevi tamen stylo, ne eidem molestus sim. Ait itaque Novatianus, eos, qui idolis quidem non immolaverant, sed immolationem jam factam confinxerunt, ut persecutionem evaderent, inter apostatas esse recensendos: *Hoc ipso jam paruit, quod videre se paruisse voluit*. Vetat præproperam communionem pœnitentibus largiri, & per falsam misericordiam non profutura remedia præstare, & nova vulnera veteribus transgressionis vulneribus imprimere, ita ut inde miseris ad eversionem majorem eripiatur & pœnitentia. „ Ubi enim poterit indulgentiæ medicina proficere, subjungit idem Presbyter, „ si etiam ipse medicus intercepta pœnitentia indulget periculis, si tantummodo operit vulnus nec sinit necessaria temporis remedia obducere cicatricem? „ *Hoc non est curare, sed occidere*. „

Libellatici recensentur a Novatiano inter Apostatas. Epist. in Edit. Oxon. pag. 110.

Adversus præproperas reconciliationes. Ibid.

II. Requirit ipse, & quidem jure optimo, ut *Non sit minor medicina, quam vulnus est; non sint minora remedia, quam funera*. Peccatores agnoscere debent delicti sui magnitudinem; non debent autem desiderare

Pœnitentia proportionaliter cere debet ad peccata. Ibid. pag. 111.

III. Sæculum.

Dispositiones quæ pœnitentibus conveniunt. *Ibid. pag.* 212.

rare momentaneam neque præproperam medicinam. *Mittant legatos pro suis doloribus lacrymas, advocatione fungantur ex intimo pectore prolati gemitus...... Erubescant & petere....... sed postulatione demissa, sed prece subdita; quoniam & qui petitur, flecti debet, non incitari:* & ficut respici debet divina clementia, sic respici debet & divina censura: Deus enim ut est indulgens, ita est præceptorum suorum exactor. Paravit cœlum, sed paravit & tartarum. Uno verbo media inter facilitatem & severitatem via tenenda est, juxta Novatianum, ut nec pronam improbi homines laudent facilitatem, nec vere pœnitentes accusent quasi duram crudelitatem.

§. V.

ERROR NOVATIANI CIRCA POENITENTIAM.

LAudatam superius moderationem utinam semper retinuisset Novatianus: verum in illum excessum severitatis, quem damnaverat, deinceps prolapsus est, cum voluerit pœnitentibus denegandam esse reconciliationem, quæcunque tandem esset de patratis criminibus pœnitentia: quam inhumanam doctrinam hauserat ille ex Stoicorum Philosophia, uti tradit S. Cyprianus in sua ad Antonianum epistola, & alibi. Hinc ab eodem Sancto Carthaginiensi Episcopo Novatianus appellatur: *Misericordiæ hostis, interfector pœnitentiæ, doctor superbiæ, veritatis corruptor, perditor charitatis.* (a) Novatianum eloquentem fuisse, testatur laudatus S. Cyprianus; sed ejus eloquentiam, venenatam appellat, & in perniciem fratrum perstrepentem: *In perniciem fratrum lingua sua perstrepens, & facundiæ venenata jacula contorquens:* deinde eumdem repræsentat magis durum sæcularis philosophiæ pravitate, quam sophiæ dominicæ lenitate pacificum. Hanc terribilem Novatiani jam Schismatici imaginem perhibet Divus Cyprianus.

III. Sæculum.

(a) Epist. 60. pag. 270.

DO-

DOCTRINA SANCTI GREGORII NEOCÆSARIENSIS, COGNOMENTO THAUMATURGI.

ANIMADVERSIONES PRÆMITTENDÆ.

Elogia S. Gregorii Thaumaturgi ex veteribus deprompta.

I. GREGORIUS Neocæsareæ Ponti Episcopus, cujus Doctrinam exponere aggredimur, signis & miraculis illustris adeo fuit, ut eorum multitudine atque præstantia Thaumaturgus appellatus sit: quo cognomento a cæteris, qui Gregorii obtinent nomen, distinguitur. Summus iste Vir portentum erat tum naturæ, tum gratiæ: naturæ quidem, propter eloquentiam ac eruditionem; gratiæ vero propter prophetiæ & miraculorum dona, quibus cumulatissime ornatus refulsit. Hinc a Divo Basilio (1) inter Apostolos ac Prophetas recensetur: eumdem repræsentat laudatus S. Basilius veluti insignem magnamque lucernam in Ecclesia Dei fulgentem, & Spiritus sancti ope terrorem habentem adversus dæmonum potestatem. Subjungit tandem, quod propter donorum excellentiam, quæ in ipso operabatur Spiritus sanctus, in omni virtute, signis, ac prodigiis, ab ipsis etiam veritatis hostibus alter Moyses appellatus fuit: *ἕτερος Μωυσῆς*.

II. Eusebius (2) ipsum perhibet veluti omnium discipulorum Origenis studiosissimum, omniumque Episcoporum suæ ætatis nominatissimum. (3) Insuper eum Auctorem dicit cujusdam Metaphrasis, seu Paraphrasis in Ecclesiasten, & cujusdam expositionis Catholicæ Fidei. S. Hieronymus (4) illi adscribit Orationem panegyricam, sive de laudibus Origenis; Paraphrasim in Ecclesiasten, quam ait esse *Brevem quidem, sed valde utilem*; & Epistolas, quarum nec numerum, nec qualitatem designat. Suidas de his epistolis verba faciens, ait: *Multas & varias epistolas composuit*: & de Paraphrasi in Ecclesiasten sermonem habens, ait esse *Brevissimam illam quidem, sed sane quam admirabilem*. Tandem Theodoretus testatur, Magnum Gregorium (hoc siquidem nomine eum appellat) (5) propter prodigia Spiritus sancti virtute patrata, celeberrimum fuisse, & hæc, etiam sua ætate, in omnium ore fuisse.

III. Præter recensita Sancti Gregorii Thaumaturgi Opera, alia pariter ipsius nomine circumferuntur, quæ omnia tamen supposititia sunt. Superest modo Symbolum Fidei, Epistola Canonica, Oratio panegyrica in Origenem, & Paraphrasis in Ecclesiasten; & hæc sunt genuina ejus opera. S. Basilius loquitur etiam de Expositione Fidei, quam exaravit S. Gregorius adversus Ælianum ethnicum; sed hæc ad nos non pervenit; adeoque differt ab illa Fidei expositione, quam Gerardus Vossius se invenisse existimat, quamque publici juris fecit; quemadmodum Criticorum peritissimi animadvertunt, & evincunt. Postrema hæc Fidei expositio, de qua Vossius, vel hoc solo momento supposititia ostenditur, quod videlicet illius Auctor existimat tamquam alienos a Fide eos omnes, qui communicant cum iis, qui rejiciunt homousion. Sane hæc vox tantam auctoritatem non obtinebat ætate S. Gregorii Thaumaturgi. Verum de his satis.

SECTIO PRIMA.

PUNCTA DOGMATICA.

§. I.

SACRA SCRIPTURA.

CUm pauca, eaque brevissima, sint S. Gregorii Thaumaturgi Opera quæ ad nos pervenerunt; hinc ex illis notabiliora exscribemus, & totam ejus Doctrinam in paragraphos digeremus, cum præsto non sint quæ integris absolutisque Capitibus exornandis sufficiant. Ut vero a Scriptura initium fit, animadvertendum est, hanc a Divo Gregorio appellari Sacram & Divinam: *Sic enim*, inquit *in sacris litteris legere est*, & paucis interjectis: *Divina litteræ consueverunt*. Appellatur insuper ab eodem divinum eloquium: *Eloquia Divina*; quæ sat superque ostendunt orthodoxam fidem Sancti hujus ac Magni Episcopi quoad inspirationem divinam sacræ Scripturæ. Loquitur pariter idem S. Gregorius, & quidem non semel, de obscuritate, quæ in sacris litteris quandoque deprehenditur.

Divinitas sacræ Scripturæ. Orat. Panegyr. in Orig. pag. 52. Edit. Paris. an. 1622. Ibid. pag. 1.

§. II.

TRINITAS, ET CONSUBSTANTIALITAS DIVINARUM PERSONARUM.

Symbol. pag. 1.

I. ACcuratissima sunt quæ S. Gregorius docet de SS. Trinitate. Ait igitur, eam esse perfectam, *τριὰς τελεία* absque divisione, absque ulla abalienatione in sua gloria, in sua æternitate, in suo regno. *Qua gloria, & æternitate, ac regno, atque imperio non dividitur, neque abalienatur. Non igitur creatum quid*, prosequitur S. Gregorius, *aut servum in Trinitate; neque superinductitium aliquid & adventitium, quasi non prius existens, posterius vero adveniens. Non ergo*, subjungit idem Sanctus Episcopus, *defuit unquam Filius Patri; neque Filio Spiritus; sed immutabilis & invariabilis, eadem semper manet Trinitas.*

II. Modo tenes, amice Lector, paucis verbis comprehensam totam Ecclesiæ fidem de Mysterio Sanctissimæ Trinitatis. Perfectam hanc Trinitatem credit Ecclesia, quia credit in tres Personas, quæ sunt unus idemque Deus, quia eamdem habent naturam, easdemque perfectiones. Eadem est in Patre, Filio, & Spiritu sancto gloria, eadem æternitas, idem regnum atque imperium. Harum trium Personarum nulla est altera posterior tempore, vel dignitate inferior; & licet Filius a Patre sit genitus, ut videbimus infra, & ab

(1) Lib. de Spir. Sanct. cap. 29. pag. 61. & 63. Edit. Maurin.
(2) Lib. 6. Histor. Eccles. cap. 30.
(3) Lib. 7. cap. 25.
(4) Catalog. de Viris illustr.
(5) Lib. 2. cap. 8. pag. 221.

ab eo procedat Spiritus Sanctus, ex illoque existentiam habeat; tamen duæ istæ Personæ Patri sunt coæternæ, quia in Trinitate nihil est quasi prius non existens, posterius vero adveniens; & immutabilis est Trinitas, est invariabilis. Sane nec post Concilium Nicænum Ecclesiæ fides de adorabili hoc Mysterio nitidius & accuratius exponi potest.

§. III.

De Persona Patris in particulari.

Personales Patris proprietates. Symbol. pag. 1.

I. QUoad Personam Patris in particulari, docet S. Gregorius Thaumaturgus eam esse unum Deum: εἷς θεὸς, *unus Deus*: esse Patrem Verbi viventis: πατὴρ λόγου ζῶντος; Patrem Sapientiæ subsistentis: σοφίας ὑφεστώσης; Patrem potentiæ ac characteris sempiterni: καὶ δυνάμεως, καὶ χαρακτῆρος ἀϊδίου; Perfectum genitorem Filii perfecti: *Perfectus perfecti genitor*, τέλειος τελείου γεννήτωρ. Patrem Filii Unigeniti: *Pater Filii Unigeniti*.

II. In quem S. Gregorii locum animadvertamus 1°. Sanctum hunc Episcopum appellare Patrem *Unum Deum*, consentanee ad doctrinam cæterorum veterum, qui cum considerarent Patrem veluti principium & fontem Divinitatis Filii & Spiritus Sancti, soli Patri absolutum Dei nomen tribuebant. Hanc doctrinam hauserant illi certe ex Evangelio, & Apostolorum Epistolis, in quibus solus Pater per simplex Dei nomen distinguitur a Verbo & Spiritu Sancto, licet eandem essentiam, easdemque essentiales perfectiones habeant tum Verbum, tum Spiritus Sanctus. 2°. Quando S. Neocæsariensis Antistes subdit: Pater *Sapientiæ subsistentis*, tunc aperte declarat, Verbum esse veram Personam a Patre distinctam, per actualem existentiam, quæ ab existentia Personæ Patris differt. 3°. Quando ait: Perfectus Filii perfecti Genitor, manifeste significat, Filium ejusdem esse cum Patre naturæ. 4°. Tandem per hæc verba: Pater Filii Unigeniti, docet nos distinguere modum, quo Filius a Patre procedit, a modo, quo ab eodem Patre procedit Spiritus Sanctus; & tradit pariter, nomen Filii Dei, Spiritui Sancto tribui non posse.

§. IV.

De Persona Filii seu Verbi Dei.

Personales Filii proprietates. Symbol. pag. 1.

I. UNus *Dominus*, subjungit Sanctus Episcopus, *solus ex solo*: μόνος ἐκ μόνου; *Deus ex Deo* Θεὸς ἐκ Θεοῦ; *Character & imago Deitatis*: *Verbum efficax*: *Sapientia constitutionis rerum universarum comprehensiva; & virtus atque potentia, universæ creaturæ effectiva*: *Filius verus, veri Patris*: *Invisibilis, ejus qui est invisibilis*; *Et incorruptibilis, corruptioni non obnoxii*: *Ac immortalis, mortis prorsus nescii*: *Et sempiternus sempiterni*: καὶ ἀΐδιος ἀϊδίου.

II. S. Gregorius appellat Filium hoc loco, Unum Dominum, in eodem sensu, in quo supra appellat Patrem, Unum Deum. Scripturarum auctoritate fulcitur semper Sanctus Episcopus quando sic loquitur, ut duas has Personas distinguat. Ait insuper, Filium esse Solum ex Solo; & sane, ut reor, ut distinguat Filium a Spiritu Sancto, qui non procedit a solo Patre, sicuti Filius, sed a Patre simul & Filio. Vocat pariter Filium, Verbum efficax, quia per Verbum omnia facta sunt, quemadmodum satis aperte seipsum exprimit paucis interjectis, inquiens, Verbum esse virtutem atque potentiam universæ creaturæ effectivam. Tandem illud observatione dignissimum est, S. Gregorium scilicet tam perspicue loqui de Verbi invisibilitate; cum cæteri, qui ante ipsum floruerunt, fere semper visibile illud dicant. Verum omnes isti quando sic loquuntur, præ oculis habent ipsius apparitiones; S. Gregorius autem hoc loco considerat unice Naturam Verbi, Verbum considerat præcise in seipso, quod quidem sub hoc respectu invisibile est æque ac Pater.

Orat. Panegyr. in Origen. p. 53. 54.

III. Alias prætcrea personales Verbi proprietates deprehendimus ex Oratione S. Gregorii in laudem Origenis sui Præceptoris; in ea siquidem perhibet Dei Filium veluti medicum, ac animarum nostrarum præsidem, veluti rerum omnium creatorem ac gubernatorem, veluti ipsam veritatem, tandem veluti in Patre, & cum Patre vere atque omnino conjunctum: *In ipso, & cum ipso (Patre) vere atque omnino conjunctus*: ἐν αὐτῷ ὢν, καὶ πρὸς αὐτὸν ἀτεχνῶς ἑνούμενος. Quæ voces æque probant actualem Verbi existentiam, & ejus cum Patre Consubstantialitatem. Quæ Verbi Consubstantialitas, paucis interjectis, clarius hisce verbis denotatur: *Quem ipse .... Pater unum secum faciens*: ὃν τινα αὐτὸς ὁ .... πατὴρ ἓν πρὸς αὐτὸν ποιησάμενος. Quibus verbis Consubstantialitas Filii apertissime asseritur, & validissime confirmatur.

Difficultas ex eodem Divo Gregorio deprompta circa personalem distinctionem Patris & Filii. Epist. 210. Tom. 3. pag. 306.

IV. Asserere ergo oportet, S. Gregorii fidem quoad recensita duo Dogmata irreprehensibilem esse, quidquid, teste Divo Basilio, protulerit ipse in sua disputatione cum Æliano, quod oppositum videatur Subsistentiæ Verbi, sive actuali ipsius existentiæ a Patre distinctæ. Utique Divus Basilius eidem attribuit hanc phrasim: Patrem & Filium mentis quidem cogitatione duo esse, sed hypostasi unum. Verum Divus Basilius Sabellianis, qui præfato textu abutebantur, ita respondet. Hoc autem non docendi caussa, sed decertandi in Dialogo cum Æliano dictum esse, intelligere non potuerunt qui sibi ipsi ob ingenii subtilitatem beati videntur. Qua in disputatione, prosequitur Sanctus Cæsariensis Episcopus, multa librariorum errata. Deinde vero Gentilem erudiens (S. Gregorius) non existimabat accuratius disceptandum esse de verbis; sed nonnihil etiam indoli illius, qui introducebatur, concedendum, ut ne iis quæ perspicua sunt, repugnaret. Quapropter & multas illic invenias voces, concludit S. Basilius, quæ nunc robur maximum hæreticis præbent, quales sunt *Creatura*, & *factura*, & si quid ejusmodi. Multa autem & de conjunctione cum homine dicta ad Divinitatis rationem referunt qui inscite scripta illa intelligunt, quale est & hoc ipsum, quod ab ipsis decantatur. Hactenus S. Basilius.

§. V.

De Persona Spiritus Sancti.

Personales Spiritus S. proprietates. Symbol. pag. 1.

I. SAnctus Gregorius agnoscit pariter admittitque Spiritum Sanctum, quem unum asserit esse: *Unusque Spiritus Sanctus*; & a Deo suam habere existentiam, *Ex Deo existentiam habens*; & apparuisse hominibus per Filium; & perfectam esse Filii imaginem, *Imago Filii perfecti perfecta*; & esse vitam, & viventium caussam, & fontem sanctum, & sanctitatem, & sanctificationis suppeditatorem: *Sanctitas, sanctificationis suppeditator*: ἁγιότης ἁγιασμοῦ χορηγός · & in eo manifestari Deum Patrem, & Deum Filium: *In quo manifestatur Deus Pater, ... & Deus Filius* ἐν ᾧ φανεροῦται Θεὸς ὁ πατὴρ .., καὶ Θεὸς ὁ υἱός.

II. Nulla in hæc verba animadversione opus est, quæ majori, quæ desiderari possit, præcisione tuentur Divinitatem Spiritus Sancti, ejusque cum Patre & Filio Consubstantialitatem. Et re quidem vera, num potest ex Deo existentiam habere, esse perfecta Patris ac Filii imago, esse fons vitæ & sanctitatis, qui non sit Deus? Cum vero S. Gregorius subjungit, Patrem & Filium manifestari in Spiritu Sancto, nonne eamdem agnoscit in Spiritu Sancto naturam, eamdemque Patris & Filii essentiam? Cæterum, si Filius non est perfecta imago Patris, nisi quia ab illo procedit, necessario sequitur, Spiritum Sanctum procedere a Filio, quoniam est perfecta Filii perfecti imago, ut asserit laudatus S. Gregorius.

§. VI.

Necessitas Gratiæ, et Angeli Custodis.

Gratia est necessaria ad acquirendas virtutes. Orat. Panegyr. in Origen. pag. 68.

I. IN Panegyrica Oratione S. Gregorii in laudem Origenis locus occurrit, quo gratiæ necessitas astruitur. Sermonem habens Sanctus iste Episcopus de Virtutibus Moralibus, uti sunt Fortitudo, Temperantia, & cæteræ his similes, ait, excelsas illas esse & maximas, & comparari a nemine posse, nisi Deus illas dederit: *Nam maximæ sunt illæ & excelsæ: & neutra comparari potest, nullique fas est consequi, nisi certe cui Deus aspiraverit.*

Angelus Custos D. Gregorii Thaumaturgi. Ib. p. 54. & 55.

II. Loquitur pariter in eadem Oratione de Angelorum custodia: Gratias siquidem agit suo Angelo Custodi, eo quod necessitudinem cum Origene eidem procuraverit; testaturque, sacrum hunc Angelum, sui custodiam habuisse a pucro. *Sacer Angelus Dei, qui pascit me ab adolescentia mea.* Et infra: *Qui cum in cæteris omnibus semper nutritor & curator meus fuerit .... ut olim me, ita nunc quoque alit, & erudit, ac manu ducit. Tum præter alia omnia, conjungi me cum hoc viro .... fecit.* Hæc sunt notabiliora quoad Dogma, quæ in Operibus S. Gregorii Thaumaturgi deprehendere potui.

III. SÆCULUM.

SECTIO II.

PUNCTA MORALIA.

§. I.

De Scriptis Atheorum et Ethnicorum.

I. INnumera quoad rem Moralem facile foret exscribere ex Paraphrasi S. Gregorii in Ecclesiasten, & reipsa exscriberemus, nisi id omittere consultius duceremus, ne fastidio simus Lectoribus, cum nihil, præter contenta in Sacro hoc Libro, in laudata Paraphrasi deprehendatur. Etenim pauca admodum addit Paraphrastes textui Salomonis, & in id omnem operam ponit, ut nova methodo digerat sententias sapientissimi hujus Principis, easque evolvat quodammodo & nitidiori verborum dispositione proponat. Ex hac itaque Paraphrasi nihil exscribemus, iisque contenti erimus, paucissimis licet, documentis, quæ ex cæteris ipsius Operibus erui possunt; quæque uti pretiosa monumenta peculiari quodam modo suscipi ac venerari debent.

II. Magnus iste Episcopus in sua Oratione panegyrica in Origenem scribit, Origenem jubere consuevisse discipulis suis, ut omnia, quotquot extabant veterum tum Philosophorum, tum Poetarum scripta colligentes, nihil omnino rejicerent, nihilve repudiarent, præter ea quæ Atheorum essent, qui a communi hominum sensu discedentes, Deum aut Providentiam esse negant: *Hæc enim ne digna quidem esse quæ legantur, ne qua forte re inquinaretur nobis animus*, (verba sunt S. Gregorii) *qui .... sermones audiat divino cultui repugnantes*. Quoad cætera Ethnicorum Opera, etsi Origenes eorum lectionem Discipulis suis permitteret, prævidebat tamen, ut caute legerent: immo ipse simul incedens præibat, manuque ducebat, *manu ducens*, tamquam in via, ne in quid incurrerent aut flexuosum, aut infidum, aut in fraudem compositum; uno verbo, ne virtutis ac veritatis semitam amitterent. Idipsum peragendum esset in Scholis Christianis, in quibus ad scientias addiscendas permittitur adolescentibus profanorum librorum lectio. Hujusmodi lectiones facile animum inquinant ac corrumpunt bonos mores, nisi summa prudentia, quam modo indigitavi, intercedat.

Adversus Atheorum scripta. Orat. Panegyr. in Origen. pag. 63.

Prudentia, quæ necessario requiritur in lectione profanorum librorum. Ib. p. 72.

§. II.

Duo Casus Conscientiæ circa illos qui in Captivitate detenti sunt.

I. VErisimile est, quemdam Ponti Episcopum, cujus ignoramus nomen, consuluisse S. Gregorium Thaumaturgum de peculiaribus quibusdam casibus; quoniam laudatus S. Gregorius eidem respondet, & de quibusdam casibus resolvit propositas difficultates. Respondet igitur primo loco interrogationi, quid oporteat fieri christianis, qui a Barbaris capti sunt, & quæ ipsis ab eis apponebantur idolothyta comederunt; respondet inquam, 1o. Hi cibi non gravant, pro eo quod non grave damnum afferunt, & maxime quando uno ore ab omnibus dicitur, idolis non sacrificasse Barbaros, qui in nostras regiones incursiones fecerunt. 2o. adducit ex Apostolo & Evangelio sententias: Apostolus siquidem scribit: (*a*) Escæ ventri, & venter escis: Deus autem & eum, & has destruet. *Sed Salvator quoque omnes cibos mundans: Non quod intrat, inquit*, (b) *per os, coinquinat hominem, sed quod egreditur*. Hoc pacto S. Gregorius a peccato excusat illos, qui captivi apud Barbaros & infideles cum essent, cibos idolis immolatos comedissent.

Quid de illis sentiendum, qui in captivitate redacti cibos idolis immolatos comedissent. Epist. Canon. p. 38.

II. Hunc casum de illis, qui captivi idolothyta comederunt, immediate sequitur alter casus de mulieribus christianis, quæ captivæ corruptæ fuerunt, Barbaris earum corpore insolenter abutentibus. De quo pariter casu S. Gregorius ait, se non gravari: nihilominus adhibita distinctione huic difficultati respondet hoc modo. „ Si prius quoque damnata vita fuerat, in res „ varias abeuntibus oculis fornicatoribus, ut scriptum „ est: fornicarius scilicet habitus suspectus est etiam „ tempore captivitatis, *& non oportet facile orationibus cum ejusmodi communicare*. Sed siquidem aliqua, quæ in summa continentia vixerit, & puram, „ ab omnique suspicione alienam priorem vitam ostenderit, nunc vi & necessitate in probrum contumeliamve lapsa sit: *Habebimus exemplum, quod est in Deuteronomio*, (c) *de adolescentula, quam homo in agro invenit, & ea vi compressa, cum ipsa dormivit: Adolescentula inquit nihil facietis; non erit adolescentulæ peccatum mortis*: Quia, subdit illustris iste Pontifex quemadmodum si quis homo adversus proximum suum insurrexerit, & ipsius animam morte affecerit; sic hanc rem adolescentula proclamavit, & non erat qui ei opem ferret.

Decisio S. Gregorii circa Mulieres Christianas, quæ tempore captivitatis passæ erant violentiam. Ibid.

§. III.

Alii Conscientiæ Casus circa furta, et usurpationes.

I. ALiæ insuper occurrunt in eadem Canonica Epistola decisiones circa furta & usurpationes. S. Gregorius scribit, impiorum hominum esse, tempore incursionis & ærumnarum lucrum facere ex sanguine pauperum, quemadmodum ipsius ætate apud quosdam Christianos in more positum erat. *In tempore autem incursionis, in tanto luctu tantisque fletibus, ausos esse aliquos, tempus, quod omnibus exitium afferebat, existimare esse sibi lucri tempus; est hominum impiorum, & Deo invisorum, & quorum improbitati nihil potest adjici*. Hujusmodi scelestos viros excommunicat Sanctus Episcopus, ne forte ad totum populum ira Dei perveniat, & in eos primum qui præsunt, & non inquirunt. Nonne idipsum sentiendum de illis, qui nostra ætate, cum annonæ difficultas est, lucrum faciunt ex pauperum sanguine? *Lucrum facientes ex sanguine*, inquit S. Gregorius. Quam multi, Deus bone! hodie sine scrupulo id peragunt, & egregios Christianos se venditant!

Licitum non est tempore incursionis ac ærumnarum lucrum facere ex pauperum sanguine. Ib. can. 1. pag. 38.

II. Docet alio loco S. Gregorius, ac decidit, nemini fas esse illud retinere, quod invenerit: *Nemo seipsum seducat, tamquam invenerit: Neque enim fas est ei qui invenerit lucrifacere*. Cujus decisionis veritatem probat ipse his Deuteronomii verbis: Viso fratris tui vitulo & ove errante in via, ea ne despexeris, sed ea restitutione restitues fratri tuo. (*d*) Probat insuper his verbis Exodi: Si occurreris bovi inimici tui, aut asino erranti, reduc ad eum. (*e*) Si autem ab eo, qui in pace & in otio delicate vitam transigit, (subjungit eruditus iste Casuista) vel etiam ab inimico non licet lucrari; quanto magis ab eo, qui rebus adversis premitur, & fugit, & necessitate coactus propria relinquit?

Vetitum est ei qui invenerit lucrifacere. Ibid. can. 4. pag. 39. & 40.

III. Æque damnat Sanctus Episcopus eos, qui sub prætextu quod propria amiserunt, aliena quæ invenerunt detinent. *Alii autem*, inquit, *seipsos seducunt, pro propriis quæ perierunt, aliena, quæ invenerunt, detinentes*. Nam quoniam Boradi & Gothi eis hostilia fecerunt, numquid ipsi aliis erunt Boradi & Gothi?

Permissum non est pro propriis quæ perierunt, aliena quæ inveniuntur bona detinere. Ib. can. 5. pag. 40.

IV. Divus Gregorius habet veluti crimen incredibile non solum christianis, sed ipsis etiam infidelibus & impiis, quod nonnulli eo inhumanitatis, ac crudelitatis processerint, ut captivos aliquos qui fugerunt, vi retineant. Ideo mandat, ut hæc diligenter inquirantur, & mittantur in regionem qui hæc perscrutentur, *Ne vel fulmina*, inquit, *in eos cadant, qui hæc agunt*.

Adversus eos, qui detinent a captivitate fugientes. Ib. can. 6. pag. 40.

V. Eos autem, qui inter Barbaros adnumerati sunt, & cum eis in captivitate invaserunt, obliti se esse Ponticos & Christianos; efferati autem barbarique redditi, ut & ipsos christianos vel ligno vel suffocatione interfecerunt; vias etiam vel domos nescientibus Barbaris ostenderunt, vel eorum ædes hostibus manifestas fecerunt; ne ad divinarum quidem laudum auditionem admittendos esse decernit Sanctus Episcopus, donec Sancti simul congregati de iis communiter statuerint: *Etiam ab auditione arcere oportet, donec de iis, congregatis Sanctis, aliquid communiter visum fuerit, & ante eos Spiritui Sancto*.

Adversus eos, qui cum captivi apud Barbaros detineantur, cum ipsis immiscentur, & latrocinia cum ipsis exercent. Ib. can. 7. pag. 40.

VI. Decernit deinde, ut nec cum Audientibus stent qui alienas domos invadere ausi sunt, & seipsos primi non accusaverunt: eos autem, qui seipsos accusaverunt, & quod debebant dederunt, statuit ut substernantur: *Eos autem, qui alienas domos invadere ausi fuerint, si accusati quidem convicti fuerint, nec auditione dignos existimare oportet; sin autem seipsos annunciarint, & reddiderint, in eorum qui convertantur ordinem substerni*.

Adversus eos, qui alienas domos invadunt. Ib. can. 8. pag. 40.

VII. Eos

(*a*) I. ad Corinth. cap. 6. vers. 13.
(*b*) Matth. cap. 15. vers. 11.
(*c*) Cap. 22. vers. 26. 27.

(*d*) Cap. 22. vers. 1.
(*e*) Cap. 23. vers. 4.

III. SÆCULUM.

Adversus eos, qui aliquid apud se detinent, quod ad Barbaros spectat. Ib. can. 9. pag. 41. Nec indicationis, nec custodiæ vel inventionis pretium exigere

VII. Eos autem, prosequitur S. Gregorius, qui in campo aliquid invenerunt, vel in suis ædibus a Barbaris relictum, si accusati quidem convicti fuerint, sint similes in iis qui substernuntur: Sin autem seipsos enuntiaverint, & reddiderint, etiam precibus digni habeantur. *Eos autem qui servant mandata, absque omni turpi lucro facere oportet; nec indicationis, vel custodiæ, vel inventionis pretium, vel quocumque nomine appellant, exigentes.* Gratis igitur recitata officia præstabant Majores nostri, nec turpem sectabantur avaritiam, quam nimium sectantur nostræ ætatis Christiani, qui in hoc gloriantur, quod nihil agant, nisi præsto sit aliquod æmolumentum.

VIII. Hæc sunt, quæ ex Canonica S. Gregorii epistola erant exscribenda quoad rem Moralem. Ex allatis vero probe deprehenditur, ipsius ætate quosdam fuisse distinctos pœnitentiæ gradus; uti erant, arcere ab auditione; ad auditionem admittere, sed non ad publicas orationes; ad has orationes admittere, sed in ordine substratorum. Omnes isti pœnitentiæ gradus evolvuntur, ut ita dicam, in Canone undecimo ejusdem Canonicæ epistolæ. Verum, quemadmodum egregie animadvertit Dominus Ceillierius, (a) credere est, præfatum Canonem cæteris additum fuisse, ut quæ in superioribus tradita erant de diversis pœnitentiæ gradibus, explicarentur. Hinc desideratur undecimus iste Canon in Zonara, in Nomocanone Græco, ac in vetusta quadam Collectione facta per Gregorium Patriarcham Constantinopolitanum, quam se legisse in Bibliotheca Domini Cancellarii, scribit Pater Morinus. Hunc vero Canonem omnium primus Balsamon publici juris fecit.

III. SÆCULUM.

debeut fideles. Ib. can. 10. pag. 41.

(a) Histor. Auctor. Ecclesiast. Tom. 3. pag. 322.

DO-

DOCTRINA SANCTI DIONYSII PAPÆ.

ANIMADVERSIONES PRÆMITTENDÆ.

Paucissima sunt quæ ex Sancto hoc Pontifice habemus, & videtur insuper haud conscripsisse multa, etsi ingenio & sermone plurimum valeret. Nam Eusebius, (1) testimonio usus S. Dionysii Alexandrini, eum deprædicat disertum ac præclarum virum, etiam antequam ad summum Pontificatum eveheretur. Divus Basilius non solum illum appellat beatissimum Antistitem, & fidei integritate ac omnium virtutum genere illustrem, (2) sed ejus insuper auctoritate utitur ac confirmat præcipuas Religionis veritates. (3) Divus Athanasius eum recenset inter eos Patres, quorum doctrinam, immo Phrases & verba Concilium Nicænum usurpavit. (4) Lugenda sane calamitas, Pontificem hunc præclari ingenii specimen unum vel alterum solummodo dedisse; constat siquidem, binas tantum epistolas eum conscripsisse; unam quidem ad Ecclesiam Cæsareæ in Cappadocia, ut eam consolaretur de incursione Barbarorum, qua vexata fuerat; alteram vero ad Divum Dionysium Alexandrinum, in qua eundem orat, ut mentem suam aperiat circa errores ipsi adscriptos de Divinitate Verbi. Verum binæ hæ epistolæ inauspicato periere; & quod postremæ superest haud exiguum fragmentum, in Divo Athanasio reperire est, ex quo modicam partem Doctrinæ præfati Sancti Pontificis modo exscribemus.

Elogia S. Dionysii Papæ.

§. I.

De Sanctissima Trinitate.

I. Sicuti Marcionitæ quodammodo tres Deos constituebant, dum in tres substantias alienigenas, & inter se omnino segregatas sanctam unitatem dispartiebantur; hinc Sanctus Dionysius appellat doctrinam hanc futilem ac diabolicam: *Nam futilis*, inquit, *Marcionis doctrina .... diabolica est*. Subjungit deinde, hanc non esse doctrinam verorum Christi discipulorum, & acquiescentium Salvatoris præceptis: *Hi enim*, videlicet Christiani, *Trinitatem quidem non ignorant in divina Scriptura prædicari; tres autem esse Deos, nec in veteri, nec in novo Testamento doceri*. *Itaque*, concludit Sanctus Pontifex, *admirabilis divinaque Unitas in tres Divinitates non est separanda*.

Tres Divinæ Personæ propter Naturæ unitatem inseparabiles sunt. S. Athan. lib. de Decr. Synod. Tom. 1. pag. 231. & 232.

II. Tradit paullo supra idem S. Dionysius, Divinum Verbum Deo Patri unitum esse, & Spiritum Sanctum in Deo manere & habitare, & Trinitatem reduci & colligi in Unum Deum Omnipotentem, Dominum universorum. *Necesse est enim, Divinum Verbum Deo universorum esse unitum, & Spiritum Sanctum in Deo manere & habitare, ac denique Divinam Trinitatem in unum .... Deum universorum omnipotentem .... reduci & colligi*. Quæ verba apertissime ostendunt Unum Deum in tres distinctum Personas; adeoque tres Divinæ Personæ ex allata doctrina sunt ejusdem essentiæ, ejusdemque naturæ.

III. Nec nisi perperam detorqueri possent recitata S. Dionysii verba, in confirmationem erroris Sabellianorum, cum certum indubitatumque sit, non minus accuratum eum fuisse cum de Personarum Trinitate, quam cum de Unitate Naturæ disseruit. *Ita scilicet*, inquit, *divina Trinitati, & sancta Monarchiæ prædicatio integra servabitur*. Deinde, impiam appellat doctrinam Sabellii, qui dicebat Patrem esse Filium, & vicissim. *Illius enim* (Sabellii) ipsissima sunt S. Dionysii verba, *in eo consistit impietas, quod dicat Filium esse Patrem, & vicissim*. Nullum igitur dubium suboriri potest de orthodoxa fide Sancti hujus Pontificis quoad Mysterium Sanctissimæ Trinitatis.

§. II.

De Consubstantialitate Verbi.

I. Eadem ratione dubitare nemo potest de catholica ejusdem Papæ fide quoad Consubstantialitatem Verbi, quoniam qui catholicam doctrinam tradit de Trinitate, catholicam eodem tempore tradit doctrinam de Consubstantialitate Verbi. Verum, ut propositam veritatem magis magisque deprehendamus, probat Sanctus Dionysius quæ superius docuerat de unione Filii cum Patre, duobus S. Joannis oraculis, quæ ex ipsius Evangelio sunt deprompta; quæ sic se habent: Ego & Pater unum sumus: (a) & : Ego in Patre, & Pater in me est. (b) Hæc sunt momenta, quibus permotus S. Dionysius scribit, Verbum unitum esse Patri unione inseparabili, ita ut duæ istæ personæ sint una eademque Divinitas.

Verbum est Patri, Consubstantiale. Ib. p. 232.

II. Qua posita veritate nemo absque culpa asserere potest, Filium Dei factum vel creatum fuisse, *Cum Divina Scriptura illum genitum esse .... non autem formatum & factum esse testetur*. Igitur *Summa impietas est*, si Dominum dicas manu factum: si enim factus est Filius, erat igitur tempus, cum ille non erat: *Atqui fuit semper, si utique sit in patre, ut ipse declarat, & si Christus ipsum sit Verbum, sapientia, & virtus*.

Verbum non est formatum, vel factū, sed genitum ab omni æternitate. Ibid.

III. Nemo sane potest majori præcisione tueri æternitatem, divinitatem, ac consubstantialitatem Verbi; & nonnisi jucundissimum esse poterit Catholicis intueri primarias has Religionis veritates perspicue ac validissime assertas ab iis Ecclesiæ Patribus, qui ante exortam Arianam hæresim floruerunt. Cæterum S. Dionysius tuebatur etiam in particulari Divinitatem Spiritus Sancti, quoniam S. Basilius ejusdem auctoritatem allegat, ut laudatam Divinitatem Spiritus Sancti probet adversus eam impugnantes; nullum autem recitat S. Dionysii textum. In Animadversionibus quæ præmisi, adnotare omiseram, præter duas ibidem recensitas Epistolas a tota antiquitate Divo Dionysio Papæ adscriptas, binas insuper sub ejus nomine circumferri, quarum una est ad quemdam Præfectum Christianum; altera ad Severum Episcopum Cordubensem. Verum has concinnavit Auctor pseudo-Decretalium, adeoque nullam obtinent auctoritatem.

Divinitas Spiritus S. Vid. S. Basil. lib. de Spirit. S. cap. 29.

(1) Histor. Ecclesiast. lib. 7. cap. 7.
(2) Epist. 70. pag. 164. recent. Edit. Tom. 3.
(3) Lib. de Spiritu Sancto, cap. 29. Tom. 3.

(4) Lib. de Synod. pag. 737.
(a) Joann. cap. 10. v. 30.
(b) Cap. 14. vers. 10.

DOCTRINA THEOGNOSTI ALEXANDRINI.

III. Sæculum.

ANIMADVERSIONES PRÆMITTENDÆ.

Elogia Theognosti.

ETsi apud Eusebium & Divum Hieronymum altum sit silentium de hoc tertii sæculi Scriptore; nihilominus S. Athanasius de illo, & quidem summa laude, frequenter loquitur; appellat eum siquidem admirandum & studiosum virum: *Theognostus admirandus ille & studiosus homo.* (1) Insuper perhibet illum uti virum eruditum: *Virum*, inquit (2) *eruditum*. De eodem laudabiliter loquitur etiam Photius; & ex inscriptione suorum Operum, quam servavit idem Photius, videtur, cum Beati titulo fuisse insignitum. *Lectæ sunt*, inquit Photius, (3) *Theognosti Alexandrini orationes septem, cujus operis hæc est inscriptio: Beati Theognosti Alexandrini & interpretis Hypotiposes.* Theognostus igitur scripsit septem libros, quorum titulus est Hypotiposes: verum ad nos non pervenerunt, nisi aliqua fragmenta, quorum notabiliora exscribemus.

§. I.

OPINIONES THEOGNOSTI CIRCA QUÆDAM RELIGIONIS PUNCTA.

Theognostus fatetur tres Divinas Personas. *lib. 1. 2. 3. Hypot. in Phot.* Cod. 106.

I. SI fides Photio, qui Theognostum legerat, uti asserit, vetustus iste Scriptor libro primo Hypotiposeon disserebat de æterno Patre, & conabatur ostendere, eum esse Universi conditorem, eorum exagitans opinionem, qui materiam æternam docebant. Libro secundo ostendebat, æternum Patrem habere Filium; sed de hac secunda Persona parum catholice loquebatur, cum diceret, hanc esse creaturam, quæ præest omnibus rationabilibus creaturis: quod mox ad serium examen revocabimus. Libro tertio Spiritum Sanctum memorabat; sed non satis accurate de illo loquebatur; puta, non secus ac præstat Origenes in suo *Periarchion*. Quidquid tamen sit, illud certum est, teste Photio, Theognostum admisisse tres Trinitatis personas, & peculiarem existentiam, quæ esset ab alterius existentia distincta, earum cuilibet tribuisse: hinc constat, Theognostum ab omni labe Sabelliani erroris immunem esse.

Docuit Consubstantialitatem Verbi. *S. Athan. lib. de Decret. Concil. Nicæn.* pag. 230.

II. Videamus modo, num Photio fides habenda sit, dum parum accuratum vocat Theognostum circa Personam Verbi. Sane hoc judicium de illo non tulit S. Athanasius, qui oppositum adeo pro certo habebat, ut Arianis opponat Theognostum veluti illorum Patrum unum, ex quibus Nicænum Concilium deprompserat suas decisiones pro Consubstantialitate Verbi asserenda. *Discite igitur*, inquit S. Athanasius Arianos alloquens, *o Christi hostes Ariani, Theognostum virum Eruditum minime refugisse ab hac ipsa dictione*, EX SUBSTANTIA. Idque probat S. Athanasius his Theognosti verbis ex secundo libro Hypotiposeon: *Non extrinsecus*, conceptissima verba sunt Theognosti, *adinventa est Filii substantia, neque ex nihilo educta.* Falsum igitur est, Filium esse meram Creaturam, uti Theognostum tradidisse calumniatur Photius. „ Non „ forinsecus, aut ex rebus extraneis Filii substantia „ constat, prosequitur laudatus Theognostus, neque „ ex non entibus producitur; *sed ex Patris substantia nata est, ut lucis splendor & aquæ vapor.* Ex quibus constat, Theognostum asseruisse eamdem in Verbo naturam, quæ est in Patre.

III. „ Neque enim vapor, prosequitur idem Pater, „ id ipsum est quod aqua, neque jubar idipsum quod „ sol, sed non alienum tamen; „ *Sic* (Filius) *est aliquid emanans ex Patris substantia, ita tamen, ut nullam divisionem eadem Patris substantia sit perpessa. Ut enim Sol idem manens radiis ab ipso profluentibus non minuitur; ita neque Patris substantia mutationem ullam patitur, cum Filium sui ipsius imaginem habet.* Quid accuratum magis, aut magis orthodoxum proferri unquam poterit? Filius non est substantia Patri extranea; natura Filii emanat a natura Patris, sed absque ulla divisione aut alteratione. Filius id ipsum est ad Patrem, quod radius est ad solem, vapor ad aquam. Quid aptius poterit unquam ostendere, Filium esse Patri consubstantialem, & prout persona est, a Patre esse distinctum; neque enim vapor, ut egregie inquit Theognostus, idipsum est quod aqua, neque jubar id ipsum quod Sol.

S. Athanasius fatetur, obscuras ac difficillimas voces occurrere in Theognosto cum loquitur de Verbo. *Ibid.*

IV. Fateamur nihilominus cum Divo Athanasio, obscuras & difficillimas voces quandoque occurrere in Theognosto disserente de Divinitate Verbi. Verum, ut optime animadvertit magnus iste Doctor, Theognostus præfatas voces usurpavit tamquam inter disputandum; nam subinde veram suam sententiam verbis superius recitatis exponit. *Theognostus igitur, postquam superiora, tamquam inter disputandum inquisivisset; tandem suam ipsius sententiam ponens, sic locutus est.* Utique Photius, qui Theognosti scripta perlegerat, positive testatur, vetustum hunc Patrem de Divinitate Verbi male locutum fuisse. Verum observandum 1°. est Photium plus æquo contrarium fuisse Origeni, cujus sententiis subscripserat Theognostus, & cujus insuper partes susceperat: hinc fieri potuit, ut in sensu haud recto interpretaretur obscuras Theognosti voces. 2°. Observandum est, Photium deinde ab omni erroris labe hac in re excusare Theognostum, cum scribat, laudatum Theognostum libro septimo Hypotiposeon Divinitatem Verbi in catholico omnino sensu exposuisse. 3°. Photius passim damnat veteres de Divinitate Verbi disserentes, & quidem ob obscuras quasdam loquendi formulas, quæ non redolebant præcisionem sui sæculi, in quo argumenta hæc accuratissima formularum præcisione pertractabantur. Verum Criticus iste, cæteroquin eruditus, minime observavit, hanc loquendi diversitatem, quæ in veteribus deprehenditur, nihil officere, cum doctrina eadem semper fuerit. Inde factum est, ut deciperentur nonnulli nostræ ætatis eruditissimi viri, qui per summam injuriam easdem accuratissimas loquendi formulas in vetustis Scriptoribus reperire volebant, quæ apud nos modo obtinent. In quem defectum inter cæteros Huetius, ac Pater Petavius prolapsi sunt.

De blasphemia contra Spiritum Sanctum. *Epist. 4. ad Serapion.* pag. 703.

V. Unus superest afferendus Theognosti locus, qui respicit blasphemiam contra Spiritum sanctum, de qua loquitur Matthæus cap. 12. Tradit igitur Theognostus, hanc esse blasphemiam in Spiritum sanctum, cum qui dignati sunt per Baptisma donis Spiritus sancti, recurrunt ad peccata. Eruitur id ex ipsis Theognosti verbis, qui apud Divum Athanasium hæc habet; Qui primos & secundos fines transgressus est, minori pœna dignus videri possit: qui autem tertios fines contempserit, venia excluditur. Primos autem & secundos fines transmitti existimat Theognostus, cum quis contra Patrem & Filium obloquitur; Fines autem tertios constituit in initiatione per Baptisma, & in Spiritus sancti participatu. Deinde subjungit: *Non propter excellentiam Spiritus sancti præ Filio inexpiabilis & citra veniam est blasphemia in Spiritum sanctum: sed quia imperfectis* (hoc est, non baptizatis) *datur venia; iis vero qui donum cæleste gustaverunt, & initiati*

(*a*) Epist. 4. ad Serap. pag. 702.
(*b*) Lib. de Decret. Concil. Nicæn. pag. 230.
(*c*) Biblioth. Cod. 106.

III. SÆCULUM.

tiati sunt, nulla venia relinquitur excusatio vel deprecatio.

VI. Certe qui in Veterum lectione parum sit versatus, nonnihil commovebitur laudata Theognosti verba audiens : verum omnem trepidationem deponet si animadverterit 1°. Divum Athanasium nulla censura notare vetustum hunc Patrem quoad hunc articulum. 2°. Nec ipsum Photium hac in re Theognostum arguere, licet illius partibus parum sit addictus. Deinde recitata verba nil aliud præseferunt, quam interpretationem textus Divi Matthæi quem supra allegavimus ; & hæc interpretatio apprime conformis est interpretationi, quam ejusdem textus adornaverat antea Apostolus in sua Epistola ad Hebræos, ex qua videtur Theognostus hanc phrasim exscripsisse : *Qui donum cœleste gustaverunt*. Num damnabimus Theognostum, eo quod eadem Evangelii & Apostoli verba usurpaverit ? Sane id æquum non est. Concludamus potius cum Divo Athanasio, allatum Theognosti textum aliquam exquirere discussionem, nosque fortasse mentem Auctoris non esse assequutos.

VII. Cæterum, tradit pariter Photius in sua Bibliotheca, Theognostum tribuisse corpora tum Angelis, tum Dæmoniis ; quod nemini mirum videri debet, si ævum attendat, quo florebat ille, quando scilicet argumentum hoc non satis versatum fuerat. Scripsit insuper de Incarnatione, sed minus accurate, si Photio fides, pro quo vadem me non constituo. Idipsum enim hoc loco asserere possumus, quod attigimus supra circa Divinitatem Verbi ; apud veteres scilicet quasdam loquendi formulas obtinuisse, quæ nunc videntur nobis insuetatæ, quia argumenta ista jam satis explicata sunt ; cum econtra tunc temporis inusitatæ non essent, sed passim adhiberentur, quia eadem argumenta difficultatibus adhuc referta erant.

D O

DOCTRINA SANCTI VICTORINI EPISCOPI PICTAVIENSIS.

ANIMADVERSIONES PRÆMITTENDÆ.

SAnctus iste Episcopus plurimorum Operum Auctor astruitur, quorum maxima pars Sacras Litteras respiciebat: sunt autem hæc: Commentarii in Genesim, in Exodum, in Leviticum, in Isaiam, in Ezechiel, in Abacuc, in Ecclesiasten, in Cantica Canticorum, in S. Matthæum, in Apocalypsim Joannis. Malo fato omnia fere hæc opera periere, quæ quidem Ecclesiæ admodum utilia fuissent. Superest modo solus Commentarius in Apocalypsim, quem reperies in Bibliotheca Patrum editionis Parisiensis. Quod subdit Divus Hieronymus de hoc Episcopo, in caussa est cur ægre feramus, alia pretiosa monumenta temporis injuria periisse: nam eum recenset inter celebriores Doctores & columnas Ecclesiæ, quales sunt Sancti Hilarius & Ambrosius. Multa alia insuper eidem adscribit, puta Tractatum contra omnes hæreses, ob quem S. Optatus eum appellat Defensorem catholicæ veritatis; præterea versiones quorumdam locorum Commentarii Origenis, quas in suis inseruit. Traducitur insuper ut Auctor Poematis adversus Marcionitas, qui extat ad calcem Operum Tertulliani: quia vero de hoc satis non constat, ex illo nihil exscribemus, sed ex solo Commentario in Apocalypsim pauca proferemus.

§. I.

OPINIONES S. VICTORINI CIRCA QUÆDAM PUNCTA DOGMATICA.

De Sacra Scriptura. Comm. in Apocal. Bibl. Patr. Edit. Paris. col. 574 Ib. col. 573.

I. SAnctus Victorinus recenset viginti quatuor libros veteris Testamenti: *Sunt autem*, inquit, *libri veteris Testamenti qui accipiuntur viginti quatuor*. Quatuor admittit Evangelia; S. Matthæi scilicet, S. Marci, S. Lucæ & S. Joannis. Quatuor Evangelistas designatos dicit per celeberrima quatuor animalia, idque probat iis momentis, quæ nemo ignorat. Quoad vigintiquatuor Seniores, de quibus sermo est in Apocalypsi, præsignant illi viginti quatuor Patres, videlicet duodecim Patriarchas, & duodecim Apostolos. Asserit, quatuor Evangelistas inter sese perfectissime convenire, qui etsi diversi sint, unam tamen eamdemque tradunt doctrinam; non secus ac Paradisi fluvius in quatuor partes dividebatur, licet unus esset. *Hæ prædicationes*, inquit Sanctus Episcopus, *quamvis quatuor sunt, una est tamen, quia de uno ore procedit: sicut fluvius in Paradiso, cum sit unus, in quatuor partes divisus est* (*Ibid.*). Observandum insuper est, S. Victorinum, dum numerat epistolas Divi Pauli, ne unum quidem verbum habere de epistola ad Hebræos. Videtur tamen tribuere Apocalypsim S. Joanni Apostolo (*Col. 570.*).

II. Pluribus in locis Catholicam appellat Ecclesiam; & tradit, omnes Ecclesias per Universum dispositas coalescere in hanc eandem Ecclesiam Catholicam: *In toto orbe septem Ecclesias, omnes esse; & septem nominatas, unam esse Catholicam* (*De Ecclesia. Ibid.*). Quoad Baptismum declarat, hoc Sacramentum delere antiquam labem, hoc est, ut ego opinor, peccatum originale; & per hoc Sacramentum hominem Christianum vocari: *Peccatum pristinum, quod aufertur in Baptismo, & incipit vocari homo christianus* (*De Baptismo. Ib. col. 571.*). Rejicit errorem Millenariorum, veluti Cerinthi hæresim: *Ergo audiendi non sunt*, inquit in fine sui Commentarii, *qui mille annorum regnum, terrenum esse confirmant, qui cum Cerintho sentiunt* (*De Regno mille annorum. col. 582.*). Verum verba hæc ab aliquo adjuncta fuisse suspicari merito possumus, duo siquidem momenta hanc suspicionem confirmant. Primum eruitur ex Divo Hieronymo, qui testatur, S. Victorinum in suo Commentario in Apocalypsim tradidisse errorem Millenariorum. Secundum est, quia laudata verba elegantiori stylo conscripta sunt, quam cæteræ ipsius Tractatus partes. Quibus tertium momentum addi potest, aliqua scilicet vestigia opinionis S. Victorini de hoc regno reperiri alio ejusdem Commentarii loco, ubi scribit, omnes Sanctos in Judæa conventuros, & ibi adoraturos Dominum. *Ubi (in Judæa) omnes Sancti conventuri sunt, & Dominum suum adoraturi* (*Col. 570.*).

Peculiaris opinio de loco, in quo Sanctorū animæ post præsentem vitam requiescant. col. 570.

III. Inter peculiares Sancti hujus Episcopi opiniones recenseri potest quod ipse docet de statu animarum Sanctorum post præsentem vitam; videtur enim eas ponere in subterraneo quodam loco, in quo extremum judicium expectent. *Sub qua (terra) est infernus, remota pœnis & ignibus regio, & requies Sanctorum &c.* Contendit pariter, sed absque ullo fundamento, Neronem in vivis adhuc esse, & eum futurum esse Antichristum; quæ opinio admodum singularis est (*De Antichristo. col. 577. 578.*). Tandem videtur credidisse, nec Jeremiam adhuc decessisse ex hac vita, & venturum esse cum Elia in novissimo contra Antichristum (*De Jeremia. col. 576.*). Illud vero hac in re notabilius est, quod contendit, præfatam opinionem fulciri traditione Majorum. Accuratius loquitur, dum de Nicolaitis ait, eos fuisse fictos homines & pestiferos, qui sub nomine Nicolai Ministri, hoc est Diaconi, fecerunt sibi hæresim, ut delibatum exorcizaretur, & manducari posset; & ut quicumque fornicatus esset, octava die pacem acciperet (*Quinam essent Nicolaitæ. col. 571.*). Hæc notabiliora sunt S. Victorini loca, quæ eruuntur ex ejus Commentario in Apocalypsim.

DO-

DOCTRINA PIERII

PRESBYTERI ALEXANDRINI.

ANIMADVERSIONES PRÆMITTENDÆ.

PAuca dicenda veniunt de Pierio, qui fuit Presbyter Alexandrinus eo tempore, quo illam Eccleſiam Theonas Epiſcopus regebat. Conſtat, hunc appetitorem fuiſſe miræ auſteritatis, & voluntariæ paupertatis; & ſcientiſſimum inſuper fuiſſe Dialecticæ & Rhetoricæ artis. Eximius Theologus erat, & florentiſſime docuit populos, & in tantum ſermonis diverſorumque Tractatuum venit elegantiam, ut Origenes junior vocaretur. Auctor fuit longiſſimi Tractatus de Propheta Oſee, qui Photii ætate adhuc extabat; narrat præterea idem Photius, ac teſtatur, legiſſe ſe volumen Operum Pierii diviſum in duodecim libros, quorum unus erat de Evangelio Divi Lucæ. Horum autem Operum nullum ſupereſt fragmentum, & Photii eruditioni tribui debet quidquid de Pierii doctrina ad nos pervenit.

Pulcherrimæ Pierii Dotes. D. Hieronym. in Catalog. cap. 76.

§. I.

Opiniones Pierii circa quædam Religionis puncta.

Photius Cod. 119.

I. PIerius itaque, prout narrat Photius, in ſermone de Oſee verba facit de duobus Cherubim, quos Moyſes ſuper arcam fœderis locavit; necnon de lapide, ſuper quem caput reclinavit Jacob, quando pergebat Haran. In libro de Divo Luca oſtendebat, teſte eodem Photio, honorem & irreverentiam imagini præſtitam, honorem eſſe ſive irreverentiam Prototypi: *Habet idem*, inquit Photius, *teſtimonium quoddam in eo libro qui inſcribitur: In Evangelium Lucæ; ex quo demonſtrare licet, imaginis honorem & irreverentiam, prototypi eſſe honorem ſive irreverentiam*. Vetuſtum hunc Presbyterum quidam accuſant, quod Origenis nugas ſecutus ſit circa præexiſtentiam animarum. *Obſcurius deinde etiam*, proſequitur Photius, *hic ſecundum Origenis nugas, indicat animas præexiſtere*.

De Imaginibus. Ibid.

De Animabus. Ibid.

De Perſona Spiritus Sancti. Ibid.

II. Pierium erraſſe quoad Perſonam Spiritus Sancti ſcribit Photius, eumque arguit, quod docuerit, gloriam tertiæ hujus Perſonæ Sanctiſſimæ Trinitatis minorem eſſe gloria Patris ac Filii. Nos autem aſſueti hiſce loquendi formulis, quæ apud veteres obtinebant, quæque reipſa nihil mali præſeferunt, æquo jure aſſerere poſſumus, ipſum Photium deceptum fuiſſe, dum Pierium erroris inſimulavit circa Perſonam Spiritus Sancti. Nec operæ pretium eſt hoc loco ea iterum proferre, quæ ſuperius ſæpe diximus, Patres ſcilicet, quando illis loquendi formulis utuntur, præ oculis habere ſolam ſubordinationem perſonalem, quam in Trinitate admittunt; quæ quidem ſubordinatio, cum perſonas reſpiciat, non naturam, nequaquam lædit Conſubſtantialitatem Patris, Filii, ac Spiritus Sancti. Idipſum ſentire videtur vel ipſe Photius, inquiens, Doctrinam Pierii, etſi differat a formulis nono ſæculo uſitatis, eamdem tamen eſſe doctrinam, quæ primis ſæculis vigebat. Igitur vel moderanda eſt cenſura Photii in Pierium, vel æque damnari debent omnes Scriptores, qui tribus Eccleſiæ ſæculis primis floruerunt, cum eaſdem uſurpaverint phraſes, quæ in Pierio deprehenduntur.

III. Cæterum Photius declarat Pierium orthodoxum quando de Patre ac Filio loquitur. *De Patre tamen*, inquit Photius, *& Filio pie credit*. Videtur utique Pierius duas admittere ſubſtantias, totidemque naturas, ut idem Photius ſcribit: *Subſtantias duas, totidemque naturas eſſe dicit*; ſed ab omni erroris ſuſpicione hanc phraſim purgat laudatus Criticus, inquiens, voces illas a Pierio uſurpatas fuiſſe ad ſignificandas Perſonas: *Subſtantiæ & naturæ nomine, quantum ex iis quæ hunc locum antecedunt & conſequuntur, colligitur, pro hypoſtaſi uſus*. Pierii ſtylus erat clarus, nitidus & fluens, ſed non ſatis elaboratus; & obſervatum eſt, eum frequenter uſum eſſe enthymemate.

De Perſona Patris ac Filii. Ibid.

Photius. Ibid.

DOCTRINA SANCTI ARCHELAI

EPISCOPI CASCHORUM IN MESOPOTAMIA.

ANIMADVERSIONES PRAEMITTENDAE.

Elogia Archelai ab antiquitate deprompta.

I. Tertio Ecclesiæ sæculo jam finem imponimus tradendo Doctrinam Archelai Episcopi Caschorum in Mesopotamia, celeberrimi propter Disputationem quam habuit cum Manete, seu Manichæo hæresiarca, & sectæ Manichæorum parente. De hac Disputatione loquitur S. Cyrillus Catechesi sexta, aitque, S. Archelaum obstitisse Manichæo *armis justitiæ*, & prostravisse draconem, *Manem prostravit*. Cum autem aufugisset Manes, prosequitur S. Cyrillus, Archelaus bonus Pastor, audita fuga, cursu citato ad lupum requirendum festinavit, ut ovium sibi concreditarum saluti provideret.

II. S. Archelaus, prout narrat S. Epiphanius, (1) *Rugientis leonis instar, ac divino quodam ardore percitus*, obstitit impietatibus Manetis; insuper, præter doctrinam, fidei ardore percitus auctor erat, ut si fieri posset, Manes, pardi instar ac lupi, vel cujusvis alterius bestiæ, morti traderetur, ne ejusmodi feræ incursione pecora læderentur. Præterea *multiplici divinarum rerum scientia paratissimus erat*, (2) & omnes Manetis præstigias accurate didicerat; hinc velut egregius miles, adversarii tela vi sua ac virtute valuit discutere. Narrat pariter S. Athanasius, (3) Divum Archelaum duos libros misisse ad Tryphonem Presbyterum cujusdam Pagi nomine Diodorides, contra errores Manetis, qui Diodoridem sese contulerat, postquam in Carcharis profligatus fuerat; deinde vero repente S. Archelaum nec opinato ibidem venisse, & quæ a Manete proposita fuerant, dissolvisse, novumque ei pudorem incussisse, ut ne hiscere quidem amplius auderet: quo factum est, ut aufugiens inde, alibi scelestus vir profectus sit. Verum errat S. Athanasius, cum Presbyterum Diodorides appellat Tryphonem; vocabatur siquidem Diodorus, ut eruitur ex Actis S. Archelai. (4)

III. Horum Actuum meminit S. Hieronymus, (5) qui scribit, hos Syro sermone primitus compositos fuisse, deinde vero in græcum translatos. De illis loquitur pariter Socrates in sua Historia Ecclesiastica; (6) & Photius in suo Opere adversus Manichæos, ubi vocat Archelaum, virum sacrum, ἀνὴρ ἱερὸς & multa in sermonibus de divinis humanisque rebus dexteritate præditum. Eumdem appellat insuper virum admirabilem, *ab admirabili viro Archelao*; & pro Religionis negotiis pietatis zelo succensum; *Pietatis zelo succensus*. Et in ejusdem Photii Bibliotheca (7) Heraclianus Episcopus Chalcedonensis ait, S. Archelaum evertisse id quod Manichæi appellant Evangelium, & Giganteum librum, atque Thesauros. S. Archelaus reipsa in suo tertio colloquio (8) observat, Manetem non fuisse suæ doctrinæ architectum, sed eam antea traditam fuisse a quodam viro, qui vocabatur Scythianus, qui Apostolorum ætate vivebat.

§. I.

De Unitate Divina.

Act. Archel. edit. Fabric. pag. 157. n. 16. &c.

I. Manes duo admittebat principia duosque Deos, unum bonum, alterum malum. Unum appellabat, ipse Principem lucis; alterum vero Principem tenebrarum. Malum principium humani corporis conditor erat; principium bonum conditor animæ. Verum S. Archelaus huic Hæresiarchæ ostendit absurditatem sui systematis, quod docebat credere, Deum malum esse increatum, æternum, & independentem æque ac Deum bonum; & illi nihilominus e diametro opponi. Ostendit deinde, quod cum Deus sit lumen, universum orbem debet illuminare, absque eo quod ullum locum relinquat ingenitis tenebris Manichæorum; & unus Dominus esse debet, absque eo quod dominium suum & imperium dividat cum imaginario tenebrarum Deo. (pag. 161. n. 22. &c.) Quod spectat vero animam & corpus hominis, ex consonantia, quæ inter duas has substantias viget, evincit, non a duobus principiis invicem oppositis, sed ab uno auctore originem habere: *Quæ cum per conjunctionem unum effecta, consonantia officii sui continent ad omne opus ..... uni auctori & conditori testimonium ferunt.* (pag. 162. num. 19.)

II. Posito quod duo existant diversa principia, & sibi invicem opposita, utrumque habere necessario debet proprium regnum ab alterius regno separatum. Id asserebat Manes, addebatque, Deum bonum in firmamenti medio regnum suum locasse, ut designaret suam oppositionem, quam habet ac dicit cum Deo malo. At S. Archelaus ex hoc concludit, & quidem jure, Deum bonum, vere Deum non futurum, quia muro separationis indigeret, quo ab hoste suo se defenderet. *Usquequo*, inquit S. Archelaus Manetem alloquens, *dignitate nominis mentiris? Deum etenim solummodo nomine appellas, & deitatem ipsius humanis infirmitatibus comparans ... si ... Deus murum construxit, timidum se hic & nihil fortitudinis se habere designat.* (pag. 161. 161.) Plura alia occurrunt in Actis S. Archelai loca, quæ ostendunt absurditatem & futilitatem systematis Manetis: sed quæ protulimus, satis superque demonstrant veram Archelai fidem, immo totius Ecclesiæ quoad præsentem articulum.

§. II.

De tribus Divinis Personis.

I. Etsi Manes duos diversos Deos admittat, hoc tamen non impedit, quominus in Deo bono speciem quamdam Trinitatis agnoscat; docet siquidem, hunc Deum bonum, quem Patrem etiam appellat, produxisse ex se virtutem, quæ dicitur *Mater vitæ*, & aliam virtutem ex eo procedere, quæ dicitur *Spiritus vivens*: quæ verba videntur designare tres Personas Sanctissimæ Trinitatis. (pag. 147. num. 7.) Verum Hæresiarcha iste quid omnino diversum præfatis loquendi formulis intendebat, ut facile erui potest ex interpretatione, quam eorumdem verborum adornavit Turbo, qui ipsius Discipulus fuerat, & postea in Ecclesiæ sinum rever-

(1) Hæres. 66. num. 7.
(2) Ibid. num. 10.
(3) Ibid. num. 11.
(4) Pag. 176. 177.

(5) Lib. de Viris illustrib. cap. 72.
(6) Lib. 1. cap. 22.
(7) Cod. 95.
(8) Act. pag. 191. num. 52.

III. SÆCULUM.

reversus est. Cæterum Manes se esse Paracletum asserebat, nec erubescebat dicere, se esse Spiritum sanctum, quem Jesus Christus Apostolis promiserat. *Sum quidem ego Paraclitus*, ajebat nefarius deceptor, *qui a Jesu mitti prædictus sum.*

pag. 165. num. 37.

II. Verum S. Archelaus vehementer exagitat hunc Hæresiarcham de Paracliti proprietate quam sibi impudentissime arrogabat, ostenditque, nullo pacto probari posse, Salvatorem distulisse usque ad regnum Probi mittere Spiritum sanctum, quem missurum promiserat paulo post suam Ascensionem. Quid dicent ad Jesum, subjungit S. Archelaus, qui usque ad Manetem defuncti sunt? Nonne dicere possent; noli nos judicare quia opera tua non fecimus, non enim misisti nobis Paraclitum, cum dixeris te missurum? reliquisti nos orphanos, non enim sicut promiseras, misisti nobis Paraclitum? *Nihil nos deliquimus, tu nos fefellisti.* Quod absit asserere de Jesu Christo, qui est Salvator omnium animarum, qui non distulit effectum promissionis suæ, sed statim misit Spiritum sanctum, qui in Apostolos effusus est. De quo articulo pluribus disserit S. Archelaus: hinc Lectorem remitto ad ea quæ protulit ipse in sua prima Disputatione. Unum hoc loco addam, S. Archelaum scilicet prope finem hujus Disputationis inquirere a Manete, quibusnam signis se Paraclitum manifestaverit. *Nam quem mortuum suscitas*, inquit S. Episcopus . . . *Quos . . . cæci oculos . . . videre facis . . . ubi super aquas incedis?* Apostolos accepto Spiritu sancto, unusquisque propria sua lingua loquentes audiebat; & tu, non Græcorum linguæ, non Ægyptiorum, non Romanorum, non ullius alterius linguæ scientiam habere potuisti? Non ita Spiritus sanctus; absit hoc malum. Hactenus Archelaus. Quid ultra requirebatur, ut æterna ignominia impudentissimus ille deceptor suffunderetur?

pag. 172. 173.

pag. 174.

III. Etsi Archelaus fuse refutet tres imaginarias Personas, quas in Deo bono admittebat Manes; admittit nihilominus cum cæteris suis prædecessoribus tres Divinas Personas, Patrem scilicet, Filium, & Spiritum sanctum, ut probe eruitur ex quodam fragmento Archelai in quadam Catechesi S. Cyrilli Hierosolymitani; ibi siquidem hæc leguntur: *Non enim Gentili cuiquam de Patre, & Filio, & Spiritu sancto arcana mysteria declaramus.* Veteres tanta veneratione prosequebantur hoc mysterium, ut non auderent palam apud catechumenos de illo verba facere; & sæpe occulte adeo loquebantur, ut soli fideles intelligere possent, ne cæteri scandalum inde sumerent. *Neque palam apud catechumenos de mysteriis verba facimus; sed multa sæpe loquimur occulte, ut fideles, qui rem tenent, intelligant; & qui non tenent, ne lædantur.* Tanta erat Majorum nostrorum prudentia, ut mallent mysteria illis abscondere, qui ea intelligere non poterant, quam eadem scandali periculo exponere. Hinc nemini mirum videri debet, obscure locutos fuisse de Sanctissima Trinitate, de Divinitate & Consubstantialitate Verbi &c. Desinant igitur tandem aliquando calumniari sapientissimos & prudentissimos hos Scriptores ii omnes, qui obscuras quasdam in illis phrases offendunt, dum de prætatis articulis disserunt.

§. III.

DE DIVINITATE VERBI.

I. INficiari non possumus, S. Archelaum pauca proferre de Verbi Divinitate in suis cum Manete Disputationibus. Verum animadvertendum est 1°. nullam fuisse controversiam de hoc articulo inter Sanctum Episcopum & Hæresiarcham. 2°. Superfluum, immo inutile fuisset Archelao hoc Religionis Dogma urgere, cum firmiter adeo illud crederet Manes, ut perfracte negaret Jesum Christum fuisse verum hominem: 3°. Si Divus Archelaus non credidisset Divinitatem Jesu Christi, jam optima sese illi obtulerat occasio impugnandi Divinitatem Salvatoris, ut magis magisque veritatem suæ humanitatis evinceret: Sed Archelaus diversam omnino init viam; & ratam habens Divinitatem Salvatoris, quam suus etiam adversarius adoptat, in id unice incumbit, ut ostendat veritatem Incarnationis ejusdem Verbi, quam admittere Manes recusabat.

Divinitas Jesu Christi. pag. 174. num. 37.

II. Quibus observationibus addimus, S. Archelaum aliquando sic loqui de Christo Jesu, ut certo innotescat, ex ipsius doctrina, Jesum Christum fuisse verum Deum, & Patri suo æqualem. Hinc in prima sua Disputatione docet, Dominum nostrum Jesum Christum esse perfectum, qui solus Patrem novit, & cui voluerit revelare. Et infra, eumdem appellat magnum & cœlestem Regem: *magni illius regis . . . . cœlestis regis*; cujus præsentiam exponere non valet humana natura. Et paucis interjectis, *Quis autem*, inquit, *de substantia Dei dicere audeat, nisi forte solus Dominus noster Jesus Christus?* Sed clarius seipsum explicat in eadem Disputatione his verbis: Nam & David pater ejus appellatus est, & Joseph pater ejus putatus est, cum *Nullus horum pater ejus fuerit veritate naturæ . . . Solus autem Deus Pater ejus natura est.* Nam David pater ejus dicitur ætatis ac temporis privilegio; Joseph vero lege nutriendi.

III. SÆCULUM. Ibid pag. 175.

pag. 171. num. 34.

§. IV.

DE INCARNATIONE VERBI.

Veritas Incarnationis probatur ab Archelao. pag. 187. num. 49.

I. DE hoc argumento pluribus disserit S. Archelaus; en autem notabiliora quæ habet. Contendit primo loco, Incarnationem vere ac realiter peractam fuisse, contra errorem Manetis docentis, Jesum Christum non fuisse hominem nisi apparenter, & natum non esse ex Virgine. „ Si Salvator non est natus, inquiebat S. Archelaus, sine dubio nec passus est; „ pati enim qui natus non est, impossibile est. Quod „ si non est passus, Crucis nomen aufertur. Cruce „ autem non suscepta, nec Jesus ex mortuis resurrexit. Quod si Jesus ex mortuis non resurrexit, nec „ aliquis alius resurget. Quod si nullus resurget, nec „ judicium erit: certum est enim, quod si non resurgam, nec judicer. Quod si non judicium erit, „ frustra erit observatio mandatorum Dei, nullus abstinentiæ locus est, manducemus & bibamus, cras „ enim moriemur „. Hæc omnia consequuntur, ut observat S. Archelaus, ex errore Manetis contra veritatem Incarnationis Verbi. „ Si autem confessus fueris, prosequitur Sanctus Episcopus, eum de Maria „ natum, & passio subsequatur necesse est, & passionem resurrectio, & resurrectionem judicium, & „ salva nobis erunt Scripturæ præcepta. Non ergo „ jam vana est quæstio, (num scilicet Jesus Christus „ vere natus sit.) Sed plurima in hoc verbo. Sicut „ enim omnis lex & prophetiæ in duobus sermonibus „ constant; ita etiam nostra omnis spes in Beatæ Mariæ partu suspensa est. „

pag. 188.

II. Ab hoc peremptorio argumento transilit S. Archelaus ad ea Scripturarum oracula, quæ eamdem veritatem confirmant. Profert, exempli caussa, hæc Apostoli verba: *Misit filium suum factum ex muliere.* (a) *Pascha nostrum immolatus est Christus.* (b) *Deus & Dominum suscitavit, & nos cum illo suscitabit per virtutem suam.* (c) Deinde proponit celeberrimum argumentum Apostoli (d) de Resurrectione, quo pathetice ostendit essentialem connexionem inter resurrectionem Jesu Christi & nostram. „ Quis, rogo, tam „ temerarius & impudens invenitur, concludit Archelaus, qui istis sacrosanctis vocibus non accommodet fidem, in quibus nulla est distinctio, nulla dubitatio? „ Aliis momentis validissimis eamdem probat veritatem Archelaus; sed quæ allata sunt, satis ostendunt orthodoxam ipsius fidem, & ad nihilum redigunt errorem Manetis, qui nulli alio fundamento innitebatur, quam quibusdam Scripturarum oraculis perperam intellectis.

Objectio Manetis adversus veritatem Incarnationis. pag. 186.

III. Manes inter cætera objiciebat, Jesum Christum a se repulisse eum, qui dixerat, Ecce Mater tua & fratres tui foris stant; beatificasse autem Petrum, qui dixerat, Tu es Christus Filius Dei vivi. *Vide*, inquiebat Manes, *quanta sit differentia eorum, quæ a Jesu dicta sunt? Illi enim qui dixerat: Ecce Mater tua foris stat, respondit: Quæ mihi est Mater aut fratres? Ei autem qui dixit: Tu es Christus Filius Dei vivi, beatitudinem benedictionemque restituit.* Si ergo de Maria, subjungit idem Manes, vis esse eum natum, mentitur ipse cum Petro; si autem verum dicit Petrus, sine dubio ille prior fefellit: hinc veritas Incarnationis corruit.

Responsio Archelai. pag. 186. num. 48.

IV. His auditis turbæ, quæ huic Disputationi præsentes erant, permotæ sunt, veluti rationem veritatis continentibus, & Archelao nil habente quod his posset opponere: hoc enim indicavit tumultus, qui inter eos exortus fuerat. Sed cum multitudo conquievisset, Archelaus tanta argumentorum vi probavit veritatem Incarnationis, ut silentium Hæresiarchæ imposuerit, & plausus totius populi promeruerit. Respondet ergo, Jesum Christum non increpasse eum qui annuntiavit ei de Matre & fratribus, sed cum erudiret eos, quos venerat salvare, non debuit eos derelinquere, & cum Matre

(a) Ad Galat. cap. 4. vers. 4.
(b) I. ad Corinth. cap. 5. vers. 7.
(c) Ibid. cap. 6. vers. 14.
(d) Ibid. cap. 15. vers. 12.

III. SAECULUM.

Matre ac fratribus colloqui: *Neque is, qui annuntiavit ei de matre & fratribus increpatus est ..... non complectitur (Dominus) pro matris præsentia paternum præterire præceptum*. Quoad Divum Petrum, non illum beatificavit Christus ob confessionem suæ Divinitatis; secus, beatificasset & dæmones cum eum confiterentur dicentes: Scimus te, qui sis Sanctus Dei. (a) *Relinquitur*, concludit S. Archelaus, *ut pro loco, pro personis, pro rebus, pro accidentium salute, ea quæ dicta sunt intelligamus*. (pag. 187.)

V. Pro coronide hujus argumenti illud primo loco animadvertendum volo, Archelaum interpretari de Jesu Christo celeberrimum oraculum Jacobi, (b) nec non vaticinium Moysis de Propheta, quem promittit Judæis: *Prophetam vobis suscitabit Dominus &c.* (c) ad exclusionem Nave, cui hæc Sancti legislatoris verba non conveniunt. *Aliena longe est ab eo hæc Prophetia*. Animadvertendum est secundo loco, Manetem supponere, sanctam Virginem semper permansisse castissimam & immaculatam: *Virgo castissima & immaculata*. Hoc autem nullum est portentum juxta Manetis mentem, qui negabat, Mariam fuisse Salvatoris Matrem, maximum autem portentum est juxta doctrinam Catholicorum, qui constantissime tenent, Mariam vere enixam esse Christum Dominum. Archelaus fatetur & ipse, Mariam esse castissimam & purissimam, sicuti docebat Manes; sed huic proprietati illud adjungit, quod negabat Manes, eam scilicet esse veram Matrem Salvatoris. Hic locus ille validissime probat vetustam Ecclesiæ fidem de puritate, & Divina Maternitate Mariæ Virginis. Virginitas Mariæ non lædit ipsius Maternitatem; & Maternitas non lædit Virginitatem. (Vaticinia de Salvatore. Pag. 182.)

§. V.

DE BAPTISMO, ET DE ORDINE.

(Effectus Baptismi. pag. 190. num. 30.)

I. SAnctus Archelaus, ut ostendat, Jesum Christum vere induisse nostram carnem, inquit, eum ab hominibus tentum fuisse, passum esse, & esse baptizatum. Si ille non est baptizatus, subjungit, nec quisquam nostrum baptizatus est: *Baptisma autem si non est, nec erit remissio peccatorum; sed in suis peccatis quisque morietur*. Manes dixit: ergo Baptisma propter remissionem peccatorum datur? Archelaus reposuit: Etiam. Manes dixit: Ergo peccavit Christus, quia baptizatus est. Archelaus respondit: absit; quin potius pro nobis peccatum factus est, nostra peccata suscipiens, propter quod ex muliere natus est, & propter quod ad Baptisma venit. In quem locum Divi Archelai duo animadvertenda sunt; 1°. Veritatem & efficaciam Baptismi Christianorum pendere a veritate Baptismi Salvatoris; adeo ut si Christus baptizatus non est, falsum est nostrum Baptisma, nulliusque valoris. 2°. Baptisma vere remittere peccata, & absque hoc Sacramento peccatorum remissionem obtineri non posse: quod quidem ostendit uno eodemque tempore tum necessitatem, tum excellentiam Baptismi Christianorum supra cætera Sacramenta.

(Ordo, sive Hierarchia Ecclesiastica. Ib. n. 31.)

II. S. Archelaus post pauca quæ in eadem Disputatione habet de Doctrina Ecclesiæ, ostendit iis qui Disputationi præsentes aderant, semper in Ecclesia accuratissime observatum fuisse quidquid Apostolus, (quem vocat optimum architectum, & fundamentum Ecclesiæ) præceperat observandum de Ordinatione Episcoporum, Presbyterorum. & Diaconorum. *Sed & optimus architectus ejus ... Paulus posuit & legem tradidit, ordinatis Ministris, & Presbyteris, & Episcopis ... describens per singula loca quomodo æqualiter oporteat ministros Dei, quales & qualiter fieri Presbyteros, qualesque esse debeant qui Episcopatum desiderant. Quæ omnia .... usque in hodiernum, statum suum custodiunt, & permanet apud nos hujus regulæ disciplina*. Semper ergo in Ecclesia fuerunt Episcopi, Presbyteri ac Ministri seu Diaconi; & ex hoc S. Archelai testimonio constat, præfatam Hierarchiam in Ecclesia semper obtinuisse ab ejus exordio usque ad exitum tertii sæculi; quæ postea semper perseveravit, ut ex cæterorum Patrum lectione infra ostendemus.

§. VI.

DE LIBERO ARBITRIO, ET DE GRATIA.

(De libero arbitrio. Pag. 169. num. 32.)

I. SAnctus Archelaus castigatissime disserit de libertate hominis. Fatetur itaque, nos tales esse quales sumus ex potestate nostri arbitrii; & Deum omnia quæ fecit, valde bona fecisse, & liberi arbitrii sensum unicuique dedisse: *Liberis arbitrii sensum unicuique dedit*, & peccare vel non peccare in hominis esse arbitrio: *Peccare nostrum est; in nostro ... arbitrio constitutum peccare vel non peccare*, non omnes lapsum mali angeli sequi, *Pro eo quod unicuique libertas arbitrii est*; omnes creaturas mutationi esse obnoxias, solum Deum esse immutabilem: *Sola inconvertibilis est divina substantia*; Verum hæc omnia pulcherrima principia non opponuntur necessitati Gratiæ, quam eodem loco adstruit Archelaus inquiens: *Ut autem non peccemus, Dei donum est*. Liberi sumus; & tamen gratia indigemus. Hæc est tota Doctrina S. Archelai. (De Gratia. Ibid.)

§. VII.

DE LAPSU MALORUM ANGELORUM.

(Mali Angeli ad æternum ignem damnati. Pag. 169. num. 32.)

QUoad lapsum Angelorum hæc habet S. Archelaus. Eorum quidam mandato Dei non subditi, voluntati ejus restiterunt, & aliquis quidem de cœlo tanquam fulgur ignis cecidit super terram; alii vero in felicitate hominum filiabus admixti, *ignis æterni pœnam suscipere meruerunt*. Ille (Satan) igitur in terram decidens, nec ultra cœli regionibus admissus, *inter homines volutatur, decipiens eos, atque persuadens sibi similes effici transgressores*; & usque in hodiernum adversarius est mandatis Dei. Ex hoc appellatus est Diabolus, eo quod transitum fecerit de cœlestibus, & quod in terris mandato Dei obtrectator existeret. Ex quibus eruitur, S. Archelaum idipsum sensisse, quod alii multi Ecclesiæ vetustissimi Patres de Angelis prævaricatoribus senserunt. Quam opinionem certe illi hauserant ex textu Geneseos, quem supra pluries memoravimus, quemque in eodem omnino sensu Hebræi antea interpretati fuerant. Sed hanc opinionem, sicuti & Scripturæ illius cui innititur ea opinio interpretationem, communi calculo rejiciunt alii Patres longe plures. Qui de diabolo multa scire desiderat, adeat Divum Archelaum, qui loco nuper memorato materiam hanc fuse prosequitur. (p. 170. 171. num. 33.)

§. VIII.

DE LEGE NATURALI.

(Justi qui sub lege naturali floruerunt. Pag. 166. num. 28.)

ANte ipsam legem Moysis aderant Justi, qui nullam scriptam legem habentes, legem implebant ea peragendo, quæ naturalis lex iisdem dictabat, *Cum lex non esset Moysis, cum Prophetæ oborti non essent .... nonne justi effecti sunt ex eo quod legem implebant?* „ Cum enim, subjungit Sanctus Episcopus, „ quis legem non habens, naturaliter, quæ legis sunt, „ facit, hic legem non habens, *ipse sibi est lex. Intuere multitudinem legum per singulos justos qui bene agebant vitam suam*; nunc ex semetipsis proferentes in cordibus suis insitam Dei legem, nunc a propriis parentibus inquirentes, aliquando etiam ab antiquioribus & senioribus addiscentes. Verum quia pauci per hunc modum poterant ad justitiæ culmen ascendere, idest per parentum traditiones, nulla in litteris lege conscripta, misertus est Deus humanum genus, & scriptam legem per Moysem voluit hominibus dare, quoniam quidem non apprime in cordibus eorum naturalis legis æquitas retinebatur.

§. IX.

DE VETERI FOEDERE.

(De lege Moysis. pag. 166. num. 28.)

I. DEus misericordia motus erga genus humanum, legem scriptam voluit per Moysen hominibus dare: *Misertus est Deus humanum genus, & scriptam legem per Moysen voluit hominibus dare*. Hanc legem ipse dedit caussa salutis plurimorum: *Datur salutis caussa plurimorum*. Verum plures nullam ex illa utilitatem reportarunt, ut paulo infra docet idem S. Archelaus; immo e contra occasio fuit multis tum damnationis, tum mortis. Hinc Apostolus eam appellat Ministerium mortis, quoniam soli transgressores legis puniebantur, non etiam conservatores: *Servantes autem se defendebat a morte, & constituebat in gloria, ope atque auxilio Domini nostri Jesu Christi*. Lex igitur bona est in seipsa, & data est pro salute Hebræorum; sed propria virtute eos non salvabat cum salvaret ope & auxilio Jesu Christi. (pag. 167. num. 30.) (pag. 168. num. 30.)

(Inutilitas Circumcisionis carnis.)

II. Si aliqua fuisset legis cæremonia, quæ seipsa potuisset justificare, hæc sane fuisset circumcisio. Verum

(a) Luc. cap. 4. vers. 34.
(b) Genes. cap. 49. vers. 10.
(c) Deuteron. cap. 18. vers. 18.

III. SÆCULUM.

rum S. Archelaus apertissime docet, hanc ex seipsa non conferre salutem, & absque spirituali circumcisione, ad nihilum vallere. *Cordis enim circumcisio sola salutem confert; nihil prastat eis ista carnalis, nisi forte spirituali circumcisione muniantur.* Jesus Christus caussam circumcisionis excepit, labore nos relevans, & *pati nos frustra doloris aliquid non finens.* Quid ergo, subjungit egregie Sanctus Episcopus, mihi opus est laborare, cum cognoverim compendia viæ, si possum mundus esse corde, & legem implere & Prophetas? Quid ergo mihi opus est circumcisione, cum possim & in præputio justificari? Cum ergo nullum possit salvare circumcisio, non magnopere requirenda est, *Maxime cum si quis in præputio vocatus fuerit, & circumcidi voluerit, continuo prævaricator legis efficiatur.* Gratia Dei dives factus, & cordis circumcisionem consecutus, nequaquam vilissimæ illius circumcisionis indigeo, *Nec tamen malam esse dico.* Hæc sentiebant Veteres de Circumcisione, cæterisque legis cæremoniis; erant scilicet bonæ, non autem necessariæ. Quando igitur S. Archelaus inquit, peccare Gentilem si cum vocatus fuerit circumcidi voluerit, tunc damnat potius inanem spem hujusce viri, quam præfatam cæremoniam, quæ in seipsa mala non est, uti illico ipse fatetur: *nec tamen malam esse dico.*

Epist. ad Diodor. p. 180. 181. num. 41.

§. X.

DE LEGE EVANGELICA.

Excellentia legis Evangelicæ.

Epist. ad Diodor. Pag. 181.

LEx Evangelica præcellit legem Moysis, sicuti Jesus Christus præcellit in gloria Moysen, tamquam Dominus famulum; sicut Sol majorem habet gloriam quam Luna, sic Christus majorem habet gloriam quam Moyses. Lex Moysis erat tamquam lucerna quæ illuminabat populum Dei usque ad adventum Christi, qui verus Sol nobis esse debebat. *Custodivit ergo populum lex Moysis tamquam lucerna, usquequo Sol nobis verus Salvator noster oriretur.* Ipse Christus dispellit caliginem & tenebras veteris Testamenti, ipse aufert velamen, quod positum erat in lectione legis Moysis. Insuper liberavit nos a cruciatibus legis atque [illegible] dictis quæ Moyses in eos pronuntiaverat, qui [illegible] fuissent transgressi. Moyses severitate usus est legis, nulli indulgendo injuriam: sed Christus dixit. Si quis passus fuerit a proximo suo injuriam, indulgeat non semel tantum, sed & nec secundo, nec tertio, nec solum septies, sed septuagies septies. *Sed [illegible] si quis Filio hominis intulisset injuriam, veniam dedit.* Moysis lex in præsenti sæculo nulli veniam tribuit; Christi lex vindicat in futuro. At numquid ex hoc sequitur, legem Moysis malam esse? minime gentium. *Si enim Sol majorem habet gloriam quam Luna, non continuo in ignobilitatem luna redigitur ..... Ex hoc intuere, quemadmodum* (Salvator) *confirmat legem, non solum non solvens eam, sed implens.*

pag. 168. num. 3.

Epist. ad Diod. Pag. 1.

§. XI.

CONCORDIA INTER UTRUNQUE TESTAMENTUM.

I. EPistola S. Archelai ad Diodorum materiam hujus paragraphi suppeditat. Non contraria Moysi locutus est Jesus aut fecit, inquit Sanctus Episcopus. Primum quod Moyses ait, oculum pro oculo, dentem pro dente, hoc justum est: quod autem Christus eximium præstare jubet & alteram maxillam, hoc bonitas est: *Numquid justitia bonitati contraria est? Absit.* Quod vero in veteri Testamento dictum est, Ego divitem facio & pauperem, non opponitur benedictionibus, quibus Salvator cumulat pauperes, nec maledictionibus, quibus divites ferit; non enim divitias simpliciter damnat Christus, sed divitiarum abusum, & non laudat sæcularis substantiæ pauperes, sed pauperes spiritu, idest qui non superbia inflammantur, sed humilitate se mitigant & inclinant: *Non dixit sæcularis substantiæ pauperes, sed pauperes spiritu &c.* Christus libenter intuebatur divitum munera, cum in gazophylacio offerebantur. Rursus Centurio valde dives, & sæculari præditus potestate, propter suam fidem a Salvatore commendatur. Discrimen igitur, quod inter utrumque Testamentum intercedit, non est discrimen oppositionis, sed discrimen inter magis & minus perfectum, quemadmodum paragrapho superiore vidimus.

pag. 180. num. 42.

II. Concordia pariter & consensus habetur inter actiones Moysis, & Christi. Moyses natus, in scirpea fiscella positus, exponitur ad ripas fluminis; Jesus Christus natus, per Angelum fugatur in Ægyptum. Moyses educit populum de medio Ægyptiorum; Jesus de medio Pharisæorum populum educit. Moyses e cœlo accepit panem, quo pasceret populum in deserto; Christus virtute propria ex quinque panibus viros quinque millia satiavit in deserto. Moyses potius in monte jejunavit quadraginta dies; Dominus Jesus a spiritu actus in desertum, quadraginta diebus similiter jejunavit. In conspectu Moysis propter infidelitatem Pharaonis omnia Ægyptiorum primogenita perierunt; Jesu nascente, propter infidelitatem Herodis omne masculinum Judæorum subito perit. Moyses orat ut parcatur a plagis Pharaoni, ac populo ejus; Dominus noster Jesus orat indulgeri persecutoribus suis. Moysis vultus resplenduit in gloria Domini, ita ut non possent filii Israel intendere in faciem ejus propter gloriam vultus ejus; Jesus Christus Dominus resplenduit sicut sol, & Discipuli ejus non poterant aspicere in faciem ejus propter gloriam vultus ipsius, & immensum luminis splendorem. Moyses imperavit mari; Dominus Jesus imperavit ventis & mari. Moyses extensis manibus oravit; Jesus extensis in Cruce manibus salutem dedit. Hoc pacto Veteres conabantur ostendere concordiam ac consensum inter utrumque Testamentum; & nullam inter duo fœdera esse oppositionem. Jure quidem ac merito hunc articulum urgere debebat Divus Archelaus, quia res illi erat cum adversario, qui aspernabatur legem Moysis uti malam & Evangelicæ Legi oppositam.

pag. 182. & 183.

§. XII.

QUÆDAM DISCIPLINÆ PUNCTA.

OBservavi in Actis Archelai 1°. apud veteres fideles quædam fuisse loca, in quibus Christianorum libri conscribebantur, & servabantur Sacræ litteræ. 2°. Quandoque exemplaria Sacrarum Scripturarum dari consuevisse Christianis. Duo hæc eruuntur ex Actis Archelai, quæ narrant, Manete in carcere posito, quosdam ejus discipulos, ipso sic jubente, simulantes se esse nuntios christianos abiisse ad loca, in quibus Christianorum libri conscribebantur, & rogasse præstari sibi libros Sacrarum Scripturarum. 3°. Dixi jam supra, Mysteria Religionis iis solummodo exposita fuisse, & explanata, qui Baptismo initiati erant, & in Ecclesiæ sinu degebant; infidelibus vero non fuisse unquam explanata, immo nec ipsis Catechumenis antequam baptizarentur. 4°. Omnibus permissum erat Evangelium audire; at Evangelii gloria, subjungit S. Archelaus, solis Christi germanis tribuitur. Domini Ceillierii sunt postremæ istæ animadversiones in Doctrinam Archelai, qua modo finem imponimus tertio Ecclesiæ sæculo.

In S. Cyrillo Hierosolymit. Catech. 6.

FINIS TOMI SECUNDI.

IN-

INDEX
RERUM NOTABILIUM,
Quæ in hoc secundo Tomo continentur.

A

B

I

NI-

Descri-

V

X

F I N I S.